CASUS CONSCIENTIAE

CASUS CONSCIENTIAE

PROPOSITI AC SOLUTI

A

R. P. EDUARDO GÉNICOT, S. I.

WITHDRAWN

OPUS POSTUMUM

ACCOMMODATUM AD

THEOLOGIAE MORALIS INSTITUTIONES

EIUSDEM AUCTORIS

240
G331c
v. 2

EDITIO TERTIA RECOGNITA
SECUNDUM RECENTIORA S. S. DECRETA
VOLUMEN SECUNDUM

EX LIBRIS PROVINCIAE
PRO STUDIO THEOL.
S. S. CORDIS JESU.

LOVANII
TYPIS ET SUMPTIBUS FR. CEUTERICK
60, VIA VITAL DECOSTER, 60

1909

ADDENDA ET CORRIGENDA

IN II VOLUM.

P. 53. Cas. V. Cum ex reformatione Breviarii a Pio Pp. X inducta non recitandum sit in choro Officium defunctorum (Act. Ap. Sedis, 20 dec. 1911), adiuncta casus iam rarius verificabuntur

85. Cas II. Neque ex recentioribus decretis necessaria erat venia S Sedis ad Didacum rursus admittendum, quia propter morbum communi consensu cum Superiore abierat (n. 78, 6o).

103. Cas V. 2o. Onesiphorus violavit etiam regulas canonicas, quae vetant religiosum (etiam votorum simplicium : S. C de Relig 15 iun. 1911) librum in lucem edere sine facultate superioris Vol I. n. 460

136 Cas. III. Valerianus probabilius saltem conari *debet* elicere actum contritionis perfectae (nn. 131, 291).

196-7. Cas. I Solutio benigna nunc omnino certa est ex resp. S. C. R. 8 maii 1907.

206. Cas. VI. Sophia, ex concessione 7 dec. 1906, bis in mense communicare poterit, postquam aliquid per modum potus sumpserit.

216. Cas. I. Ne loquatur Asterius ita ut pueri intellegant sibi interdictam esse hebdomadariam vel etiam frequentiorem communionem : quod prorsus contrarium foret decr. *Quam singulari* S. C. de Sacram. 8 aug. 1910.

218. Cas. III 2o. Cum, secluso voto obedientiae erga confessarium, praeter paenitentiam sacramentalem confessarius nihil proprie praecipere aut prohibere paenitenti possit (quod nunc etiam valet quod ad S. Communionem), Felicianus potestatem suam praetergreditur subtrahendo communionem, etiam sub praetextu probationis — Ast expeditne talem probationem tamquam paenitentiam sacramentalem imponere ? Omnino contra mentem Ecclesiae esse videtur, neque nisi in rarissimo quodam casu approbandum, praesertim cum innumera sint alia media ad virtutem paenitentium exercendam.

222. Cas. I. 3o. Si paenitens mane adhuc in ore habuisset electuarium totum eiusve partem, illudque ex illis sit quae per se lentissime solvantur, neganda videtur S. Communio, etiamsi paenitens tunc expuisset. Etenim, deglutitione per noctem continuante, moraliter certum est aliquid post mediam noctem esse traiectum. Concedenda autem videtur S. Communio si electuarium ex illis sit quae regulariter brevi tempore solvantur ac proinde tantum per accidens non ante mediam noctem solutum fuerit : quo casu fortuito, recte reliquiis cibi assimilaretur.

238. Cas. IX. Deleatur casus, cum talia adiuncta verificari iam nequeant.

253. Cas. I. Attendat Rufinus in transmittendis intentionibus ad normas statutas decreto S. C. C. *Ut debita* n. 6o, et decr. 22 maii et 9 sept. 1907. Cfr. Theol. Mor. II vol. n. 230 VII.

257. Cas. V. 2o In omni hypothesi excessum indebite retentum trans-

mittere debet Simon sacerdotibus qui reapse celebraverint (nisi impotentia restitutionis excusetur). Opinio enim excusans a peccato iniustitiae non iam tuta videtur. Cfr. Theol. Mor. ed 7ª, n. 231.

269 Cas III 2º Ex decis. S. O 1 aug. 1907 potest iam Siricius unam vel tres missas legere, sine speciali indulto, modo asservetur in hoc sacello S Sacramentum. Nec per se carpendus videtur quod inceperit paulo ante h. 12, si, ut in Belgio, *tempus verum* praecedit tempus legale.

299. Cas VI. Ad finem adde : *Absolutio* etiam propter aliam rationem ante baptismum condicionatum dari non potuit : ne exponeretur sacramentum periculo nullitatis propter probabilem invaliditatem prioris baptismi.

309. Cas III. 1º. Idem advertatur quod supra ad casum p. 136.

327. Cas. IV. In casu non agitur de probabilitate iuris, sed facti : unde prima pars solutionis non est accurata. Cfr. Theol. Mor. 7 ed. II vol. n. 330.

329. Cas VII. 1º. Iam nullum dubium est de iurisdictione Didymi, post decr. S. O. 23 aug. 1905 et 12 dec 1906 ; sufficit enim ut sit approbatus *vel* ab Ordinario proprio ex cuius dioecesi discedit, *vel* ab Ordinario portus in quo navem conscendit, *vel* ab Ordinario portus intermedii.

3º Si Didymus non ultra Hong-Kong navigaturus erat, iter eius maritimum absolutum est statim atque in terram exivit. Proinde reditus eius post aliquot dies censetur novum iter ad quod indiget approbatione sive Ordinarii Hong-Kong tamquam Ordinarii portus unde navis solvit, sive Ordinarii sui, si alium Ordinarium proprium habet.

332. Cas. X. Supponuntur convictores illi etiam tempore feriarum manere apud Regulares.

340. Cas XVIII. Aequo severior videtur auctor. Etenim Benedictus XIV plectit sacerdotes complices in necessitate absolventes qui circumstantiam illam quae secus ab excommunicatione excusaret, scilicet periculum infamiae praesertim publicae incurrendae ex vocato alio sacerdote, *non* averterint congruis mediis (v. g. abeundo e paroecia). In casu autem hoc non agitur : non enim Nicomedius " non avertit periculum infamiae „ sed de facto praevertit infamationem suam privatam apud Gorgonium. — Etiam quaerat quispiam utrum adhuc vigeat dispositio Ben XIV quae non repetatur in Bulla *Apostolicae Sedis* — Utique debet sacerdos peccator semper adhibere *media congrua* ad vitandum quominus ipse constituatur in necessitate absolvendi : sed dubitari potest utrum ad hoc ipse *debeat* positive invitare sacerdotem extraneum ad confessionem complicis audiendam, vel ipse inducere complicem ad confitendum apud sacerdotem extraneum.

381. Cas. II ita solvatur. In primis videndum est utrum sacerdos, conscius pravae intentionis mulieris, usus sit *praetextu* confessionis (puta invitando alta voce mulierem ad nunc confitendum) ad removendos adstantes ut libere peccaret : in hac hypothesi denuntiandus est.

Quod si non factum est, ulterius distinguatur oportet. — Si mulier incepit confessionem vel saltem se ad ipsam proxime accingebat, et pariter incepit sollicitationem cui sacerdos consensit : denuntiandus est, quia peccatum accidit in *actu* vel saltem *occasione* confessionis. — Si vero mulier statim significavit se confiteri nolle et sollicitavit, et sacerdos consensit : non videtur denuntiandus, ex lege positiva. S. Alph. n. 679.

In omni hypothesi, denuntiandus est si ad aliquam *veram simulationem* confessionis ambo se composuerunt : tunc enim peccarunt *in loco confessionis, simulantes confessionem audiri.*

Dicat quisquiam sacerdotem non esse denuntiandum quia *non ipse incepit sollicitare*, sed tantum sollicitanti consensit. Sed haec excusatio prorsus reicienda est in casu, quoniam ipse sacerdos turpiter tetigit mulierem : quod ipsum rationem habet sollicitationis. Benignior autem S. Alphonsi sententia procedit tantum de casu quo differtur *in aliud tempus* exsecutio consilii turpis. — Ceterum haec ipsa sententia incompossibilis videtur cum documentis S. Sedis, excepto forte casu quo denuntiatio fieri omnino non possit sine propriae culpae manifestatione.

399. Cas. IV. 2. Satis facile averti poterit periculum mirationis in astantibus, si explicat sacerdos quam incerta sint mortis signa. Quare propendendum in Extremam Unctionem ministrandam, praesertim brevi post mortem apparentem. Moneat tamen sacerdos de periculo dilatae Unctionis, ne procrastinandi abusus inducatur.

424-580. Casus solvuntur secundum ius quod vigebat ante diem Paschatis 1908, quodque etiam nunc applicandum est ad diiudicandum valorem sponsalium et matrimonii vel ante hunc diem contractorum, vel eorum qui decr. *Ne temere*, secundum subiectam materiam, non tanguntur.

Secundum hoc decretum, in Casibus sequentibus (p. 424-431), nulla sunt sponsalia, si non scripto cum debitis subscriptionibus et adnotato die (S. C. C. 27 iul. 1908) contrahuntur. Praeterea advertisse iuvat :

424-5. Cas. I et II, v. infra ad p. 428 Cas. VI.

426. Cas. III. Si assumitur forma sollemnis praescripta, scilicet per scriptionem, fieri non potest ut non putent se veram suscipere obligationem.

426. Cas. IV. Non iam valent sponsalia parentum pro filiis.

428. Cas. VI. Non solum nulla sunt sponsalia, sed neque promissio bilateralis (quam auctor in hoc casu admittit propter virtualem repromissionem puellae) probabiliter sub novo Iure subsistit, ita saltem ut sub gravi ex iustitia urgeat. — At promissio unilateralis ex parte iuvenis, si quae seorsim habetur, regulariter ut antea urgebit ad matrimonium contrahendum, vel saltem ad hoc urgebunt damna reparanda, si fraudulenter fuerint inducta.

429. Cas. VII. Ut valeant sponsalia, etiam cum acatholico, fieri debent scripto : neque quod ad sponsalia privilegium concessum est Germaniae.

431. Cas. II. In solutione iam sermo esse nequit de " sponsalibus clandestinis „.

445. Cas. V. 2o. Si illi advenae vere sedem fixerunt per se perpetuam in Anatolii paroecia, in ea proinde domicilium acquirentes ; vel si iam a mense in hac paroecia commorantur, Anatolius in sua ecclesia banna proclamare debet. Quasi-domicilium non iam attenditur in re matrimoniali. — Si alterutra saltem pars *vaga* est, banna non sunt proclamanda inconsulto Ordinario. — Curet insuper Anatolius ut banna proclamentur in *pristino domicilio* iuxta usus dioecesanos : quod per se sub gravi obligat.

447. Cas. II. Deleantur ultimae lineae solutionis cum de sponsalibus " privatis „ iam non nisi inter acatholicos sermo esse possit.

451. Cas. I. Medium informationis securioris suppeditat testimonium baptismi (quod semper exigendum est) : in quo mentio facienda est matrimonii ab ea persona contracti, si quod reperitur annotatum in libro baptismorum.

455. Cas. III. Irritum est matrimonium cum parochus non *requisiverit* consensum contrahentium.

456. Cas. V. Cum iam ubique (1) vigeat decr. *Ne temere*, baptizatorum matrimonium invalidum erit absente sacerdote, nisi ex adiunctis gaudent beneficio art. VIII decreti. Quo etiam casu ad valorem requiritur ut emittatur a sponsis *formalis* consensus coram duobus testibus. Unde magis quam antea dubitari poterit de valore matrimoniorum qualia in casu descripta sunt.

Cfr. Lehmk. Comp. theol. mor. Ed. 5ª, p. 511 nota 3.

457. Cas. VI. Non iam tuta est opinio favens valori consensus expressi a parentibus pro filiis (nisi vera procuratio intercesserit) : unde renovandus consensus erit ad cautelam.

457. Cas. VII. Cum pro orbe universo datum sit decr. *Ne temere*, adiuncta casus iam rarius verificari poterunt. Supponas v. g. sponsos esse " mixtae religionis „ et, in Germania natos, in Germania pariter hanc copulam habere.

472. Cas. V. Dicat quispiam in casu agi de impedimento natura sua publico, cui theologi nondum aptant solutionem suam de " altero casu perplexo „ (n. 468, 2°). — Sed si angustiae sunt eaedem, neque (ut in casu) timentur incommoda et scandalum ex benigniori solutione, nonne censenda est Ecclesia non urgere impedimentum ? Neque tunc censenda est obstare clandestinitas (n. 538). — Utrum autem haec sententia probabilis sit, viderint sapientiores.

485. Cas. III. Ubi agitur de impedimento iuris naturalis, scil. si fortasse Laurentius et Victoria sunt frater et soror, praesumptio pro legitimitate Victoriae non sufficit ut liceat matrimonium inire. Cfr. Lehmk. Cas. II, n. 966; D'Annib. III, n. 447.

489. Cas. III. Profecto *conandum* est ut matrimonium revalidetur, etiam si uterque est in bona fide.

494. Cas. I. Insuper si uterque ignoravit impedimentum criminis, probabiliter non incurritur, ac proin matrimonium haberi debet ut validum. Idem advertatur ad Cas. V, p. 497 et ad Cas. VIII, p. 498.

514-5. Cas. III et IV. Ut in his Casibus valeat matrimonium clandestinum, supponi possunt nupturientes in adiunctis art. VIII decr. *Ne temere*.

518. Cas. I. Ad *validitatem* matrimonii requirebatur praesentia (vel delegatio) parochi Lapurdensis. — Ad *liceitatem* licentia parochi (vel Ordinarii) alterutrius nupturientis, vel potius parochi sponsae.

519. Cas. II. Parochus pagi in suo territorio semper *valide* assistet matrimonio ; *licite* autem si Valeria *domicilium* habet in pago ut ab auctore explicatur, vel etiam si ipsa de facto iam a mense in pago commoratur. Quae si non habentur, roget Stephanus licentiam parochi urbani. *Quasi-domicilium* non iam attenditur in re matrimoniali.

520. Cas. III. Cum Tiburtius neque domicilium canonicum, neque menstruam commorationem in pago habeat, ad *licitam* assistentiam indiget parochus licentia parochi urbani, nisi forte Felicitas domicilio vel menstrua commoratione in pago gaudeat. Quod si non est, cum Tiburtius sit pagi burgimagister, datur profecto ratio sufficiens cur matrimonium in paroecia potius sponsi quam sponsae celebretur.

520. Cas. IV. Pacomius, in cuius paroecia situm est xenodochium, *valide* assistet matrimonio ; *licite* etiam si infirmus ibi domicilium acquisivit (ut auctor exponit) vel a mense commoratur ; secus, quantum fieri potest, petat

(1) Passim in Imperio Sinensi a die Paschatis 1909 tantum. (S. C. P. F. 29 febr. 1908). Idem advertatur ad casus pp. 526 et 580.

licentiam a parocho infirmi, curet ut sibi constet de statu libero etc. et requisitae fiant proclamationes, quantum fieri potest.

Quid si Ordinarius constituit sacerdotem in xenodochio cum potestate parochiali? — Xenodochia, aliive id genus loci non solent esse penitus exempti a iurisdictione parochi paroeciae; hinc parochus hospitii, saltem tamquam delegatus ab Ordinario, habebit cumulativam competentiam cum parocho paroeciae : valide et licite assistet eadem ratione atque ipse Pacomius (S. C. C. 1 febr. 1908), dummodo alteruter nupturientium sit aliquo modo eius subditus, puta per infirmitatem, per officium in xenodochio susceptum.

521. Cas. V. Lucianus sine delegatione valide et licite assistet matrimonio, quia Hyacinthus iam ab octo mensibus in eius paroecia degit; nec obstat quod ibi commoratus est more viatoris; praestat tamen ut matrimonium celebretur coram parocho sponsae. Curabit autem maxime Lucianus ut constet de statu libero, etc.

523. Cas. VII. Matrimonium est prorsus invalidum quia parochus neque testis est voluntarius neque requisivit consensum.

524. Cas. VIII. *Valor* matrimonii indubius est. *Licite* etiam sine ulla licentia assistit parochus, si puella servavit domicilium apud parentes, ut auctor exponit. Quodsi non contingit, petat licentiam parochus a parocho sponsi. Non suffragatur Rufinae " menstrua commoratio „ in pago, cum " paucis post diebus „ quam rediit in pagum, ibidem contrahere velit.

524. Cas. IX. Matrimonium invalidum est, cum Machutus habeat delegationem circumscriptam paroeciae S. Lupi, nec iam quod ad hoc punctum ullum privilegium est vagis. — Quin et Machutus indigebat licentia Ordinarii, ut *licite* horum vagorum matrimonio interesset.

525. Cas. X. Valor huius matrimonii " olim „ scilicet certe ante diem Paschatis 1908 contracti, diiudicandus est secundum Ius vetus, ut apud auctorem. — Nunc autem matrimonium clandestinum duorum Protestantium ubique valet, nisi obstat aliud impedimentum, v. g. consanguinitatis.

525. Cas. XI. Valor huius matrimonii, utpote sub vetere Iure celebrati, diiudicetur ut apud auctorem. — Nostris diebus matrimonium mixtum clandestinum *valide* contrahitur in Germania, dummodo sponsi ambo nati sint in Germania (S. C. C 28 mart. 1908). Extenditur ad Hungariam (1909).

526. Cas. XII. Si matrimonium de quo in casu, contraheretur post festum Paschae 1908, ubique valide iniretur; immo ubique in Germania a festo Paschae 1906 valide contraheretur (Const. *Provida*). — Quomodo autem revalidandum erit, si constat fuisse invalide contractum? Si coniuges in loco Germaniae ubi etiam pro ipsis vigebat decr. Tametsi, contraxerunt, et quidem ante festum Paschae 1906, tulerunt beneficium sanationis in radice quam concessit Const. *Provida;* quod valere videtur etiam si in festo Paschae 1906 non iam in Germania degebant. — Si autem contraxerunt extra Germaniam ante festum Paschae 1908, non sanatione in radice iuvantur quippe quae nulla concedatur in decr. *Ne temere*; nec si ignorant prioris consensus invaliditatem, renovatio consensus v. g. per protractam vitam coniugalem, matrimonium sanabit. (Theol. mor. II vol. n. 536 ad fin). Timotheus ergo, usus prudentia quam auctor describit, si iudicat omnibus inspectis matrimonium revalidandum potius quam abrumpendum, mulierem rogabit utrum, impetrata dispensatione in mixta religione, possit post abiurationem (ut ipsa melius gratiam sacramenti recipiat) cum marito se sistere parocho; quod si fieri nullo pacto possit, petat sanationem in radice.

Quod si mulier cognoverit sui matrimonii nullitatem, doceat Timotheus (ut eripiatur mulier ex angustiis, si cogitur debitum reddere) ante abiurationem posse revalidari matrimonium per renovatum consensum (puta per copulam) ab *utroque conscio* invaliditatis prioris consensus (n. 536 ad fin.). — Immo si certiorari nullo modo possit maritus de invaliditate prioris consensus, videtur in gravissimis adiunctis applicari posse doctrina de " casu perplexo „ intellecta altero sensu (n. 468, 2o).

527. Cas. I. Ex casus adiunctis, Leopoldus non videtur " parochus xenodochii „. (Cfr. supra ad Cas. IV, p. 520), quo facto tolleretur omnes difficultas. — *Si* ergo deficit tempus ad quaerendum sacerdotem competentem (qualis erit parochus S. Miniatis) vel delegationem ab eo, poterit Leopoldus valide adstare matrimonio, ex art. VII decreti *Ne temere :* legitimatio enim prolis quae per matrimonium assequenda supponitur, ratio est sufficiens ad utendum huius canonis beneficio. Et ex altera parte supponitur nullum aliud impedimentum obfuisse huic matrimonio praeter clandestinitatem.

528. Cas. II. Invalidum est matrimonium quoniam decr. *Ne temere* pro universo orbe valet.

528. Cas. III. Validum est matrimonium utpote coram parocho loci contractum. Sed, praeter caetera praestanda, nefas erat parocho ecclesiae S. Vincentii adstare huic matrimonio sine licentia parochi vel Ordinarii proprii contrahentium, si neque Albertus neque Armanda a mense in hac paroecia commorabantur.

529. Cas. IV. Matrimonium validum est. Sed ad liceitatem parochus S. Petri, quoniam nupturientes neque domicilium neque menstruam commorationem in eius paroecia habebant, indigebat licentia vel parochi sponsi, vel parochi Londinensis; vel etiam parochi quasi-domicilii sponsae non quidem ratione quasi domicilii formaliter sumpti (quod est *prorsus* neglegendum in re matrimoniali. S. C. C. 28 mart 1908), sed ratione menstruae commorationis quam in hac paroecia habebat sponsa.

534. Cas. II. Ne attendendum sit impedimentum clandestinitatis, supponas ambos esse Protestantes.

535. Cas. III. Si parochus dolose in domum Blasii invitatus, non nisi audivit, et quidem invitus, consensum matrimonialem mutuo dari, matrimonium etiam ex capite clandestinitatis invalidum erit. (Decr. *Ne temere*, art. IV, § 3).

542. Cas. III Matrimonium in Anglia *valebit* semper si contrahitur coram loci parocho ; quod si fit ante expletam menstruam commorationem, indiget parochus ille *ad liceitatem* licentia parochi proprii alterutrius contrahentium.

546. Cas. IV. 3o " Requirere et excipere consensum „ parochus debet, ad valorem. Quod valet etiam de matrimoniis mixtis. S. C. C. 27 iul. 1908.

550. Cas. VII. Prima pars solutionis, ubi supponitur matrimonium mixtum clandestinum esse validum, non iam valet nisi in Germania (et Hungaria) pro natis ibidem.

551. Cas. VIII. Ut adiuncta casus verificentur, supponas matrimonium celebratum esse sub antiquo iure.

554. Cas. IV. Addatur : Neque ex facultate facta a Pio X (n 500) poterit Ordinarius, vel parochus, vel quivis sacerdos cum Anacleto dispensare. *Haec* utique facultas non tantum concubinarios respicit Sed aliunde limitatur, scil. ad adiuncta in quibus art. VIII decr. *Ne temere* applicari possit, inter quae requiritur causa sufficiens ad matrimonium celebrandum. Iam vero talis causa deesse videtur, cum propter separationem iam factam, non

sit consulendum conscientiae neque scandalum reparandum (quin potius tale matrimonium vitandum est!). Neque legitimatio liberorum obtinenda suadebit matrimonium, cum utpote spurii per ipsum matrimonium legitimari non possint, neque, cum proveniant a persona sacra, ulla ad ipsos legitimandos sacerdoti dispensanti concessa est potestas. Facultas enim Pii X certo certius non est extendenda, quod ad legitimandi potestatem, ultra responsionem S. O. 8 iul. 1903, quod ad facultatem Leonis XIII (n. 523, 4°)

557. Cas. II. Attendendum est in quo gradu sint consanguinei. Si enim de dispensatione gradus maioris agitur (puta si Seraphina est consobrina germana Geruntii), casus dispescitur ut apud auctorem. Si de dispensatione gradus minoris sermo est, dispensatio per mendacium non vitiatur (nn. 521, 524), saltem si concessa est a S. C. de Sacram.

562. Cas. II et III. In locum Datariae succedit *Congregatio de Sacramentis.*

567. Cas. X; 568. Cas. XII; 569. Cas. XIII; 570. Cas. II; 571. Cas. III; 572. Cas. V. Loco *Datariae* et *Paenitentiariae* ponatur *Congr. de Sacram.* Ad hanc enim Congregationem nunc pertinent omnes dispensationes fori externi, sive oratores pauperes sint, sive non. — Valori tamen dispensationis " nihil umquam officiet error aut fraus (ad taxam effugiendam) circa oeconomicam petentis condicionem „. (In append. ad Const. *Sapienti consilio.* II. Ordo servandus, XI 3°, cfr. n. 528).

580. Cas. II. Prima pars solutionis ubi supponitur matrimonium mixtum clandestinum invalidum, valet nunc ubique terrarum, excepta Germania (et Hungaria) pro iis qui ibidem sunt nati (S. C. C. 18 mart. 1908). — Quibus proinde altera solutionis pars convenit.

581. Cas. I. Renovatio illa consensus *privata* in casu impedimenti natura publici sed hic et nunc occulti, sicut renovatio ab una tantum parte conscia, nunc iam parum tuta videtur, (n. 537). Recurratur potius ad sanationem in radice.

589. Cas. V. In solutione auctor praetermittit uxorem iam expertam esse plenam voluptatem : unde ad abrumpendam copulam ante viri seminationem, multo gravior causa, puta tertii adventus, requiritur. Cfr. casum similem, Theol. mor. ed. 7, n. 546.

Lovanii, 15 ianuarii 1912. I. Salsmans, S. I.

Lovanii
Typis et Sumptibus F. CEUTERICK
60, Via Vital Decoster

1912

TRACTATUS X

DE PRAECEPTIS PARTICULARIBUS

SECTIO I. — DE OFFICIIS LAICORUM

CAPUT I

DE IUDICE ET IURATIS

CASUS I

Pomponius iudex, audita causa in qua de valore testamenti disceptabatur, suffragium pro valore tulit, quamvis illud probabilius falsum esse duceret. Huius suffragii intima ratio fuit summa 5000 fr. quam ei promiserat testamentarius, si causam obtineret. In eandem sententiam ineunt e reliquis quattuor iudicibus tres. Quare testamentum declaratum est valere, et promissos nummos laetus accepit Pomponius.

SOLUTIO. — Iustitiam graviter laesit Pomponius dum sententiam tulit pro parte cui rationes minus probabiles favebant (n. 6, 2°) et muneris notabilis promissionem accepit (n. 8, VII),

Sed quanam restituendi obligatione tenetur? Pecuniam a testamentario datam restituere non debet, cum impleverit contractum turpem (Vol. I, n. 584). Damnum vero heredibus ab intestato illatum compensare debet Pomponius, et quidem in solidum, modo eius suffragium efficaciter concurrerit ad iniquam sententiam ferendam. Id certo obtinet si egit e communi consilio seu conspiratione cum tribus aliis iudicibus qui idem suffragium tulerunt, vel si suffragia data sunt secreta vel tandem si suffragium suum dedit Pomponius antequam per tria suffragia testamentario faventia maior pars iam iniquae sententiae acquisita fuerit (Vol. I. n. 540).

CASUS II

Pamphilius iudex suffragium ferre debebat in causa Martini, qui olim congregationem aliquam religiosam ingressus atque in societatem civilem ad quam legaliter pertinebant cuiusdam communitatis bona cooptatus, vestem religiosam abiecerat et coram tribunali partem suam eorundem bonorum in privatum commodum adhibenda vindicabat. Cum sententia quae Martino faveret summum detrimentum huic religiosae communitati allatura esset, aliunde vero lex apostatae suffragari videretur, dubitavit Pamphilius num suffragium suum iuxta legem ferre liceret.

SOLUTIO. — Tuta conscientia suffragium suum iuxta legem civilem ferre potest Pamphilius. Sententia enim qua pars bonorum illius communitatis Martino adiudicabitur, non directe applicatur lex iniusta: nihil aliud enim in eadem fit quam applicare casui singulari generales leges quae proprietatem privatam muniunt. Fatendum tamen est legislationem Belgii, Galliae aliarumque multarum regionum quae recusat agnoscere communitatibus religiosis ius possidendi bona in communi, malam esse, quatenus iis institutis denegat exercitium iuris quod ipsis ab Ecclesia conceditur (Vol. I. n. 610, 6°). Sed malitia illa potius negativa quam positiva est, cum nulla lege exprimatur, sed contineatur in defectu textus legalis quo hoc ius communitatum religiosarum agnoscatur. Quare non nisi valde remote conectitur cum sententia iudiciali in qua (ut supponimus) recte applicentur dispositiones in se iustae legum civilium de privato civium dominio. Nihil ergo intrinsece mali

in tali sententia reperitur, neque a iudice eam proferente datur stricto sensu cooperatio ad malum, sed potius fit aliquid in se prorsus rectum quo religiosus ille abusurus est ob malam suam voluntatem sicut huius modi declaratione bene uti posset si vellet, puta ad tuenda bona communitatis contra eos qui ea iniuste sibi vindicarent. Verum cooperaretur pravis Martini consiliis iudex qui sententiam ferret quae directe noceret iuribus communitatis, ex. gr. si iuberet eius bona vendi ut singulis co-proprietariis sua pars daretur. Attamen excusari censemus in huius modi cooperatione praestanda iudicem catholicum qui eam mere materialiter, iuxta necessarias tituli legalis proprietatis consequentias, praestaret, saltem in Belgio aliisque regionibus in quibus legislatio quae a iuribus communitatum abstrahit, iam moribus inducta est neque ab episcopis vel regularibus actu impetitur ; immo etiam a multis, ob varia incommoda et pericula, praefertur legislationi quae ius possidendi in communi monasteriis agnosceret. Nam plerumque huius modi cooperatio sine ulla boni communis utilitate denegaretur, neque a magistratibus denegari posset sine summo incommodo, immo etiam sine muneris privatione (n. 5).

CASUS III

Albinus iudex sententiam ferre debebat in causa Nicasii qui 2000 fr. petebat in compensationem infamiae qua aspersus fuerat a Sixto, famosi cuiusdam libelli auctore. Audita causa, agnovit legibus regionis et tribunalium usibus conformem esse Nicasii petitionem, sed ne displiceret potentibus Sixti amicis, rationes sententiae ita composuit ut, edita quadam retractatione in quattuor diariis, reus a qualibet multa immunis foret.

SOLUTIO. — Dubitari nequit quin graviter iustitiam laeserit Albinus, ubi sententiam manifeste iuribus actoris adversam tulit. Non est tamen ad restitutionem erga Nicasium obligandus. Etenim saltem probabile est actori non competere ius strictum ad illam multam antequam ipsi per iudicis sententiam fuerit assignata (n. 4). Neque obstat compensationis natura quam haec multa habet ob famam a Sixto laesam : nam probabilius, spectato solo iure naturae, non est compensanda fama laesa per bona alterius ordinis (Vol. I. n. 561).

CASUS IV

Maximinus, dum iurati munere fungebatur, sententiam ferre debuit in causa Cypriani qui plura incendia patraverat. Re diligenter perpensa, opinatus est Maximinus reum incendia illa reapse patrasse, sed potius instinctu quodam pravo quam libera voluntate impulsum. Nihilo minus, cum hominem societati noxium arbitraretur, neque sufficientia indicia dementiae adessent ut cum amentibus includeretur, quaestioni : Num voluntarie patrata fuerint eadem scelera, affirmando respondit aliosque iuratos in sententiam suam traxit.

SOLUTIO. — Reprobanda est agendi ratio quam Maximinus tenuit, tamquam iniusta. Etenim, dum Cyprianum libere egisse in incendiis excitandis pronuntiat, loquitur contra scientiam suam tum publicam, tum privatam. Libenter fatemur contingere posse casus in quibus communis utilitas requireret ut homines qui in reliquis rebus recte ratiocinantur et agunt, sed vitio quodam hereditario vel congenito, ad quaedam ceteris noxia impelluntur, tamquam periculosi a iudice iubeantur a civium societate removeri : quae sententia quasi intermedia foret inter absolutionem et damnationem rei (1). Verum legislatoris est media ad haec pericula removenda statuere et iuratis vel iudicibus facultatem conferre huius sententiae intermediae ferendae, quando id postulet commune bonum. Quam diu leges hodiernae vigent quae sontem damnare et innocentem seu libertatis in agendo expertem absolvere iubent, limites suae potestatis excedit et falsum affirmat iuratus qui carcerem velut poenam sonti debitam imponit homini qui esset tantum, ut periculosus, a ceterorum societate segregandus.

CASUS V

Hilarion designatus est ut, tamquam iuratus, sententiam ferret de Melchiade, pravo sacerdote, qui turpis sceleris

(1) Cfr. Ad. Prins. *Science pénale et droit positif*, lib. IV, ch. II. sect. 3 (Bruxellis, 1899), qui, licet in philosophicis principiis caeculiat, practicas applicationes huius veritatis sapienter evolvit.

accusatus erat. Qua de re certior factus Maximinus, eius confessarius, declaravit eum sub gravi teneri vel ad recusandum iurati munus vel ad licentiam ab Ordinario petendam, ne, contra Ecclesiae leges, iudicaret hominem soli ecclesiastico foro subditum.

SOLUTIO. — Hilarion, nisi munus oblatum detrectare posset, licentiam ab Ordinario petere debebat, saltem in Belgio, ubi nullo Concordato indultum est clericos ad forum civile trahi (n. 9, 2°). Attamen non consentimus Maximino, omissionem huius petitionis gravem esse opinanti. Etenim ubi officium iudicii ferendi iam lege civili imponitur, petitio huius licentiae non videtur tam severe requiri quam ubi privati clericos libere coram civili tribunali citant (n. 590) : nulla enim iam datur ratio impediendi scandali quod e iudicio constituendo oriri queat, ac proinde nullam gravem inordinationem cernimus in neglectu licentiae quae necessario concedenda erat.

CAPUT II

DE ACTORE ET REO

CASUS I

Placidus, a tribunalium strepitu alienissimus, casu quodam detexit auctorem furti notabilis, quem diu frustra quaesiverant iustitiae ministri ; brevi autem post detexit etiam quis reus esset homicidii cuius falso insimulabatur et damnandus videbatur Andronicus. Nihilo minus, utroque in casu, altum silentium servavit, quietis suae amantissimus.

SOLUTIO. — 1° Modo spes foret eum cuius bona direpta fuissent, ea recuperaturum esse, detecto fure, Placidus caritate tenebatur ad eum denuntiandum. Haec enim denuntiatio occulte fieri

potest, ac proinde regulariter nullum grave damnum denuntiantis secum trahit : quare caritas iubet ut pecuniae ablatae dominum liberet a gravi damno quod is ob furtum patratum patitur (n. 10, 2°).

2° Non tenebatur Placidus ad accusandum verum homicidam ut Andronicum liberaret, nisi sciret hunc veram causam, non meram occasionem dedisse iudicum errori (n. 16, I, 3°). Hic enim nequaquam tenebatur ad seipsum prodendum, sicut in priore casus parte tenebatur fur ad pecuniam ablatam restituendam.

CASUS II

Crispus, qui homicidium, nemine rem suspicante, patrarat, ob furtum quod non patrarat, damnatus est ut plures annos in carcere includeretur. Sed dum a tribunali ad carcerem ducebatur, mirabili sollertia, e raeda aufugit et insequentem satellitem vulneravit. Iterum comprehensus atque in carcerem detrusus, frustra custodem pecunia corrumpere nisus est, sed, quibusdam instrumentis a Stephano amico suo acceptis, ingeniosissimus homo, carcere effracto aufugit.

SOLUTIO. — 1° Licite aufugit Crispus, tum quia id probabiliter licet omnibus etiam iuste damnatis (n. 12, III), tum speciatim quia sententia contra eum lata, licet servatus fuerit ordo iuris, materialiter iniusta est. Nihil autem hic refert homicidium occulte patratum : nam quam diu huius sceleris non fuerit accusatus et damnatus, homicidium illud in ordine ad poenas a civili potestate imponendas, perinde est ac si non contigisset, quia in poena iuridica imponenda non computantur nisi scelera de quibus publice constiterit.

2° Licebat quoque Crispum leviter vulnerare satellitem a quo apprehendebatur : nam talis vulneratio vix separari potest a resistentia quae eidem licebat utpote damnato per sententiam materialiter iniustam (n. 13). Grave autem vulnus satelliti inferre non licebat nisi fundata spes esset vitandae iniustae reclusionis. Regulariter, cum talis spes absit, non licebit reo adhibere arma letalia vel aliter satellites gravi vulnere afficere : iustitiae enim graviter repugnat alii grave malum inferre sine ulla probabili spe proprii emolumenti.

3° Non peccavit Crispus dum carceris custodem pecunia

corrumpere nisus est, dummodo eum praemonuerit iniustitia sententiae qua damnatus sit, atque ita fecerit quicquid posset, ut peccatum custodis averteret (n. 12, III).

4° Neque in conscientia inquietandus est Crispus ob effractum carcerem, nisi (quod rarissimum erit) inde timendum foret gravissimum damnum commune vel custodis. Ceterum ubi carceres ea diligentia aedificantur et custodiuntur ut in regionibus plerisque hodie solet, vix umquam huius iuris exercendi occasionem habebunt carcerati. Stephanus vero illicite suppeditavit Crispo instrumenta quibus hic carcerem effregit, nisi petita fuerint tantum ad fugam sibi parandam, sine ulla violenta effractione (n. 12, III).

CAPUT III

DE ADVOCATO

CASUS I

Rigobertus advocatus multam famam nanciscitur defendendis homicidis. Hos enim tam eloquenter solet exhibere tamquam prava educatione vel consortio ad malum, velint nolint, abreptos vel ad breve tempus, ob impetum insuperabilem passionis, amentes, ut iurati semper et saepe lacrimabundi sententiam qua negetur voluntarium, proferant. Iuvenibus autem advocatis, quos in arte sua instituit, praedicat se duo habere principia : unum, omnes causas civiles quae offerantur, esse accipiendas, etiamsi prima fronte videantur evidenter iniustae, quia experientia novit huius modi causas saepe sibi visas esse postea iustas ; alterum, nullam causam semel susceptam deserendam esse, quia non raro vidit causas prorsus desperatas felicem sortiri exitum.

SOLUTIO. — 1° Non censemus per se vitio vertendum esse Rigoberto quod homicidarum patrocinium tam strenue tamque

feliciter agat, modo nullas propugnet theorias falsas, quales essent determinismus quo omnis libertas humana tollereter, vituperia humanae societatis, quasi tota niteretur iniustitiis quae hominem velut invitum in scelera trahant, etc. Nam, in singulis casibus, licite congerere potest quicquid aliquam veri similitudinem habeat, seu ad negandum factum cuius insimuletur reus, seu ad ostendendam eius irresponsabilitatem, ut aiunt (n. 14, II). Sed ubi saepe scelus excusat per vim insuperabilem passionis, haud facile cavebit ne inhaereat theoriis falsis easque propugnet. Libenter fatemur absolutiones quas advocati artibus suis obtinent, ubi manifestus est accusati reatus, praesertim si frequentes sint, nocumentum afferre bono communi : nam et viri nequam liberi manent ad nova scelera patranda, et minuitur salutaris timor quo mali vulgo a scelere deterrentur. Sed crebrae illae et scandalosae absolutiones potius tribuendae sunt imperitiae iuratorum qui serias rationes a stratagematibus advocatorum discernere nesciunt, vel nimio timore damnandi innocentem, semper absolvunt; neque propterea prohibendi sunt advocati quominus ea omnia honeste tentent quae ad liberandum reum conducere queant. Attamen non vacat culpa advocatus qui frequenter et libere inscitia iuratorum abutitur, cum detrimento societatis humanae.

2° Prius e duobus Rigoberti principiis probari nequit, si sumitur prout iacet : ratio enim agendi accommodanda est intimae persuasioni quam agens hic et nunc habet ; ergo advocatus, qui sibi videtur percipere evidenter iniustam esse causam civilem quae ipsi offertur, laederet iustitiam si nihilo minus vellet iuvare clientem in ea prosequenda (n. 14, III). Attamen si de hac apparente evidentia diffideret, propter suam vel alienam experientiam, posset huius modi causam suscipere, non absolute sed sub condicione quod, re melius inspecta, prudentem rationem pro eius veritate esset reperturus.

3° Pariter reprobandum alterum Rigoberti principium. Si enim, decurrente lite, detegit advocatus aliquam causam esse manifeste iniustam, nequit eam prosequi, etiamsi aliqua tenuissima spes foret eam a iudicibus probatum iri ; iniustus enim manet conatus, etiamsi iudices, seu errantes seu corrupti, causam iniusto actori adiudicaverint (n. 15, IV).

CASUS II

Yvo causidicus, dum a iudice interrogantur testes oppositi clienti suo Arnobio qui amasiam quandam suam ad alios

amores transgressam occidit, nihil intentatum relinquit ut eorum auctoritatem elevet. Praesertim Iulittae matronae, de impuris relationibus Arnobii cum occisa puella testanti, obiecit adulterinos nexus quos testis cum quodam viro pariter coniugato foverat. Sed a praeside tribunalis correptus est quasi iniuste privatam vitam testium detegeret.

SOLUTIO. — Licebat Yvoni quod Arnobio, si seipsum defendisset, licitum fuisset : detegere occulta testium crimina, modo speretur hac ratione succurri posse clienti (n. 12, II). Hic tamen, in casu, valde timendum est ne advocatus iustae defensionis limites excesserit. Etenim summa ignominia operit Iulittam (nisi impuri illi amores publici iuris forent) et forsan etiam eius complicem, dum eorum adulterinos nexus coram tribunali et omnibus qui acta processus sint lecturi, manifestat. Praeterea ii pravi mores sat longinquam conexionem habent cum veracitate testis : quare etiam timendum est ne sine ullo probabili emolumento Arnobii, graviter infametur Iulitta. Attamen si ea quae testatur haec matrona magni sunt momenti contra Arnobium, neque manifeste constant ex aliorum testimonio, censemus Yvoni fas fuisse ut his armis clientem suum tueretur.

CASUS III

Mopsus, advocatus, lucri cupidissimus, nullas umquam pauperum causas gratis suscipere, vel consulentibus pauperibus gratis consilium dare vult. Si quando certior fit quendam civem, dum via ferrea iter ageret, raedarum collisione aliove itineris casu vulneratum fuisse, hominem adit iubetque recusare compensationem quam viarum ferrearum administratores ei oblaturi sint, et multo maiorem petere : cuius excessum, si causam obtineat, inter ipsos per dimidias partes sint divisuri ; si vero causa cadat, nullam mercedem advocatus habiturus sit.

SOLUTIO. — 1° Mopsus non peccabit eo quod non sponte opem vel consilium suum praebet pauperibus : nam si nulli ad eum recurrunt, supponere potest eos ab aliis, utputa a iunioribus advo-

catis, pro Deo dicentibus, adiuvari (Vol. I. n. 222, 2°). Quodsi eius opem implorant, neque probabile est eos, si repulsam tulerint, apud alios advocatos auxilium assecuturos esse, peccat contra caritatem Mopsus dum iis negat cooperationem quam facile iis praestare possit : quod crebrius de consilio dando quam de causa dicenda continget. Immo etiam in iis adiunctis graviter delinqueret Mopsus si gravia damna ex eius denegatione passuri praevidirentur qui eum implorant (n. 224 seq.). Certe prava dispositio foret, nolle umquam, quaecumque adiuncta incidant, scientiae vel eloquentiae suae ope succurrere indigentibus.

2° Nihil illiciti in hoc contractu aleatorio per se habetur, neque iniustum est vulneratum ad ampliorem compensationem petendam impellere quamquam iam ea offertur quae aequa videri possit, siquidem ubi bona unius ordinis per bona alterius ordinis compensantur, vix alius limes figi potest quam qui e praxi tribunalium eruitur. Sed iniuste ageret erga vulneratos et ad damna forte oritura compensanda teneretur Mopsus, si eos ad litem intentandam incitaret spe tenuissima obtinendae amplioris compensationis, dum certum esset eos magnas molestias e lite passuros esse et probabile eos minorem assecuturos esse compensationem quam quae sponte ab administratoribus offeratur : ita enim dolose eos ad rem sibi nocivam solique advocato forsan profuturam impelleret (n. 15, V).

CASUS IV

Meleusippus advocatus Geruntio litigaturo hanc conventionem proponit : « Si causam obtinebimus, dabis mihi 5000 fr. ; si causa cadimus, 1000 tantum. » Annuit Geruntius et, lite ad felicem exitum perducta, 5000 fr. exsultanti Meleusippo detulit.

SOLUTIO. — Hoc pactum aleatorium plane licitum putamus. Etenim, nihil impedit quominus advocatus a cliente quasi in societatem vocetur, atque ita maius salarium in felici exitu, minus in adverso exitu obtineat. Neque dicas cum Gury (Cas. II, n. 9) victoriam nihil addere advocati studio et diligentiae ac proinde quicquid in casu victoriae recipiatur supra solitum salarium, sine titulo et iniuste accipi. Adest enim ratio iusta ob quam Geruntius hoc maius salarium in casu victoriae spondeat, nempe ut ita efficacius

stimuletur Meleusippus ad curam negotii plane exquisitam gerendam. Deinde in huius modi pactis solet limes inferior determinari infra iustam mercedem quae laboribus advocati respondeat ubi de certa summa saltem tacite convenit, ac proinde in spe solvendi minoris praemii compensatur clienti obligatio solvendi, in casu victoriae, pretii quod solitum superet. Neque clientes in huius modi pacta consentirent, si summa inferior iam aequaret id quod solent advocati postulare.

CAPUT IV

DE TESTIBUS

CASUS I

Metellus mercator deprehendit Nisum et Euryalum, sibi in negotiatione operam dantes, partem non ita levem mercium fraudulenter usurpasse. Minatus est utrique se eos delaturum esse ad tribunalia, ni sponte centum francos sibi solverent. Acquievit Nisus, negavit Euryalus. Hunc ergo coram iudice citavit Metellus ; Nisus vero tamquam testis vocatus est. Verum Metelli advocatus, nescio qua imprudentia, manifestavit alteri advocato qui Euryali patrocinium susceperat, Nisum esse furti participem. Quare praevidens hunc advocatum esse hac exceptione usurum, Nisus rogavit confessarium suum num, infamiae vitandae causa, iuratus asserere possit se nihil e Metelli bonis surripuisse.

SOLUTIO. — Licite id negari a Niso consemus. Non tenetur enim fateri rem quae occulta est, manifestata autem ipsum magna infamia aspergeret et a multis occupationibus, ob amissam fiduciam, arceret (n. 17, 4°). Neque ex eius negatione ullum damnum innocentis vel commune sequetur, sed potius iusta sontis damna-

tio. Neque falsum testimonium dicet : potest enim iure merito furtum a se patratum negare, eo sensu quod istud fateri non teneatur, prout ex adiunctis prudens quisque colligere potest (Vol. I, n. 417). Revera ubi tali interrogatione vexatur Nisus, reum agit potius quam testem, ac proinde, sontium instar, crimen a se admissum negare potest (n. 11).

CASUS II

Silvius ruricola bis coram tribunali tamquam testis citatus in causa furti, bis asseruit iuratus se nihil scire, quamquam noverat delictum reapse a reo fuisse patratum. Prima vice id egit, quia speciali amicitia cum reo coniunctus erat ; altera vice, quia timebat eius vindictam si damnatus ob eius testimonium, poena peracta, in pagum rediret. Hinc factum est ut neutro in casu bona furto sublata ad dominum suum redierint.

SOLUTIO. — 1° Graviter contra religionem peccavit Silvius ubi, ob amicitiam quam cum reo fovebat, negavit scire delictum quod commissum fuisse noverat (n. 16, II). Ubi vero idem negavit timore vindictae, res non ita clara est. Videndum quantum damnum et quam probabiliter sibi inferendum timeret ; cum hoc damno quasi ponderandum erit detrimentum quod ex omisso testimonio immineat aliis, utputa domino rei furto sublatae, vel aliis quibus probabiliter nociturus sit reus, si non damnetur. Si vere probabiliter timet sibi grave damnum ad homine violento et post tempus sat breve e carcere exituro, aliis autem non nisi mediocre damnum ob omissum testimonium imminet, videtur Silvius a periurio excusatus (n. 17, 4°). Numquam tamen huius modi excusatio haberetur si reus, dato testimonio, ad multos annos damnandus esset : cum, in hoc casu, tenuis est vindictae probabilitas.

2° Neutro in casu tenetur Silvius ad compensandum detrimentum quod forte oriatur domino rei furtivae : siquidem probabilius ad testimonium ferendum non tenebatur e iustitia commutativa (n. 16, II). Excipe si quando declaratio Silvii aequivalebat negationi culpabilitatis rei, quia in iis adiunctis versabatur ut si ipse rem nesciverit, non potuerit a reo patrari : nam, in hac hypothesi, huius modi negatio acquivaleret falso testimonio positivo (n. 18, IV).

CASUS III

Calpurnia apud Blasium confessarium se accusat quod ante tres annos, immani odio impulsa, atrociter calumniata est Gaium sacerdotem, quasi ipsam stuprare voluisset : qua calumnia decepti iudices innocentem sacerdotem ad carcerem plurium annorum damnarant. Nunc tandem facti paenitens petit quid sibi agendum sit ut calumniosum testimonium reparet.

SOLUTIO. — Interroganda erit Calpurnia utrum sacerdos ille adhuc poenas immeritus luat an per mortem, fugam, gratiam obtentam etc. libertatem recuperaverit. Si poenas adhuc luit neque brevi tempore e carcere emittendus est, tenetur paenitens ad omnia tentanda quae utilia esse possint ad eum poena et ignominia liberandum. Nam, etiamsi ipsa ob falsum testimonium gravi poena plectenda est, haec poena certe non erit maior quam ea quam innocens sacerdos luere debet, attenta praesertim gravissima infamia qua aspersus est et quae etiam in commune catholicae Ecclesiae dedecus redundat. Attamen, antequam magistratus adeat paenitens, examinandum erit, pro legibus regionis et probationibus allatis, num sperare liceat processum irritatum iri : qua de re paenitens vel, ea consentiente, sacerdos secreto consulere poterit advocatum in his rebus peritum. Si nulla spes revocandae iniustae sententiae suppeteret, saltem mediis extra-iudicialibus conandum esset ut fama innocentis sacerdotis repararetur, ex. gr. nuntiis in publicis ephemeridibus insertis, vel etiam ut citius e carcere emitteretur, ex. gr. implorando opem eorum qui hanc gratiam largiri possent. Quodsi libertatem iam recuperavit sacerdos, sed nondum e vivis excessit, plerumque manebit obligatio publice retractandi infamem calumniam : nam generatim infamia inde orta Gaius plurimum vexabitur atque impotens manebit ad ministeria vocationis suae obeunda. Si tamen iam e vivis excessisset vel in remota regione cum fama honesti viri sacro ministerio vacaret, concedi posset Calpurniae ut retractationem suam, saltem ad tempus, omitteret : nam in his adiunctis facile fiet ut multo graviora sint mala quae e retractatione immineant Calpurniae quam quae e calumnia adhuc urgeant Gaium (n. 18, IV). Quodsi mulier illa huius modi confessionem in mortis articulo faceret, certe deberet con-

sentire ut per sacerdotem aliumve eius retractatio publici iuris fieret, etiamsi sacerdos iam obiisset : nam, in hoc casu, nequit damnum quod eius fama passura est dici maius quam quod e calumnia pati pergit sacerdotis fama.

CAPUT V

DE MEDICIS ET CHIRURGIS

CASUS I

Seius medicus, qui diu curam Lambino, viro diviti sed avaro, impenderat, frustra ab eo laboris sui mercedem postulavit. Quare cum iterum in morbum gravem incidisset Lambinus, Seius, ab uxore aegrotantis accersitus, ire noluit. Sed mox, ubi audivit Lambinum absque ullius medici auxilio mortuum esse, timere coepit ne huius mortis reatum coram Deo contraxisset atque ad pedes confessarii provolutus veniam exoravit.

SOLUTIO. — Graviter peccavit Seius, si novit et attendit eo tempore quo ipsius auxilium petebat, nullum esse alium medicum sive in eo loco, sive in loco vicino, qui tempore opportuno ad Lambinum invisendum accedere posset : defuit enim gravi obligationi succurrendi proximo in extrema necessitate versanti (Vol. I, n. 223). Neque ullo gravi incommodo ab hac ope ferenda excusatur : non enim certum est eum etiam nunc mercede cariturum esse, siquidem, si moritur Lambinus (ut saltem probabile est), habebit ius privilegiatum (C. C. a. 2101) ad laboris sui compensationem ab heredibus obtinendam. Immo, etiamsi mercede carere debeat, hoc incommodum nequaquam sufficere existimamus ut liberetur ab officio quod, ob instantem necessitatem, gratis praestare debeat aegroto qui cuilibet mercedi tribuendae impar sit (n. 21, VII). Cfr. Gury, Cas. Consc. II. n. 27.

CASUS II

Pantaleon medicus, dum Wilfridi graviter aegrotantis curam agebat, existimavit nullam aliam spem salutis remanere quam remedium violentum quod brevi tempore vel mortem vel sanitatem daturum esset. Sed haesitantis timidaeque indolis erat Wilfridus : qui, si periculum illud mortis brevi secuturae novisset, numquam consensum praebuisset applicando remedio. Quare nihil praemonitum hominem Pantaleon per hanc periculosam viam ad sanitatem reduxit.

SOLUTIO. — Supponimus hic agi de remedio quod nullum inducit tam subitaneae mortis periculum ut aegroto defuturum sit tempus recipiendi ultima sacramenta. In hoc casu existimamus non esse vituperandum Pantaleonem quod consensum aegroti petere omiserit, modo reapse magna sit spes felicis exitus. Hac enim condicione posita, prudentia prorsus suadebat ut medium quod unicum prostabat tentaretur. Quare verae utilitati Wilfridi consuluit medicus dum eum, omissa monitione, servavit ab irrationabili denegatione quam, ob haesitantem indolem, consilio medici opposuisset. Niti potest Pantaleon consensu quodam interpretativo aegrotantis ut ei occultet periculum cuius cognitio ei magnum detrimentum inferret. Hinc tamen ne concludas idem fieri posse cum homine prorsus invito : nam quilibet consensus interpretativus excluderetur si Wilfridus, cognito periculo, expresse recusaret remedium adhibere (n. 20, III).

CASUS III

Eusebius chirurgus operationem quandam facturus erat in qua, iuxta experimenta hucusque facta, non nisi unus e mille qui eam subierant subita morte correptus erat. Hanc cum iam saepius ipse peregisset et semper felici exitu, statuit iam non admonere aegrotantes ut conscientiae suae consulerent, ne eos frustra in magnam perturbationem coniceret.

SOLUTIO. — Eusebius graviter iustitiam laedit hoc importuno silentio, nisi forte is qui operationem passurus est, ex iis utique paucis christianis sit, de quorum immunitate a peccato gravi nullum fundatum dubium oriri possit. Nam, licet hic periculum mortis non sit probabile, merito tamen unusquisque aegrotus censendus est invitus quominus in illud coniciatur imparatus. Agitur enim de re omnium summa, nempe de aeterna felicitate vel damnatione : quam nemo prudenter ulli serio periculo obicit. Accederet nova iniustitiae ratio si aegrotus ex iis esset qui probabiliter temporales quasdam dispositiones sumere deberent, ut contingit patribusfamilias, magnorum negotiorum administratoribus, etc. Raro excusaretur medicus a monitione illa facienda quia aegrotus nihil illam curaturus esset : licet plures sint qui nihil acturi sint ut conscientiae suae vel rebus temporalibus provideant quando norint periculum non nisi remotum esse ; raro quoque incommodum grave erit in denuntiando eodem periculo. Attamen, si satis constaret ex indole aegrotantis nihil eum de periculo curaturum esse, non nisi leviter peccaret Eusebius dum monitionem omitteret.

CASUS IV

Rudolphum chirurgum qui magnam peritiae famam in quadam civitate obtinere coeperat, consuluit Bonaventura, vir ditissimus, cuius intestina cancro rodebantur. Respondit Rudolphus unicam spem salutis esse in magna quadam ventris sectione : periculum tamen magnum esse ne aegrotus in ipsa operatione morte corripiatur, ac proinde periculum quoque fore famae suae, ne tamquam temerarius haberi incipiat ; propterea petere se 35000 fr. ut operationem illam exsequatur. Consensit condicionibus Bonaventura, atque in ipsa operatione animam exhalavit. Heredes vero pecuniam de qua convenerat, tamquam nimiam, solvere recusarunt.

SOLUTIO. — Iustitiam non laesit Rudolphus ubi 35000 fr. pro hac operatione facienda postulavit, modo reapse serium periculum e malo eiusdem exitu eius famae immineat. Famam enim propriam

pro alterius salute periculo exponere ex iis actionibus est quae, cum raro fiant, pretium determinatum non habent nisi e contrahentium conventione. Neque pecunia a Rudolpho postulata tam magna est ut a priori irrationabilis censenda sit : nam praeter ipsius famae iacturam, non leve detrimentum in bonis fortunae pati potest Rudolphus qui, ob exortam peritiae famam, veri similiter pingues reditus obtinebit (Vol. I. n. 634, VII). Quodsi Rudolphus non aliter quam pro tanta mercede operationem illam exsequi voluit, id merito censebitur sordidum et illiberale : stricte tamen caritati non adversatur, cum nullo iure teneatur chirurgus propriam famam exponere in facienda operatione cuius exitus tam incertus sit. Quare immerito recusant heredes pactam mercedem : quae certe non pendet a felici vel infelici exitu remediorum vel operationum.

CASUS V

Eleutherius medicus peritissimus vocatus est ad curam suam impendendam Gratiano, qui cum tota familia sua iam dudum a religione alienissimus vivebat. Cum magnum mortis periculum aegroto immineret, saepe cogitavit de monendo Gratiano ut rebus suis ordinem imponeret ; semper tamen distulit monitionem, ne a familia dimitteretur. Sed ecce mors repente aegrotantem, nullis receptis sacramentis, oppressit. Eleutherius vero anxius esse coepit ne forte eius damnationis causa foret.

SOLUTIO. — Caritas erga Gratianum, in gravi necessitate spirituali versantem, profecto postulat ut Eleutherius faciat quicquid sine gravi incommodo facere potest ut ei succurrat (Vol. I. n. 217, IV). Quare saltem consanguineos monere debebit de necessitate quae urget monendi aegrotum ut tempore quod ipsi supersit utatur ad res suas sive temporales sive spirituales componendas : in hac enim monitione nullum est periculum tantae offensionis ut propterea dimittatur medicus. At, si consanguinei (ut veri similius est) declarant velle se ut Gratianus in pace moriatur, nihil de periculo praemonitus, tenebiturne Eleutherius ut aegrotum ipse moneat ? Sane consulendum est ut, etiam cum exigua spe successus, moneat, quovis humano respectu seposito ; ad quod etiam

stricte obligabitur si aegrotus potius libidine vel consuetudine quam obfirmata malitia a religione remotus vixisse videtur ac proinde solida spes est fore ut monitus de imminente periculo resipiscat. Neque generatim timor dimissionis ab hoc officio excusabit, cum dimissio illa plerumque censeri nequeat grave incommodum medico qui aliorum clientium ope satis sibi providet. Si vero ipse aegrotus cognosceretur aeque vel magis obfirmatus in sua impietate vel indifferentismo quam eius consanguinei, non censemus carpendum esse Eleutherium si monitionem omittat. Timor enim ne dimittatur, si contra voluntatem familiae aegrotum moneat, minime inanis est, ut audivimus a peritissimo medico qui rem experientia didicerat. Quare non videtur in rigore obligari Eleutherius ad hoc incommodum subeundum quando moraliter certus est monitionem, praesertim semel factam et a consanguineis oppugnatam, nullius fore utilitatis (n. 21, VI).

CAPUT VI

DE ERIS ET OPIFICIBUS

CASUS I

Avitum tabaci mercatorem, pluries frustra rogaverant eius operarii ut dimitteret quosdam operarios, qui non pertinebant ad societatem quam inter se efformaverant, et quasdam mulieres, quas patronus minore salario conduxerat quam quod viris dari solebat. Quare a labore omnes simul cessarunt qui eam societatem conflabant : quodlibet vero commercium abruperunt cum iis qui in labore pergebant; qui sicubi in cauponis occurrebant, caupones iubebant potum cibumque iis denegare, et si huic mandato obtemperare recusabant, cauponam derelinquebant.

SOLUTIO. — 1° Iusta censeri nequit illa cessatio a labore, nisi Avitus abutatur opera eorum qui ad societatem operariorum non

pertinent, vel mulierum, ut reliquorum salarium infra iustum salarium huius loci deprimat. Nam nullum ius competit operariis ad cogendum erum ut nullos alios quam suae societatis membra adhibeat : quod quandoque poscunt ut postea facilius erum ducant quocumque voluerint. Erus enim privari nequit iure, quod ipsi e lege naturali et civili (saltem in regione nostra) competit, adhibendi quoslibet ad opera peragenda. Licite tamen a labore cessarent operarii coadunati, si erus ceterorum et mulierum subsidio uteretur ad salarium deprimendum infra taxam summam loci; sicut iuste, ceteris servatis, a labore cessarent ad obtinendum salarium summum, si infimum vel medium tantum acciperent (n. 22, III, 3°).

2° Caritatem per se graviter laedunt operarii coadunati ubi ceteris signa etiam communia caritatis negant : inter quae profecto illud est, ne morali coactione prohibeant caupones quominus illis praebeant cibum potumque. Idem dicendum etiamsi forte illis imputandum esset quod erus conetur salarium infra infimum deprimere (n. 22, III, 2°).

CASUS II

Meletius, magnae cuiusdam officinae operarius, socios suos ad laborem cessandum hortatur quia pretium machinarum quibus conficiendis operam dant 20 % crevit ideoque lucra maxima Melchiori patrono attulit, hic vero vix 5 % augere vult operariorum salaria. Eius incitamentis impulsi, operarii fere omnes a labore cessarunt. Melchior vero iratus declaravit nullum ex iis qui postridie ad laborem non rediissent umquam in suam officinam rediturum esse.

SOLUTIO. — 1° Ubi fit ante elapsum tempus ad quod erant conducti operarii, iniusta est illa cessatio a labore, nisi salarium quod Melchior iis solvit sit infra infimum quod in ea regione pro hoc genere laboris dari solet. Etenim maiora lucra quae a patrono acquiruntur iniustum reddere nequeunt pretium laboris quod, ab iis abstrahendo, iustum foret : siquidem ad participationem in beneficiis nullum strictum ius habent qui salario conducti sunt (Vol. I, n. 645, I). Aequum profecto est ut, si huius modi maiora lucra diu percipiuntur, neque necessaria sunt ad compensanda

praeterita detrimenta quae passi sint patronus vel alii qui capitale suum in hac officina collocarint, etiam operariorum salario aliquid, proportionatum maiori lucro patroni et capitali, accrescat. Huius modi augmentum pacifica potius ratione a libera Melchioris voluntate obtinendum est. Quodsi tamen cessatur a labore post determinatum contractu tempus, iniustitia committi non videtur, cum nihil iniusti postulent operarii, neque mediis iniustis, qualis vis esset, utantur. Attamen saepe laedent caritatem tum propter damna ero oritura nisi morem ipsis gerat, vel propter moralem coactionem, tum propter damna quae multi operarii inde passuri sunt.

2° Melchior iustitiam non laesit cum nullo iure teneretur ad recipiendos iterum in suam officinam operarios qui eandem deseruerant. Attamen caritatem laesit si inter eos qui ad laborem sequenti die non rediissent quidam essent qui tantum ceterorum metu (ut saepe contingit operariis honestis, sed timidis) a labore resumendo impediti sint, exclusi vero ab officina, cum familia sua egestate premantur. Facile enim et sine ullo proprio gravamine eos iterum in officinam suam recipere potest patronus : quod ut faciat, caritas iubet (Vol. I, n. 224 et 356, 5°), nisi forsan pacifici illi viri pauci essent inter multos atque aegre ab iis discerni possent.

CASUS III

Omnes operarii typographici civitatis N. in societate quadam coadunati, communi consilio statuunt omnes operarios a labore cessaturos esse in qualibet officina quae machinam typographicam, plurium operariorum laborem supplentem, adhiberet. Quam cum adhibuisset Nigronius typographus, rogavit Zeno operarius confessarium suum num liceret sibi cum sociis ab illa officina discedere.

SOLUTIO. - Si contractus servatus est, cessando ab opera ubi iam tempus determinatum elapsum est, non sunt iniustitiae rei operarii. Modo irrationabili et imprudenti agunt et caritatem laedunt ; sed quem ad modum erus iure suo utitur ubi vult novam machinam adhibere, operarii ius suum strictum non excedunt, ubi nullo iam contractu ligati, operam locare nolunt. Igitur, non iniustum quidem, sed per se illicitum est Zenoni commune consilium exsequi.

CASUS IV

Demetrius, qui in officina sua adhibere solet fere centum operarios, sat pinguia salaria iis tribuit eosque benigne tractare et egentes subsidiis iuvare solet. Sed, cum a pluribus aliis patronis certior factus sit operarios in societatem suae artis coadunatos (*syndicat*), primipilis socialistis, legem patrono suo imponere velle, absolute vetat suis ne quamlibet operariorum societatem ingrediantur, ingressos vero iubet alterutrum eligere, aut a societate illa aut ab officina discedere.

SOLUTIO. — Si abstrahimus a particulari ratione ob quam timendi sint abusus illius potestatis quam operarii conflata societate acquirunt, erus non recte agit dum eos ab huius modi coadunatione prohibet. Ipsis enim ius est, perinde ac patronis, ineundi coetus quibus, legitima ratione, iura sua prosequantur et iniurias propulsent : quod ius manifeste iisdem agnoscit Leo XIII, in Encycl. Litt. de cond. opif. dum principium generale proclamat : " Privatas societates inire concessum est homini iure naturae „ et speciatim collegia ex opificibus conflata laudat tamquam accommodata ad solvendas quaestiones maxime salebrosas, praesertim iusti salarii. Quapropter, stante contractu locationis operis, iniustus erit erus, si dimittit operarios propterea quod iure suo uti voluerunt. Sed antequam novum contractum ineat, potest illaesa iustitia commutativa eos tantum eligere operarios qui renuntiaverint exercitio huius iuris, quod sane facere possunt. Peccabit plerumque adversus caritatem, praesertim reactione morali qua eos sic adigit ad hanc renuntiationem faciendam. Attamen hoc ius non protenditur ad eas societates quae, spiritu odii et invidiae potius quam christianae caritatis ductae, relationes inter eros et operarios perturbant, nedum eas recto ordine componant, vel quae in iis adiunctis et ex iis elementis conflantur e quibus moraliter nihil aliud quam immodicae contentiones et eversio cuiuslibet patronalis auctoritatis exspectari queat. Neque haec hypothesis chimerica est : ubi enim dominantur Socialismo addicti operarii, associationes illae eiusdem artis operariorum a ducibus huius perversae factionis consilium capere et dirigi solent ; unde evadunt

valida instrumenta quibus nefariae illius sectae coryphaei utentur ad dominationem suam patronis imponendam. Igitur, si haec sunt adiuncta in quibus versatur Demetrius, non est vituperandum eius consilium prohibendi ne eius operarii tales societates ingrediantur. Sed reprehendendus esset si prohibitionem illam, quam ad tempus tantum et pro determinatis adiunctis facere potest, modo universali efferret, vel si eam practice extenderet etiam ad illas societates quae, ob moderationem qua se iam probarunt vel sapientes viros a quibus diriguntur, nullum dubio locum relinquunt de christiano spiritu quo imbuantur (n. 23. IV).

CASUS V

Crispulus, cum iam dudum multas molestias passus esset ob tricas et iugiter renascentes postulationes operariorum suorum qui societatem quandam socialistico spiritu imbutam inierant, statuit omnes dimittere, neque iam ullum ex iis iterum recipere : quod consilium exsecutus est, animo flecti nescio, quamquam a multis uxoribus lacrimabundis rogatus est ut maritum, quaslibet condiciones admissurum, in officinam redire sineret.

SOLUTIO. — Haec universalis operariorum expulsio *(lock-out)* nulla manifesta necessitate cohonestatur, ac proinde graviter adversatur caritati (n. 24, IV), nisi operarii dimissi facile reperturi sint aliam officinam in qua operam suam pro congruo stipendio collocent. Etenim sicubi operarii, societate inita, iniquis postulationibus et spiritu rebellionis patronum vexant, id semper paucis quibusdam ducibus tribuendum est, a quibus ceteri, pecudum more, ducuntur. Ideo satis erat Crispulum hos duces ex officina expellere; ceteros vero, non nisi postquam abnuissent ab iis factiosis ducibus separari. Pariter caritati deest Crispulus ubi operarios laborem instaurare cupientes et quibusvis condicionibus subscribere paratos admittere recusat, ea tantum ratione ductus quod olim cum ceteris in eandem societatem coiverint. Secus dicendum foret si personalia quorundam facinora probarent non posse eorum promissis fidem adhiberi. Quatenus liceat Crispulo exigere ut operarii sui societatem illam deserant vel novam reconstituant, satis dictum est in casu praecedenti.

CASUS VI

Tarasius actionarius erat societatis ad vitrum conflandum institutae. Quondam audivit multos operarios huius societatis officinis addictos cogi ad laborem diebus dominicis praestandum ; officinas autem scatere blasphemiis et turpibus sermonibus quibus subordinati duces (*contremaîtres*) stimulos addunt, nedum ea prohibeant ; tandem tam malum inde oriri spiritum ut, si quis christianis moribus imbutus operarius aliquandiu in iisdem laboret, fiat pessimus Socialista. Hinc secum quaerere coepit num tuta conscientia posset pergere in percipiendis actionum suarum emolumentis.

SOLUTIO. — Per se tenetur Tarasius impedire ne pergat huius modi administratio officinarum. christianis moribus adversa : nam actionariis merito imputantur mala illa quae patrantur ab eorum mandatariis, nempe ab administratoribus et directore. Immo etiam iam plurimum defuit officiis caritatis et iustitiae Tarasius si de modo quo administretur huius modi societas nullam curam gessit, nihil aliud quaerens quam ut pinguia lucra quotannis ex actionibus suis obtineat : nisi ab hoc peccato excusetur, ut etiam multis contingit, quia obligationem illam vel nullatenus vel non satis clare percepit. Atque hanc obligationem per se gravem esse liquet. Ab ea tamen excusaretur si, ob exiguum numerum actionum quas detinet vel manifestam pravam voluntatem eorum qui maiorem partem actionum detinent, constaret irritos fore conatus quos adhiberet seu ad obligandos administratores et directorem ut abusus illos emendent, seu ad constituendos alios administratores vel directorem, si ab iis qui nunc negotiis praesunt emendatio sperari non posset. Sed cavendum ne citius quam par est se excusatum reputet : nam saepe, quod suo tantum suffragio efficere nequit, obtinere poterit si adeat unum alterumve ex iis qui magnam actionum partem detinent et, cum catholice vivere velint, parati praesumuntur iuvare eum qui abusuum illorum (quos forte penitus ignorabant) emendationem postulabit. Fucum quoque sibi faceret Tarasius si exiguum laborem quem in sollicitando horum actionariorum auxilio assumere debeat, satis gravem reputet ut se excusatum existimet ab impe-

diendis malis tot et tantis, quae, cum multarum animarum pernicie, ipsius nomine patrantur : quae proinde non tantum ex caritate, sed vi earundem virtutum ad quas violandas operarii coguntur vel impelluntur, impedire tenetur. Quodsi valde exigua spes foret medendi abusibus illis, quia actionarii praecipui nullam curam de religione et moribus gerunt, vel industrium quendam sed impium directorem omnino servare volunt etc., nonnisi leviter peccaret Tarasius si conatus omitteret qui fere certo futuri essent irriti (n. 23, V).

Inter abusus in casu propositos illi potissimum imputandi sunt actionariis qui a sola directione operis pendent, nempe labor diei Dominicae habitualiter sine vera necessitate operariis iniunctus : unde naturaliter sequitur non tantum quietis festivae violatio, sed cuiuslibet religiosae vitae exstinctio inter operarios. Reliqui quandoque magis imputandi sunt pravis moribus ipsorum operariorum : quibus directores saepe, sed non semper, remedium apponere possunt.

CASUS VII

Ubaldus, vir ditissimus, bona sua omnia gerenda committit Ioachimo rei argentariae peritissimo. Hic mobilia bona Ubaldi collocat in aliqua societate anonyma cuius operarii sub respectu religionis morumque pessime diriguntur. Utrumque sollicitaverat bonus quidam sacerdos, qui tanta mala lugens spectabat, ut meliorem directorem constituendum curarent : sed frustra. Ubaldus respondit se plenam bonorum suorum administrationem Ioachimo relinquere, neque iis rebus intervenire velle ; Ioachimus vero, numquam sibi laborandi finem adfuturum si curare deberet de cognoscenda et emendanda directione omnium societatum industrialium quarum actiones pro multis divitibus emit venditque.

SOLUTIO. — 1° Nihil valet ratio ab Ubaldo allata : nihil enim aliud est quam inanis praetextus quo ignaviam suam velat ut opulentos reditus percipere et iucunde expendere possit quin impleat officia quae e magnis opibus oriuntur. Nihil enim conferre potest translata, ad maiorem quietem habendam, bonorum admi-

nistratio in Ioachimum, ut ab offiicis actionariorum liberetur: siquidem Ubaldi, non autem Ioachimi, mandatarii manent societatis illius administratores. Ipsi ergo incumbit onus vel per se vel per alium, quem etiam mercede soluta conducat, curare ne pergant tot tantaque mala eius nomine fieri. Atque haec obligatio veri similiter gravis erit, cum multas actiones vir ditissimus possideat (n. 23, V).

2° Ioachimo reapse per se non incumbit obligatio curandi de morali societatis illius administratione. Ipse enim, ex iustitia et vi contractus cum Ubaldo initi, non tenetur nisi ad administranda huius bona sub respectu temporalis lucri: hic enim solet esse ambitus contractus qui iniri solet inter dominos bonorum et eos qui vicariam eorum curam in se suscipiunt. Attamen si Ubaldus ab initio Ioachimum rogasset ut de bonis suis eam prorsus curam gereret quam verus dominus gerere deberet, teneretur negotiorum gestor ad eam quoque moralem curam assumendam, quae profecto inter domini officia recensetur. Atque etiamsi haec insolita declaratio facta non fuerit, tenebitur Ioachimus ex caritate admonere Ubaldum de moralibus detrimentis quae ab eius mandatariis patrentur, nisi noverit eum aliunde iam probe edoctum esse de eadem re, vel admonitionem, propter manifestam eius impietatem aut indifferentismum, certo inutilem fore (Vol. I. n. 219).

SECTIO II. DE OFFICIIS CLERICORUM

CAPUT I

DE VOCATIONE AD STATUM CLERICALEM

CASUS I

Maximianus adulescens, humaniorum studiorum curriculo paene emenso, Ioviniano confessario suo manifestat consilium quod ceperat ingrediendi seminarii clericorum. Sed consi-

lium illud probare prorsus detrectavit Iovinianus, quia paenitens, dum in scholis latinis inferioribus versabatur, duobus annis in peccatis turpibus solitariis inhaeserat, atque in eadem adhuc interdum, ultimis studiorum annis, relapsus erat. Frustra lacrimas precibus addidit Maximianus : nullum aliud responsum dedit Iovinianus quam obstare conscientiam suam ne rem paenitenti noxiam probaret.

SOLUTIO. — Errat profecto Iovinianus dum ita pium iuvenem a servitio altaris removet, nisi alias rationes in casu non expositas et raro occurrentes habeat ; adhuc gravius erraret si paenitenti denuntiaret eum sub gravi prohiberi quominus seminarium ingrediatur. Etenim, cum minime instaret sacri ordinis susceptio, sed ei praemittenda essent per tres quattuorve annos studia philosophica et theologica, saltem aliquod experimentum permittendum erat ei qui aliunde recta intentione ductus videatur (ut supponimus) : si enim iam magna ex parte se ipsum emendavit dum humanioribus studebat, magna spes est fore ut se plenius emendet dum studiis altioribus vacabit, vocationis clericalis stimulo excitatus. Quodsi forte in pristinas vel peiores culpas crebro relaberetur Maximianus (quod tamen veri similius non continget), poterit sine magno incommodo a confessario quem habebit iuberi, ut ad saeculum redeat. Igitur, etiamsi a prohibitione prorsus arbitraria abstineat Iovinianus, saltem nocivum consilium paenitenti praebet. Nocet adulescenti cuius saluti, secundum ea quae humana coniectura praevideri possunt, multo magis proderit inter clericos adnumerari quam inter laicos manere, maximo indifferentismi religiosi et morum corruptionis periculo ; nocet Ecclesiae, cui eripit spem assequendi pii fidelisque sacerdotis. Cfr. Gury, Cas. Consc. n. 39 seq.

CASUS II

Honoratus, dum in seminario clericorum theologiae studebat, pravas consuetudines peccati solitarii, quibus antea diu irretitus fuerat, partim emendavit, sed numquam penitus evacuavit : nam post unum alterumve mensem caste transactum, iterum per hebdomadas aliquot a daemone luxuriae

vincebatur. Instante subdiaconatus ordinatione a Palemone confessario iussus est sub gravi a suscipiendo s. Ordine abstinere usque ad proximam ordinationem. Mansit nihilo minus in seminario Honoratus atque inter exercitia spiritualia ordinationi praevia Canutum a quo tradebantur adiit : cui cum lacrimabundus exposuisset firmissimam suam sese emendandi voluntatem, periculum infamiae si s. Ordinem recipere differret, ineptitudinem ad alium statum decenter arripiendum etc., tandem consensum tulit.

SOLUTIO. — 1° Videtur Palemon aequo severius egisse dum paenitentem stringenti praecepto iussit a suscipiendo s. Ordine abstinere, nisi noverit eum, ob indolem debilem, pigritiam, solidae pietatis defectum vel similia, parum aptum esse ad ferenda vitae sacerdotalis onera. Etenim, quamquam timendum est ne post receptum s. Ordinem Honoratus relabatur fere sicut in seminario lapsus est, si tamen reliquas dotes boni clerici habet, non videtur deesse probabilis spes emendationis sufficientis ut saltem habitualiter castitatem servaturus sit : quod sufficit ut desit stricta obligatio differendae susceptionis ordinis sacri (n. 26). Sane utiliter hortabitur confessarius adulescentem ut a proposito amplectendae vitae sacerdotalis absistat (n. 27), saltem subdiaconatum suscipiendum differat donec pleniorem sui emendationem obtinuerit. Sed si adulescens a consilio resilire denegat, non putamus eum sub gravi ad id faciendum obligari posse etiam a confessario qui iudicet consultius fore ut a s. Ordine suscipiendo, saltem ad tempus, abstineat : siquidem nihil sub gravi imponere potest confessarius quod non obliget e lege naturali vel positiva (n. 360).

2° Canutus laudandus est si consensum dedit tantum postquam diligentissime adulescentem interrogavit atque ex eius responsis certior factus est prudenter sperari posse eum, saltem habitualiter, caste victurum esse ; neque ab eo omittendae essent hortationes ut a sacro Ordine accipiendo in perpetuum vel ad tempus abstineat Honoratus. Imprudenter vero egit si consensit victus lacrimis atque supplicationibus adulescentis potius quam seria persuasione ductus, vel si festinanter iudicium illud protulit : nam cum in casu plura adiuncta sint quae grave dubium inicere possint de perseverantia Ordinandi in castitate clericali, ordinarius vero adulescentis confessarius iusserit eum a sanctuario ingrediendo abstinere,

temerarium foret contrariam sententiam proferre antequam omnia casus adiuncta diligenter perpensa fuerint. Quin etiam, si, re mature perpensa, Canutus dubius haereret de dispositionibus et moralibus viribus paenitentis (prout facile continget confessario qui semel tantum paenitentem aliunde ignotum audit), censemus eum prudentia cogi ut a iudicio confessarii ordinarii non discedat : ne temere det consilium e quo gravia damna paenitenti atque ipsi ordini sacerdotali oriantur.

CASUS III

Proculus, s. Theologiae alumnus, instante ordinatione subdiaconatus, Blasium confessarium rogavit num tuta conscientia s. Ordinem suscipere posset. Respondit Blasius se neque probare, neque improbare audere consilium : dubium se haerere de vocatione paenitentis ad statum sacerdotalem, tum ob indolis levitatem et mutabilitatem, tum ob quaedam peccata, sat rara tamen, luxuriae in quae iam Seminarista incidisset. Adiit Proculus alium confessarium Bonifacium nomine : qui respondit sibi non satis notum esse paenitentem ut ei daret solutionem a qua ordinarius confessarius refugeret. Tandem ipse Proculus, cum sibi videretur ferendis oneribus clericalibus aptus, confidenter ad ordines suscipiendos accessit.

SOLUTIO. — 1° Carpendus omnino Blasius qui, cum plene perspectam haberet paenitentis conscientiam, debuisset solutionem practicam dare, minime vero abstinere a solvendo dubio quod solus ea qua par est sollertia poterat. Quodsi, perpensis omnibus rationibus quae obstare videbantur Proculi ordinationi, dubium manet num ab ea suscipienda abstinere teneatur, moneat iuvenem non fore eum graviter peccaturum si, cum bona voluntate ferendi omnia onera clericalia, suscipiat s. Ordinem ad quem legitime in exteriore Ecclesiae foro admitti possit. Addat (si expedire iudicabitur) consilium abstinendi vel differendi, si prudenter timet ne Proculus futurus sit sacerdos sibi molestus et Ecclesiae parum utilis (n. 27, 3°).

2° Bonifacii prudentem negationem increpare nolumus, cum

molestissimum sit scire quid consilii dandum sit in re tam gravi et complexa adulescenti cuius mores et conscientia parum perspecta sint. Utiliter tamen monuisset iuvenem, ne hic forte e conscientia male formata graviter peccaret : deficiente e iudicio ipsius confessarii ordinarii clara prohibitionis ratione, non esse eum graviter peccaturum si ad s. ordinationem cum bona voluntate servandi omnes novi status obligationes accedat.

3° Proculus per se non peccat graviter ubi ad s. Ordinem suscipiendum accedit dubius de vocatione sua : nam, cum duos confessarios frustra adierit ad solutionem dubii obtinendam, merito dicetur moralem diligentiam adhibuisse ad illud deponendum ; neque ex defectu mere probabili vocationis internae gravis reatus argui potest (n. 25, IV). Igitur nihil obstat quominus ipse sibi formet iudicium de absentia gravis reatus, quod modo dicebamus ei a confessario proponi potuisse. Per accidens tamen fieri posset ut graviter deliquisset, nempe si, cum rationes illas minime perspectas haberet, temere processit, cum dubio practico de gravi reatu in ordine suscipiendo. In hac tantum hypothesi assentimus Gury (Cas. II, n. 35) talem agendi rationem gravis culpae damnanti.

CASUS IV

Polycarpum seminarii theologici taedebat : quare Cornelio confessario suo pandit consilium suum vestem et libertatem saecularem resumendi. Obstupescere Cornelius ; instare ut paenitens tentationem illam reiciat ; tandem, cum exhortationes mansissent irritae, declarare graviter peccaturum iuvenem si militiam clericalem deserat, cum ex una parte de eius vocatione dubium nullum oriri posset, ex altera parte, ob indolis debilitatem, familiae indifferentismum etc., magna pericula eius saluti in statu laicali imminerent.

SOLUTIO. — Laudabiliter hortationibus usus est Cornelius ut Polycarpum in seminario retineret, si de eius vocatione ad statum clericalem non dubitabat, specialia vero pericula eius saluti in statu laicorum imminentia cernebat. Sed modum excessit ubi ei gravem obligationem ingrediendi status clericalis denuntiavit.

De hac enim non constat ex natura rei, etiamsi de vocatione Polycarpi nullum dubium manebat (n. 25, III). Praeterea ipsa debilitas indolis, cui nimis gravia videntur seminaristarum onera ut ea vocationis sacerdotalis amore ferat, dubium de ipsa aptitudine ad ferenda postea onera multo graviora, quae non numquam clericis imponuntur, inicere potest. Neque specialia illa adiuncta in quibus versatur adulescens tam certum periculum salutis vel gravis peccati inducunt ut inde sequatur gravis obligatio ingrediendi status clericalis. Nam e debilitate indolis timenda sunt peccata etiam in vita sacerdotati : quae secum fert gravia onera tum quoad servandam castitatem, tum quoad varia munera curae animarum rite obeunda. Neque denegabit Deus adulescenti, praesertim rite oranti, gratias speciales quibus indigebit ut se ab hoc speciali periculo tueatur.

Indifferentismus vero quo Polycarpi familia inficitur, summum probat necessitatem eam non repetendi, si fieri potest, minime vero ingrediendi praecise statum clericalem. Quodsi aliud medium non daretur vitandi regressus in familiam quam suscipere s. Ordinem, non censemus hoc medium, utpote valde arduum, fieri obligatorium. Applicare hic licet a fortiori quae (n. 77) diximus de iis qui sibi videantur non posse salvari nisi ingrediantur statum religiosum : in quo multo maior securitas est quam in statu clerici saecularis. Satis ergo foret in ipsam familiam regressum ea adhibere media quae periculum illud perversionis removeant, qualia sunt frequentius orare et ad sacramenta accedere, legere libros quibus religionis hostes refelluntur, etc.

CAPUT II

DE OBLIGATIONIBUS COMMUNIBUS CLERICORUM

§ 1. DE COHABITATIONE CUM MULIERIBUS

CASUS I

Amphilochius parochus, ab Ordinario suo iussus dimittere Nathaliam ancillam multis dicteriis vulgi impetitam,

graviter mussitando oboedit : quia (ait) Ordinarius, dum hoc praeceptum dedit, violavit ius naturale : dimissio enim illa tum parochi, tum ancillae famae plurimum nocebit dum vulgi dicteria, plane falsa, comprobari videbuntur.

SOLUTIO. — Immerito conqueritur Amphilochius de praecepto Ordinarii. Etenim quamquam nullum periculum castitati sacerdotis imminet, sola ratio scandali seu infamationis quae e populi dicteriis oriatur sufficit ut ancilla quaedam dimitti iubeatur (n. 31). Neque verum est quod contendit parochus : violari legem naturalem. Etenim iam a malignis populi dicteriis detrimentum passa est parochi fama et, ni dimittatur Nathalia, maius in dies patietur. Ergo non restabat nisi medium ab Ordinario praescriptum ut, saltem post aliquod tempus, iterum a paroecianis suis aestimari inciperet Amphilochius. Hic interim calumnias, quibus ancillae dimissio locum dare potest, minuere poterit, passim declarando Nathaliam a se dimitti tantum ne diutius malignantium linguis utriusque fama iniuste laedatur.

CASUS II

Carpophorus parochus Caeciliam, consobrinam suam germanam, vix 25 annos natam, in domum suam tamquam famulam recepit. Hanc cum vidisset Methodius, Vicarius generalis, qui forte apud Carpophorum diverterat, eum severe reprehendit quod tam iuvenem puellam in famulatum adhibebat, dum dioeceseos statutis requirebatur ut, sine speciali facultate, sacerdotes nullas ancillas nisi quadragenarias conducerent. Excusare se parochus, allegato vinculo consanguinitatis in secundo gradu. « Nihil ad rem, respondit Methodius : si tibi ancillatur haec mulier, legem de ancillis statutam sequi debet. »

SOLUTIO. — Statuta quae laudabiliter de ancillarum aetate in multis dioecesibus lata sunt intellegenda sunt de retinendis mulieribus diversis ab iis quae, iuxta ius commune, clerico cohabitare possunt. Hae enim cohabitare sinuntur indefinite, ac proinde sine ullo aetatis discrimine. Quare Methodio adstipulari non possumus.

Neque ex illa facultate a iure communi concessa timendi sunt abusus. Manet enim Ordinario potestas iubendi ut clerici a suo servitio vel cohabitatione dimittant eas consanguineas vel affines e quibus oriretur periculum clerico vel suspicio fidelibus (n. 31, I). Neque semper exspectandum est donec alterutrum reapse contigerit : perinde enim erit si ex adiunctis personarum et locorum moraliter certum est fore ut alterutrum contingat. Quare, in casu, poterit Methodius Carpophorum iubere ut Caeciliam dimittat si, inspectis moribus parochi, puellae et populi, dubitari nequit quominus ex incepta cohabitatione sequatur suspicio in paroecianis vel periculum in sacerdote.

§ 2. DE HABITU ET TONSURA

CASUS I

Homobonus sacerdos, colendo horto suo addictissimus, saepe arbores putat, flores serit, etc., iis vestibus indutus quibus nullatenus a laico hortulano discerni queat. Idem iter acturus per Galliam vestes laicales induit, quia putat minus decere ut magnas civitates, praesertim Lutetiam Parisiorum, circumcurset veste talari indutus.

SOLUTIO. — 1° Solet ubique praescribi clericis ut domi deferant vestem talarem vel saltem ut clericali modo sint vestiti : quod plane conforme est legi universali qua, sine distinctione temporum et locorum, iubentur clerici *semper* deferre vestes proprio ordini congruentes (Trid. Sess. 14. c. 6). Attamen domestica delatio vestis laicalis levem culpam non excedit : nam qui solet publice vestem ecclesiasticam deferre argui nequit illius temeritatis et religionis contemptus e quibus gravitas culpae in violatione huius legis eruitur (n. 34, V). Quare si causam rationabilem habet induendi interdum domi vestes laicales, non est carpendus Homobonus. Talem autem causam videtur habere in horto colendo, modo non assumat consuetudinem vestes plene laicales ferendi inter domesticos parietes, neque eas induat ita ut conspici queat a multis vel ab iis qui, propter rei singularitatem, incipient minoris facere parochum.

2° Mala ratione legis violationem excusare nititur Homobonus. Ut enim induantur vestes quibus clericus nullatenus a laicis discernatur, requiritur causa gravior (quae hic nulla aderat, cum ubique in Galliis soleant sacerdotes vestem talarem etiam publice deferre) vel specialis licéntia ab Ordinario ob iustam causam concessa (quam licentiam non petivit itinerans) (n. 32, II). Nullum vero incommodum in eo est quod sacerdos extraneus magnas civitates, praesertim Parisios, perlustrat, modo abstineat ab invisendis rebus et locis quae sine scandalo vel periculo nequeunt a clerico spectari. Immo nullibi vestis ecclesiastica magis necessaria est, saltem levioris ingenii sacerdotibus, ut ne abripiantur in voluptates vel loca e quibus periculum immineat eorum castitati.

CASUS II

Silverius, sacerdos disciplinae religiosae quam in perpetuum voverat pertaesus, monasterium reliquit atque in domo consanguineorum, laicali veste indutus nullamque tonsuram deferens, vivere coepit. Postea a Germano confessario, qui speciales facultates a Superioribus religionis derelictae acceperat, declaratus est a votis et censuris quas apostasia sua incurrerat absolutus. Quare, nihil iam a laicis discrepans, ad sacramenta accedere coepit.

SOLUTIO. — Adstringitur Silverius sub gravi ad deferendas vestes clericales, quales in ea dioecesi in qua commoratur deferri solent; pariter tonsuram deferre, quamquam probabilius sub levi tantum, tenetur. Haec enim praecepta ecclesiastica absolute obstringunt quoslibet clericos in Sacris constitutos (n. 34, V). Quin et ipsa lex naturalis obstat quominus is, qui publice ab omnibus tamquam sacerdos notus erat, iam quaelibet signa distinctiva ordinis sacri publice et indefinite abiciat. Is enim foret religionis contemptus, ut loquitur Trid. Sess. 14 c. 6, quia tales publice propriam dignitatem et honorem clericalem parvi penderent : atque hic contemptus non tantum ab ipsis committeretur, sed ad laicos facile transiret, dum cernerent eum quem heri tamquam sacerdotem venerabantur, hodie iam quolibet suscepti ordinis signo destitutum, quasi nullum indelebilem characterem recepisset.

Quodsi a S. Sede accepisset Silverius facultatem deferendi in perpetuum vestes laicales, hoc indultum propalandum esset ut scandalum fidelium praecaveretur.

§ 3. DE VITANDIS QUIBUSDAM OFFICIIS SAECULARIBUS

CASUS I

Wilfridus sacerdos, qui se totum operibus socialibus tradiderat, a quibusdam magnae auctoritatis viris rogatus est ut, in proximis comitiis legislativis, se tamquam candidatum opponeret viro catholico, qui operariorum causam non satis promovebat. Ordinarius vero, qui ex illa catholicorum conflictatione magna damna et acatholicorum triumphum timebat, Wilfridum iussit ab hoc munere ambiendo abstinere. At Wilfridus respondit usu receptum esse ut episcopi et sacerdotes deputatos ad coetus legislativos agant, modo munus sibi commissum non neglegant ; se igitur, nullo munere impeditum, privari non posse iure quod omnibus competeret.

SOLUTIO. — Res prorsus diversas confundit Wilfridus. Usus enim hodiernis moribus probatus videtur ut liceat sacerdotibus, nulla expressa Ordinarii licentia requisita, munus deputati ambire vel gerere, modo haec cura non officiat obligationibus officii quod ab Ordinario suo acceperint (n. 35, III). Nullus vero usus allegari potest quo liceat sacerdoti huius modi munus ambire vel exercere in iis adiunctis, in quibus Ordinarius iudicat rem obfuturam esse Ecclesiae catholicae utilitatibus, nedum eas adiuvet, ut contingit in iis exemplis quae, ex hodierna praxi, allegari queant. Iudicium autem de utilitate vel nocumento consilii quod Wilfridus exsequi intendit, pertinet ad Ordinarium, cuius est ea statuere vel praecipere de vita et honestate clericorum quae, ob adiuncta noviter exorta, necessaria iudicet ne fidelibus scandalum praebeant qui iis exemplo praeire debent : ut profecto contingeret si sacerdos ambiendo munus deputati contra virum catholicum, reapse negotia hostium Ecclesiae promoveret. Quodsi censeat Wilfridus Ordina-

rium in hoc iudicio efformando errasse, manet ipsi facultas recurrendi ad Rom. Pontificem ; interim vero Ordinario parere debet. Ut enim edicit Bened. XIV in Const. *Ad militantis*, 30 martii 1742, nulla datur appellatio in suspensivo a decretis episcopi circa vitam et honestatem clericorum.

CASUS II

Medardus parochus, qui aliquam praesertim experimentalem medicinae scientiam habebat, paroecianis aegrotantibus multa consilia dabat, et varia pharmaca, quae ipse composuerat, soluto materiae pretio, ministrabat Hinc acerbas querelas movit Hippocrates pagi medicus, qui iam non nisi pro casibus gravissimis vocabatur. Ascenderunt querelae usque ad thronum Ordinarii : a quo graviter increpatus est Medardus. Hic se tuitus est defectu cuiuslibet legis universalis vel dioecesanae, qua medicina prohiberetur. Vetuit nihilo minus Ordinarius ne iam medicinam exerceret parochus. Hic tamen non destitit consilia avide expetita dare, ubi aegrotos invisebat, neque a specialibus pharmacis conficiendis vendendisque abstinuit, ratus hoc esse caritatis, minime vero medicinae exercitium.

SOLUTIO. — 1° In conscientia tutus erat Medardus dum medicinam citra adustionem vel incisionem exercebat, deficiente quolibet statuto dioecesano quo id prohiberetur. Spectato enim solo Iure communi, probabile est id licere (n. 36, IV). Attamen cum id praestiterit per modum consuetudinis, fieri potest ut contra legem naturalem deliquerit. Id contingeret si (ut non raro fit ab iis qui artem medicam summis labris attigerunt) consilia et remedia dederit pro morbis quorum non nisi imperfectam notionem habebat, ac proinde cum serio periculo nocendi aegrotantibus. Pariter obligationibus muneris parochialis deesset, si medicinam tanto aestu exerceret ut vel spiritualia officia sua neglegeret, vel se exponeret poenis a lege civili (ut fit) statutis contra eos qui, medici diplomate destituti, medicum agant : quod ipsum facile medicis aliisque viris odiosum redderet.

2° Postquam Medardus prohibitus est ne medicinam exerceret,

non prohibetur consilia quaedam dare petentibus paroecianis, si qua urget necessitas, utputa ob paupertatem aegrotantium vel moras medici vel ubi, occasione visitationis ad munus spirituale exercendum, a paroecianis interrogatur; neque videtur praeceptum infringere dum conficit venditque quaedam specialia pharmaca, quae a medicis praescribi non solent, sed experientia comprobata sunt, modo in his servet prudentem moderationem. Ita enim nihil faciet e quo sequantur illa incommoda ob quae Ordinarius ipsum a quolibet medicinae exercitio prohibuit.

§ 4. DE NEGOTIATIONE CLERICIS INTERDICTA

CASUS I

Anastasius, monasterii cuiusdam praepositus, vineam plantavit ut vinum in sacrosancto Missae sacrificio adhibendum conficeret. At cum uvae, ob solis defectum, soleant nimis exiguam sacchari quantitatem continere, magnam copiam uvarum e calidiore regione advectam quotannis sibi comparat. Ex utrisque uvis permixtis, conductis pluribus operariis, vinum conficit : quod, missis in totam regionem incitamentis *(prospectus)*, conatur quanto potest lucro vendere.

SOLUTIO. — Per se nihil est in hac Anastasii industria quod legibus Ecclesiae adversetur. Licet enim uvas alienas emat ut per operarios conductos vinum conficiat — quae negotiatio artificialis, clericis prohibita, videri potest (n. 38, II), — id tamen non facit nisi accessorie ad operationem prorsus licitam qua proprias uvas in vinum convertat, etiam per conductos operarios (n. 39, IV). Neque carpendus quod missis incitamentis, negotiatorum instar, vinum quanto maiore pretio potest, vendere conatur. Quae enim licite confecta sunt, nulla lex Ecclesiae prohibet ne minutim vendantur, adhibitis quibuslibet honestis artibus. Cavendum tamen ne tanto aestu et tam exquisitis artibus merces vendendae proponantur ut vulgo censeatur clericus avaritia abreptus, puta dum eos qui similes merces offerunt deprimere, mercatorum more, conaretur. Hic tamen excessus, in casu, vix timendus est, cum non agatur nisi de vendendo vino quod Sacro celebrando a clericis ipsis adhibeatur.

CASUS II

Cyprianus, magnae communitatis religiosae Superior, cerevisiam conficere pro sua communitate coepit, emptis machinis maxime pretiosis. Suavem liquorem cum gustassent plures religiosorum consanguinei, petierunt ut sibi eum emere liceret : quod libenter concessit Cyprianus, cum lucrum minime spernendum faceret, licet pretium solito minus postularet. Similiter non parum lucratus est vendito liquore aliquo alcoolico, variis herbis temperato, quod unus e religiosis mira arte componebat. Sed post aliquot annos a Iunipero, docto sacerdote, monitus est utramque industriam graviter adversari Iuri Canonico quo negotiatio religiosis prohibetur.

SOLUTIO. — 1° Reapse Iuri Canonico adversatur venditio cerevisiae si haec non a solis religiosis, sed unice vel praecipue ab operariis conductis conficiebatur, laicis vero non actu tantum transeunte, sed per modum consuetudinis, vendita est. Huius modi enim fabricatio et venditio est vera negotiatio artificialis, clericis illicita (n. 38, II). Quodsi a solis religiosis vel cum auxilio penitus accessorio quorundam famulorum cerevisia conficiebatur, eam extraneis vendere non prohibebatur Cyprianus. Cavendum tamen ne illa cerevisiae confectio et venditio fiat ratione quae statum religiosum dedeceat, ut contingeret si tanto apparatu tantaque copia cerevisia conficeretur ut hi religiosi viderentur toti in illam negotationem potius quam in res divinas incumbere aut, saecularium negotiatorum instar, lucro inhiare (n. 38, III).

2° Liquorem alcoolicum, ab industrio illo religioso compositum, vendere minime prohibetur Cyprianus (n. 38, III). Aliter dicendum foret si officinam, in qua huius modi liquor a saecularibus operariis conficeretur, erigeret : quod si fit a quibusdam religiosis, puta Carthusiensibus, nonnisi per dispensationem a R. P. in lege negotiationem prohibente explicari potest (n. 38, II).

CASUS III

Rigobertus sacerdos quandoque, ubi librum clero utilem alicubi editum esse novit, ab ipso editore emit eum exem-

plarium numerum quem collegis suis se venditurum esse sperat. Quae exemplaria cum emat minore pretio, quo bibliopolis vendi solent, vendatque maiore pretio quo singula exemplaria venalia prostant, lucrum non spernendum facit. Similiter sat multam pecuniam lucratur emptis magna copia piis imaginibus et libellis, quae postea minutim, aucto paululum pretio, scholis, patrociniis aliisque catholicis institutis vendit.

SOLUTIO. — Rigobertum a violata lege ecclesiastica immunem censemus, modo aliqua iusta ratio boni communis has emptiones et venditiones cohonestet. Haec enim si adfuerit, eius actio potius censenda erit obsequium clero bonisque operibus praestitum quam prohibita negotiatio : carebit enim illo charactere qui negotiationi intrinsecus est, ut principaliter procuretur utilitas negotiantis. Quare lucrum quod facit Rigobertus censendum erit per accidens coniunctum servitio quod plurimis praestat. Iam vero, in casu, facile aderit huius modi ratio cohonestans. Nam, licet Rigobertus singula exemplaria vel minorem copiam imaginum vendat eo pretio quo vulgo vendi solent, eius opera utilis esse potest ad spargendos pios libros et libellos vel imagines, praesertim in iis locis quorum incolae rarius et difficilius commercium cum bibliopolis vel editoribus gerunt. Multi enim sunt qui res illas empturi sint si a viro noto offerantur, nullatenus vero, si ad eas obtinendas ad locum dissitum scribere necesse sit. Neque alia solutio danda videtur si forsan Rigobertus principaliter spe lucri moveatur. Haec sane intentio, in clerico non egente, facile inordinata erit, sed minime efficiet ut actio de se licita cadat sub legem quae interna non respicit. At si nulla huius modi ratione communis boni cohonestaretur Rigoberti praxis, haec censenda esset legibus ecclesiasticis prohibita, nisi in casu particulari aliter iudicaret Ordinarius, ut 8 iun. 1846 respondit S. Off. (Coll. P. F. n. 229).

CASUS IV

Chrysophilus sacerdos Proculo nepoti suo, industrio sed inopi adulescenti, 30 fr. milia commodavit ad commercium frumenti inchoandum. Hanc autem pecuniam ea lege dedit

ut Proculus quotannis haberet 2000 francorum et quartam lucri partem, tres vero reliquae partes Chrysophilo cederent.

SOLUTIO. — Verum contractum societatis cum nepote suo iniit Chrysophilus : non enim solum auctarium pecuniae ad negotiandum datae postulavit (quod licitum foret), sed partem aliquotam lucri, proportionatam auxilio quod negotiationi attulit, sumpto etiam in se detrimento quod forte pro lucro contingat (Vol. I. n. 651). Quare negotiatur per alium : quod sane illicitum est (n. 39, VI). Confirmatur ex responso S. Off. 29 ian. 1851 (Coll. P. F. n. 357), quo denegavit licitum esse alicui Vicario Apostolico inire societatem cum mercatore apud quem pecunia alendis missionariis necessaria deposita erat, ita ut Vicarius Apostolicus lucri vel damni, pro rata pecuniae depositae, particeps fieret.

CASUS V

Meletianus, missionis praefectus, agros multos emit vel conducit in quibus orizam, theam aliasque plantas frugiferas a multis operariis excolendas curat : fructus vero collectos ipse mercatoribus Europaeis vendit vel intermedio quodam confratre suo in Europa degente vendendos curat. Idem augendi Missionis reditus cupidissimus, cum ecclesiam scholamque in aliqua urbe, quae magis in dies augebatur, aedificaturus esset, solum triplo maius quam quod veri similiter adhibiturus erat, emit, quia soli pretium semper auctum iri praevidebat. Ac reapse, aedibus constructis, duas fere tertias partes tanto lucro vendidit ut reliquum solum gratis habuisse gloriaretur.

SOLUTIO. — 1° Per se Meletianus minime transgreditur leges quae negotiationem omnibus clericis et speciatim Missionariis prohibent, dum fructus ex agris missionis propriis vendit seu per se, seu per alium. Id enim universe licet clericis (n. 39, IV), et quamquam strictius urgetur prohibitio pro Missionariis quam pro reliquis, obiectum tamen est idem, nempe mercatura lucrativa vel, quae ei practice assimilatur, artificialis negotiatio per operarios conductos exercita (n. 612). Agros vero in eundem finem condu-

cere non licet : nisi forsan paucos ob coniunctionem cum iis quorum dominium ad missionem pertineat vel ad vitanda quaedam incommoda e vicinis dyscolis oritura (n. 40, 3°). Sed etiam in producendis vendendisque fructibus agrorum propriorum, cavendum est ab excessibus qui missionarios, a laboribus spiritualibus avocatos, totos temporalibus addicerent vel speciem nimiae cupiditatis prae se ferrent : quod tam iure naturali quam positivis S. Sedis documentis constat cavendum esse (n. 39, V).

2° Veram negotiationem soli fecit Meletianus quando, praeter agrum quem veri similiter aedificandis aedibus adhibiturus erat, alium emit quem iterum aliis vendere, cum lucro utique suo, intendebat. Nihil enim, quoad hanc partem soli superfluam, deest ex elementis ad negotiationem faciendam requisitis (n. 37). Non fuisset tamen reprehendendus Meletianus si solum amplius quam quo statim indigeret emisset cum aliqua spe totum adhibendi aedibus aedificandis, vel ut partem quae superesset iterum venderet vicinis a quibus nullas molestias passurus esset. In eundem sensum distinguit Lugo, de Iust. et I. disp. 26. n. 32.

CASUS VI

Hyginus parochus, opibus abundans, quondam rogatus est a Florimundo, divite eiusdem regionis incola, ut eum iuvaret ad condendam viam ferream *(chemin de fer vicinal)*, subscripto magno actionum numero ; consilium illud, sicut omnibus incolis gratum, ita et subscribentibus maximo lucro fore. Subscripsit Hyginus pro 10 fr. milibus : quarum actionum valor, re prosperum exitum habente, mox duplicatus est.

SOLUTIO. — Laetetur fortunae donis Hyginus, sine ulla animi anxietate. Nam saltem probabile est legibus ecclesiasticis minime prohiberi clericos quominus actiones emant societatis industrialis, qualis ea est quae ad condendam viam ferream ineunda erat, neque excipiendos esse casus in quibus de nova societate erigenda agatur (n. 41, IX). Et quamquam, ob nimiae cupiditatis suspicionem, generatim decet clericos abstinere a nova societate constituenda, Hyginus carpendus non videtur, quia communis utilitas, quam regionis incolae ex inducta via ferrea capient, eius cooperationem in iudicio populi potius laudabilem quam reprehensibilem reddet.

CASUS VII

Sergius sacerdos magna bona sua in actionibus et obligationibus constituit. Has sedulo eligit quae vel maximum auctarium ferant vel pinguis emolumenti spem pariant; folia quibus mutationes valoris indicantur summa cura perlegit, neque umquam finem habet titulos emendi vel vendendi.

SOLUTIO. — Nulla ex iis curis, quas augendis bonis reditibusque suis impendit Sergius, per se adversatur legibus positivis. Nullo enim iure prohibitum est quominus clericus conetur e bonis suis quantum honeste potest reditum assequi, vel eam sollicitudinem gerere quae ad hunc finem necessaria est. Quin etiam crebrae illae actionum et obligationum mutationes, in magna rerum publicarum et privatarum instabilitate quam hodie cernimus, vix non necessariae sunt ei qui magna detrimenta vitare et annuos reditus satis amplos servare intendit, prout certe per legem ecclesiasticam clericis licet. Attamen his crebris mutationibus Sergius legem positivam violaret si consuesceret titulos emere, non ut eos servando reditus vel lucra annua perciperet, sed ut eos, quamprimum valore crevissent, cum lucro venderet : haec enim vera foret horum titulorum negotiatio (n. 41, X). Sed minime violatae huius legis insimulandus foret, si faustam occasionem titulorum qui multum valore crevissent interdum arriperet, ut lucrum, intrinseco titulorum augmento factum, eorum venditione in tuto collocaret : sic enim deesset illa intentio carius vendendi, quae negotiationi essentialis est (n. 37). Atque haec de iure positivo. Sed praeterea attendenda est lex naturalis quae a sacerdote his curis pecuniariis addicto multipliciter laedi potest, etiamsi salva est lex ecclesiastica de vitanda negotiatione. Ut enim nihil dicamus de communi omnibus lege vitandae avaritiae (Vol. I. n. 178), quilibet sacerdos cavere debet ne adeo sit his curis temporalibus implicatus ut iam ea qua par est devotione obire nequeat vocationis suae officia, vid. Missae celebrationem, Horarum recitationem, etc. Hoc autem potissimum continget ei qui, lucro inhians, emit unice vel maiore ex parte obligationes quae maximum auctarium ferant vel actiones quarum fructus valde incerti sint : hinc enim facile fiet ut iugiter agitetur spe lucri faciendi vel timore maximi damni sustinendi,

cum huius modi tituli maxime aleatorii esse soleant. Praeterea, si cui speciale officium, puta parochi munus, concreditum sit, adhuc facilius huius muneris obligationes negleget si se nimis huius modi negotiis implicari sinit. Tandem peccare poterit scandalum praebendo laicis, seu dum eos exemplo suo confirmat in illo nimio aestu acquirendi quo innumeri fideles hodie abripiuntur, seu dum se ipsum, fortunis suis omnibus in his aleatoriis valoribus collocatis, scandalosae ruinae obicit.

§ 5. DE SAECULARIBUS DELECTATIONIBUS VITANDIS

CASUS I

Gaudentius sacerdos cum quibusdam saecularibus iisque divitibus amicis saepe per magnam diei partem chartarum ludo indulget et quandoque uno die 20 ad 30 francos lucratur vel amittit. Non numquam etiam eosdem amicos comitatur ubi ad venationem tendunt, sclopetum gerens : quo mirabili dexteritate utitur ad feriendos lepores, aves et ceteros silvarum aerisve incolas.

SOLUTIO. — 1° Per se non videtur graviter delinquere Gaudentius contra ecclesiasticam legem qua ludi aleatorii clericis prohibentur. Leviter eam infringit si tam crebro totque per horas chartis ludit, nisi id faciat brevi tempore quo a solitis laboribus ferietur. Sed ad gravem culpam hodie constituendam requiritur probabilius, praeter ludi frequentiam, ut magna pecuniae quantitas exponatur (n. 42, I). Hoc autem non videtur fieri a Gaudentio qui non singulis diebus, sed quandoque tantum 20 ad 30 fr. ludo exponit. Summa enim illa absolute loquendo nequit dici magna, saltem in regione nostra, ut liquet e dictis in materia summae absolute gravis pro furto (Vol. I. n 507). Per accidens graviter peccare posset Gaudentius, si exemplo suo amicos suos ad ludos alliceret in quibus hi summas plane immodicas exponerent, vel si ob ludi frequentiam et aestum sacerdotalibus officiis suis deesset.

2° Spectato tantum iure communi, nullam culpam admittit Gaudentius dum venationi, quae a Canonistis *quieta* dicitur, vacare solet (n. 42, II). Peccabit tantum si etiam huius modi venatio

statutis synodalibus eius dioecesis vetatur, venatio autem fit in locis publicis eiusdem dioecesis, non autem intra loca saepta vel extra dioecesim. Violationi horum statutorum idem videtur applicandum quod S. Alph. (l. 4. 606) de venatione iure communi prohibita sentit : eam non fore gravem nisi sit frequens et cum scandalo, utputa si sacerdos tam crebro venationi indulgeret ut notabiliter apud plebem minueret ordinis clericalis existimationem.

CASUS II

Nabor clericus, in quadam sat magna civitate domicilium habens, interdum cum Basilide alio clerico amicissimo ambulare solet ; ubi autem una fere leuca a civitate recesserunt, tabernam quandoque bibendi causa ingrediuntur. Contigit etiam ut, postquam civitatem cum quibusdam amicis qui eum inviserant peragraverat, eos ad stationem viae ferreae duceret : qui cum sitis sedandae causa tabernam aliquam ingressi essent, Nabor una ingressus est sitimque sedavit.

SOLUTIO. — 1° Per se distantia unius leucae a loco domicilii sufficiens videtur ut clerico liceat tabernam ingredi : raro enim fit ut tam procul ab aedibus suis abeant clerici, ac proinde cessat periculum abusuum plurimorum ad quos vitandos lata est lex de tabernis non ingrediendis. Attamen per accidens ab hac lege violata non excusaretur Nabor, si Ordinarius maiorem distantiam requireret : haec enim quandoque requiri posset, sive propter rationem generalem, nempe quia abusus inoliti strictiorem prohibitionem exigerent, sive ob specialem alicuius clerici condicionem, puta parochi erga cauponam quam adit, prout statutum est in Conc. prov. Colon. a. 1860 : " Ne eas (cauponas), quae sunt in propria parochia vel in locis proxime vicinis, nisi ministerii causa adire necesse sit, frequentent, graviter prohibemus. „

2° Neque legem ecclesiasticam violavit Nabor ubi amicos extraneos in cauponam ingredientes secutus est. Nam, licet ingressus cum ceteris biberit, finis eius principalis alius erat, nempe comitari amicos quos aegre potuisset in his adiunctis deserere. Iam vero prohibentur clerici tabernas ingredi tantum ubi ad

propriam voluptatem explendam id agunt. Sic in ipso Iure communi (Decr. Grat. dist. 44. c. 4) vetantur ingredi " edendi vel bibendi causa „, et similia in plerisque statutis localibus exprimuntur (n. 43). Quare, in casu nostro, dicendum legem cessare quia penitus deficit eius finis, vel saltem quia talia adiuncta rara et a quibus nulla frequentandi tabernas consuetudo oriri potest per epikeiam excipiuntur. Sed semper attendenda est lex naturalis scandali vitandi : ne eae tabernae adeantur vel quaedam in iis fiant quae, pro moribus loci, status clericalis reverentiam in populo minuant.

CASUS III

Zozimus sacerdos, dum recreationis causa iter agebat, aliquot diebus in magna quadam civitate mansit. Ibi, nulla etiam urgente necessitate, tabernas laicorum more adiit, cibum potumque sumpturus. Quin etiam, deposita veste nigra qua induebatur et assumptis vestimentis quibus a laico discerni non poterat, theatrum adiit : utile enim duxit interesse spectaculis illis ut rectius de eorum liceitate vel illiceitate iudicium ferre posset.

SOLUTIO. — 1° Ubi clerici iter agunt, non est nimis stricte interpretanda illa necessitas quam Ius requirit ut tabernas liceat ingredi. Haec enim haberi videtur quotiescumque aliquis in loco aliquo non habet commorationem satis stabilem, sed vere per modum itinerantis versatur, puta mere transiens vel in aliquo diversorio pernoctans. Hunc putamus esse usum sacerdotum etiam timoratorum, qui est optimus legum interpres, neque videtur ullum vulnus legi timendum esse ex huius modi interpretatione. Supponimus salvam esse legem naturalem scandali vitandi : quam transgrederetur clericus qui eas tabernas adiret in quibus eius praesentia, e vestibus quas defert nota, videretur probare inhonesta colloquia, excessus, turpes cantilenas etc. Sed ratio quoque habenda est consuetudinis atque Ordinarii commendationis, qua strictius in uno loco quam in alio aditus tabernarum clericis etiam itinerantibus, extra casum verae necessitatis, prohibetur : quae consuetudo vel commendatio etiam extraneis clericis erit attendenda, quatenus id necessarium erit ad vitandum quicquid scandalum populo dare queat.

EX LIBRIS PROVINCIAE ... THEOL. ... CORDIS JESU.

2° Si spectaculum quod adit Zozimus turpe est, legem ecclesiasticam violat (n. 44). Atque idem dicendum erit si dubitat utrum turpe an honestum futurum sit, ne se temere exponat periculo violandae legis. Attamen, si nullum probabile periculum est ne agnoscatur Zozimus tamquam clericus ab iis qui spectaculo interfuerint, neque spectaculum est enormiter turpe, non censemus eum graviter delinquere. Ubi enim theatrum aditur a peregrinante clerico, abest illud periculum consuetudinis et scandali maioris, ob quod iuste in quibusdam dioecesibus aditus theatrorum publicorum, spectaculi videndi causa, sub poena suspensionis prohibetur. Leviter quoque peccat Zozimus dimissa penitus veste clericali (n. 34, V). Neque iustam rationem affert ob quam hanc vestem dimittat et spectaculum adeat : nam praeterquam quod, si ignorat naturam spectaculi praebendi, se ipsum exponit periculo violandae legis ecclesiasticae, satis nosse poterit qualia sint spectacula illa et quodnam periculum morale creent e comoediis quae exhibentur atque e relatione eorum qui iis interfuerint, praesertim si eos interrogat in ipsa confessione.

§ 6. DE RECITANDIS HORIS CANONICIS

CASUS I

Asterius sacerdos, apud religiosos choro addictos commorans, solet eorum cantum organo comitari et alternatim cantantibus religiosis respondere. Ipse tamen versiculos, pro quibus organum pulsatur, neque cantat neque submissa voce recitat. Nihilo minus putat se obligationi Horarum Canonicarum satisfecisse, quia cum choro unum morale effecit dum organa pulsavit. Alias in ecclesia genuflexus chorum a longe sequitur, alternos tantum versiculos submissa voce recitans, cetera auscultans.

SOLUTIO. — 1° Non satisfecit obligationi Horarum Asterius. Principium ad quod appellat recte applicari potest ut ab obligatione supplendi quaedam omissa excusetur qui aliquam partem Officii recitare omisit, dum organa pulsavit vel similes functiones

5833

choro utiles exercuit. Verum, in casu, nullam partem officii recitat vel cantat Asterius. Ita S. Alph. l. 5. n. 143 ; Buccer. Cas. Consc. II. n. 10. Quare non videtur admittenda contraria opinio quam plures veteres DD. tenebant, quos, nullo addito iudicio, referunt Laymann (l. 4. tr. I. c. 5. n. 7) et Busembaum (n. 156).

2° Videtur satisfecisse Asterius ubi alternos Psalmorum versiculos recitavit, cetera ab iis qui in choro canebant recitata audivit. Nam probabiliter satisfaciunt qui choro adstricti sunt, si submisse recitant psalmos, alteram partem audiendo, quia non requiritur ut recitantes in uno choro audiant voces omnium recitantium in altero, cum una pars unum corpus cum altera constituat et inter se communicent (S. Alph. n. 163). Seponimus hic legem specialem qua Canonici iubentur non tantum recitare, sed canere officium divinum ut lucrentur fructus praebendae et cotidianas distributiones. Et quamquam Asterius physice a choro remotus exsistat, moraliter tamen cum cantantibus unitus dicatur oportet, modo canentibus submissa voce respondeat vel saltem attentam aurem praebeat.

CASUS II

Clodoaldus sacerdos, minime scrupulosus, coeperat recitare Horam nonam. Vix autem pervenerat ad finem hymni, cum Agapitus, eius familiaris collocuturus advenit. Statim a breviario recitando destitit Clodoaldus : quod cum vespere iam fessus prosequi vellet, a Vesperis incepit, de complenda Hora nona parum sollicitus, quippe quam iam coepisset recitare ac proinde existimaret sine gravi peccato neglegi posse.

SOLUTIO. — Acriter profecto vituperari meretur Clodoaldus quod peccatum veniale plene voluntarium, omissa parte Breviarii, admittit. Attamen in rigore eum a gravi peccato immunem esse censemus. Verum quidem est manere grave peccatum si quis de aliqua Hora aliquid nimis modicum recitet : omittit enim Horam moraliter integram (S. Alph. n. 147). Id autem in casu contigisse non censemus. Non enim omnino exiguum est recitare Pater. Ave, Deus in adiutorium, Hymnum. Iam vero auctor a S. Alph. in hac materia laudatus et per se magnae auctoritatis,

La Croix, ubi exemplum ponit illius *nimis modici*, multo pauciora citat quam quae a Clodoaldo recitata supponimus, scil. quinque illa verba : Deus in adiutorium meum intende. Adde : iam valde severam esse obligationem qua sub mortali iubentur clerici recitare parvam Horam paucis momentis absolvendam, ac proinde non esse sine stringenti ratione arguendos mortalis reatus eos qui, recitata parte non omnino exigua talis Horae, aliquam iam oboedientiam Ecclesiae praestitere. Neque timendum est ne tali sententia abutantur tepidi sacerdotes ad huius modi omissiones multiplicandas, quoniam si in pluribus parvis Horis id fieret, gravitas reatus profecto e cumulo harum omissionum oriretur (n. 49, I).

CASUS III

Donatus sacerdos, dum vespere iam somno oppressus Horas recitat, pluries haeret, nesciens quo pervenerit. Praesertim vehementi dubio commotus est, ubi ad finem alicuius parvae Horae pervenerat : frustra enim conatus est recordari utrum haec esset Sexta an Nona. Vesperas tamen statim inchoavit, sed postea timere coepit ne reus foret gravis peccati ob omissam Nonam.

SOLUTIO. — Quamquam bona fide a peccato gravi excusari potuit Donatus, per se tamen ad recitandam Nonam tenebatur. Nam cum simpliciter nesciat utrum eam iam recitaverit necne, nequit se ab ea recitanda excusare, quasi probabilem rationem habeat existimandi iam fuisse huic obligationi satisfactum (n. 50, III). Quodsi inde gravius onus fit dum bis recitat eandem Horam, conqueri nequit de molestia cui ipse se sponte obiecit dum recitationem Horarum distulit ad tempus quo vix par esset praestandae debitae attentioni. Secus tamen dicendum arbitramur si Donatus detineatur impedimento, praesertim habituali, quominus Horas non recitet dormitabundus, ut potest fieri ratione nimii laboris quo obruitur vel morbidae somnolentiae. In hac enim hypothesi, saltem per aliquam epikeiam, videtur excusandus a repetendis partibus de quibus illud mere negativum dubium incidat. Nimis enim durum et scrupulis obnoxium foret eum obligare ad huius modi dubia semper in sensu strictiore solvenda.

CASUS IV

Quadratus sacerdos nova officia quae interdum a S. Sede probantur Breviario suo inserere neglegit, ratus satis esse ut ea recitentur ab iis qui nova Breviaria, in quibus haec officia prostent, comparaverint. Si quas commemorationes faciendas oblivione praetermisit, nihil postea supplet. Ubi vero prae manibus non habet Lectiones proprias cuiusdam Sancti, neque eas a collega mutuatur, quia nimium incommodum foret, neque Lectiones de communi recitat, quia de iis recitandis nullum exstat Ecclesiae praeceptum.

SOLUTIO. — 1° Si officia illa sunt penitus nova, utputa si nunc primum probantur Oratio et Lectiones propriae alicuius Beati, Quadratus tenetur, quamquam sub levi tantum, ad eas sibi comparandas : nam, cum teneatur ad officium illud recitandum prout a S. Sede probatum est, tenetur quoque adhibere hoc medium prorsus ordinarium et necessarium ad obligationem illam implendam (Vol. I. n. 116). Si vero officia illa eatenus tantum nova sunt quatenus quaedam correctiones in partibus propriis factae sunt vel quaedam addita fuere Lectionibus (ut contigit pro officio SS. Cordis Iesu, S. Vincentii a Paulo etc.), non peccat Quadratus dum huius modi accidentales mutationes additionesve neglegit donec novum Breviarium habeat cui insertae sint (n. 50, IV).

2° Quamquam laudanda et suadenda est praxis multorum sacerdotum ut quamlibet partem Breviarii ex oblivione praetermissam postea suppleant, non videtur tamen peccare Quadratus dum unam alteramve commemorationem oblivioni datam neglegit. Stricta enim postea supplendi obligatio videtur coartanda ad partes notabiles, quibus scil. omissis deest moralis integritas divini officii. Ita de solis partibus *notabilibus* supplendis agunt La Croix (l. 4. n. 1311) et Sanchez (Cons. Mor. l. 7. c. 2. d. 18), a S. Alph. (l. 5. q. 161. Q. V) citati : qui idem sentire videtur, dum dicit : " Si vero oblitus es aliquam partem Horae, sufficit illam recitare, quin aliud repetas „. Brevis enim commemoratio potius particula quam pars Horae dicenda est.

3° Num teneatur Quadratus mutuari a collega suo Lectiones proprias quibus caret, dici nequit, nisi inspectis concretis adiunc-

tis : e quibus si oritur mediocre incommodum, utputa propter tetricam collegae indolem, excusabitur ab hoc medio adhibendo, cum ipsa obligatio minime gravis sit. Sed certe tenetur, deficientibus Lectionibus propriis, recitare de communi. Lectiones enim spectant ad integritatem officii divini, clerici vero principaliter obligantur ad integrum officium iuxta ritum Romanum recitandum, ac proinde, si quid proprium deest, supplendum erit e communi (n. 51, VII).

CASUS V

Chrysogonus sacerdos, cum interfuisset in choro recitationi Matutini et Laudum Officii Defunctorum, Matutinum et Laudes officii de Sancto in calendario indicati recitare omisit, nixus axiomate : *Officium pro officio*. Alias cum ex errore bis recitasset horam Sextam, Nonam praetermisit. Ut enim aiebat : « Si Officium valet pro officio, quidni hora valet pro hora ? »

SOLUTIO. — 1° Venialiter certe peccat Chrysogonus dum ita voluntarie Matutinum et Laudes Officii Defunctorum substituit iisdem Horis de Sancto recitandis. Etenim motivum rationabile adesse nequit ut pars Horarum ex uno officio, pars ex altero sumatur : quod necessario hic faciendum erit, cum Officium Defunctorum careat parvis Horis. Quare hic applicari nequit sententia quae mutationem officii quandoque ab omni culpa excusat. Sed peccabitne graviter Chrysogonus ? Non censemus id certo demonstrari posse, cum recitaverit Matutinum et Laudes quae, quoad quantitatem, non discrepent notabiliter ab iis quae iuxta calendarium recitare debuisset (n. 52, IX). Quare opinamur Chrysogonum substantiae praecepti satisfecisse, ubi horas septem recitaverit. Id enim congruit cum sententia Lessii (de Iust. et I. l. 2. c. 37. n. 77) : quam nihil nos cogit deserere ubi non notabiliter discrepat quantitas officii e breviario recitati a quantitate in calendario praescripta (n. 52, VIII).

2° Falsum est principium cui innititur Chrysogonus : " Hora pro hora „. Id enim plerique Theologi morales tacite, dum numquam illud invocant, alii etiam expresse reiciunt (Lehmk. II. n. 626 ; Berardi, Prax. Conf. n. 3364 ; Buccer. Cas. Consc. II. n. 10).

Et merito quidem : notabilis enim deformitas induceretur in Breviarii recitatione, si sufficeret ad solam quantitatem orationis attendere, neque apparet cur non posset ex eodem principio concludi satisfacere eum qui bis Matutinum recitet, omissis reliquis horis, vel qui Vesperas pro Laudibus dicat, etc. Attamen non improbabile videtur quod Berardi (l. c.) addit : sacerdotem qui ita ex errore bis eandem horam recitaverit gravibusque occupationibus urgeatur, forsan excusari per quandam epikeiam, quia Ecclesia praesumi potest admittere illam partem quam repetiit pro parte aequivalente quam recitare intendebat. Hoc autem facilius in casu admitti poterit, ob maiorem similitudinem horae Sextae cum hora Nona quam cum aliis officii partibus, puta Matutino vel Vesperis.

CASUS VI

Epipodius, sacerdos Regularis, cum, pro maiore occupationum suarum utilitate, summo mane celebrare soleat, numquam Matutinum et Laudes Sacro praemittit. Quondam iter agens, cum solas Horas diurnas prae manibus haberet, recitavit Laudes diei sequentis, Matutinum sequenti die recitaturus. Alia die Completorium distulit usque ad vesperum, memoriter in tenebris recitaturus ; interim vero iam Matutinum et Laudes diei sequentis recitavit.

SOLUTIO. — 1° Si seria utilitas occupationum diurnarum, populi commoditas, Superioris iussum aliudve rationabile motivum suadet tam matutinam celebrationem ut Matutinum et Laudes mane ante Sacrum recitari nequeant, Epipodius nullatenus carpendus est quod illas Horas post celebrationem recitare soleat. Etenim eas non tenetur dicere pridie (n. 53, I) ; mane autem habet mediocrem causam rationabilem eas differendi donec celebraverit (n. 54).

2° Neque vituperandus est Epipodius quia Laudes Matutino praemiserit integrae noctis intervallo, si qua causa rationabilis aderat, puta quo plus temporis utilibus occupationibus lucraretur (n. 53, II).

3° Pariter excusandus videtur dum officium diei sequentis iam inchoavit antequam diei currentis officium absolvisset. Nam, salva substantia legis (n. 53, II), inversio tantum fit inter Horas ob causam rationabilem.

CASUS VII

Nymphodorus sacerdos, facultate donatus recitandi Matutinum et Laudes pridie ab hora 2ª pomeridiana, saepe dubitat num *iustam* illam causam habeat quae in facultatis tenore requiritur. Quandoque ab aliis sacerdotibus, nulla tali facultate gaudentibus, rogatus num ipsi quoque satisfaciant incepta recitatione hora 2ª, respondet : « Disputant summi Doctores ! Vide quid tibi conscientia tua permittat ». Quondam cum ex errore Matutinum recitare coepisset decem momentis ante horam 2ᵃᵐ, nihil repetiit ubi errorem suum detexit, quia existimavit sufficere ut recitatio absolveretur post horam secundam sicut Missa absolvenda est post auroram.

SOLUTIO. — 1° Iusta censenda erit causa quae sufficiat ad horas anticipandas : agitur enim de hora anticipanda intra tempus quo substantiae praecepti satisfit. Quare sufficit, iuxta S. Alph. (n. 173), quaelibet causa utilis vel honesta, quae non sit mera commoditas recitantis (n. 53, II). Si dubitatur num causa sufficiat, practice eam tamquam iustam habere poterit Nymphodorus, vel si ad anxietatem pronus est, regulam sequendam a confessario petat. Cfr. Vol. I. n. 121, I.

2° Si probabilismum profitetur Nymphodorus, non est cur ita haesitanter respondeat, praesertim iis sacerdotibus qui ad eum in sacramento Paenitentiae recurrunt ac proinde iure merito postulant responsum quo eorum anxietatibus finis imponatur. Nam, licet theoretice disputent Doctores num satisfaciat qui absque privilegio Matutinum et Laudes inchoet hora 2ª, non apparet quo iure probabilitas opinionis benignioris negetur (n. 55).

3° Errore detecto, debuisset Nymphodorus repetere partem Breviarii quam ante horam 2ᵃᵐ recitaverat. Etenim paritas cum Missa, quam sufficit post auroram absolvere ut censeatur celebrata inter auroram et meridiem (n. 237), perperam a Nymphodoro allegatur : consuetudo enim, qua nititur benigna illa interpretatio legis pro Missa statutae, nequaquam suffragatur recitationi breviarii, cuius terminos (mediam noctem, meridiem, horam secundam etc.) vulgo

omnes ita sumere solent ut sint tantum recitandi initium. Libenter tamen admitteremus eos terminos esse moraliter sumendos, quatenus parum pro nihilo reputetur : nam etiam inter horologia quae rite procedere solent facile habetur parva discrepantia. Quare si quis pauca tantum ante horam 2am recitasset, puta ea quae in Matutino psalmos praecedunt, opinaremur eum ad ea repetenda non teneri. Sed, in casu, Nymphodorus notabiliter ante horam secundam incepit, atque iam unum Nocturnum verisimilius absolvit. (1)

CASUS VIII

Isidorus sacerdos, ubi breviarium in ecclesia recitat, aviculae instar sibilat et magna contentione pronuntiat verba duriora quae lingua eius balbutiente penitus perverti solent. Saepe repetit quae sine attentione pronuntiavit, quae interrumpere debuit ut interroganti responderet, vel etiam quae a socio secum recitante non audivit. Interdum anxius haeret num satisfecerit horis recitatis in raeda viae ferreae, quia colloquentibus libenter aures praebuit, vel in ecclesia, dum pueris tumultuantibus invigilabat.

SOLUTIO. — 1° Ad meros scrupulos pertinent ille anxius timor Isidori, ne recitatio non sit vocalis, et inde orti conatus tanti ut sibimetipsi adstantibusque molestiam plurimam afferat. Etenim, modo non nimis in recitando festinetur, facile obtinebitur recitatio vocalis et integra (n. 57 seqq.). Si quis nimis festinet et diurnum Breviarii pensum tempore notabiliter minore quam ceteri solent absolvat, rationabiliter timere poterit ne quaedam verba transiliat vel oculis tantum perlustret memoriave recolat. Sed si pacate procedit, facillime secernet utrum solis oculis vel sola mente textum Breviarii percurrat an aliquam saltem tenuiter vocalem recitationem faciat. Non est supponenda Ecclesia praecepisse ut vox illa submissa ea cura iisque conatibus efformetur quorum necessitas vulgo sacerdotibus scrupulos ingereret et qui ceteros in eodem loco orantes plurimum turbarent. Pariter moderati sint oportet

(1) In Belgio cum horologia publica horam 2am notent fere 17 momentis post horam veram, licet incipere Matutini recitationem hora 1a43'.

ADDENDA ET CORRIGENDA

IN II VOLUM.

—

P. 53. Cas. V. Cum ex reformatione Breviarii a Pio Pp. X inducta non recitandum sit in choro Officium defunctorum (Act. Ap. Sedis, 20 dec. 1911), adiuncta casus iam rarius verificabuntur

85. Cas II. Neque ex recentioribus decretis necessaria erat venia S Sedis ad Didacum rursus admittendum, quia propter morbum communi consensu cum Superiore abierat (n. 78, 6o).

103. Cas V. 2o. Onesiphorus violavit etiam regulas canonicas, quae vetant religiosum (etiam votorum simplicium : S. C de Relig 15 iun. 1911) librum in lucem edere sine facultate superioris Vol I. n. 460.

136 Cas III. Valerianus probabilius saltem conari *debet* elicere actum contritionis perfectae (nn. 131, 291).

196-7. Cas. I Solutio benigna nunc omnino certa est ex resp. S. C. R. 8 maii 1907.

206. Cas. VI. Sophia, ex concessione 7 dec. 1906, bis in mense communicare poterit, postquam aliquid per modum potus sumpserit.

216. Cas. I. Ne loquatur Asterius ita ut pueri intellegant sibi interdictam esse hebdomadariam vel etiam frequentiorem communionem : quod prorsus contrarium foret decr. *Quam singulari* S. C. de Sacram. 8 aug. 1910.

218. Cas. III 2o. Cum, secluso voto obedientiae erga confessarium, praeter paenitentiam sacramentalem confessarius nihil proprie praecipere aut prohibere paenitenti possit (quod nunc etiam valet quod ad S. Communionem), Felicianus potestatem suam praetergreditur subtrahendo communionem, etiam sub praetextu probationis — Ast expeditne talem probationem tamquam paenitentiam sacramentalem imponere ? Omnino contra mentem Ecclesiae esse videtur, neque nisi in rarissimo quodam casu approbandum, praesertim cum innumera sint alia media ad virtutem paenitentium exercendam.

222. Cas. I. 3o. Si paenitens mane adhuc in ore habuisset electuarium totum eiusve partem, illudque ex illis sit quae per se lentissime solvantur, neganda videtur S. Communio, etiamsi paenitens tunc expuisset. Etenim, deglutitione per noctem continuante, moraliter certum est aliquid post mediam noctem esse traiectum. Concedenda autem videtur S. Communio si electuarium ex illis sit quae regulariter brevi tempore solvantur ac proinde tantum per accidens non ante mediam noctem solutum fuerit : quo casu fortuito, recte reliquiis cibi assimilaretur.

238. Cas. IX. Deleatur casus, cum talia adiuncta verificari iam nequeant.

253. Cas. I. Attendat Rufinus in transmittendis intentionibus ad normas statutas decreto S. C. C. *Ut debita* n. 6o, et decr 22 maii et 9 sept. 1907. Cfr. Theol. Mor. II vol. n. 230 VII.

257. Cas. V. 2o In omni hypothesi excessum indebite retentum trans-

mittere debet Simon sacerdotibus qui reapse celebraverint (nisi impotentia restitutionis excusetur). Opinio enim excusans a peccato iniustitiae non iam tuta videtur. Cfr. Theol. Mor. ed 7ª, n. 231.

269 Cas III 2º Ex decis. S. O 1 aug. 1907 potest iam Siricius unam vel tres missas legere, sine speciali indulto, modo asservetur in hoc sacello S Sacramentum. Nec per se carpendus videtur quod inceperit paulo ante h. 12, si, ut in Belgio, *tempus verum* praecedit tempus legale.

299. Cas VI. Ad finem adde : *Absolutio* etiam propter aliam rationem ante baptismum condicionatum dari non potuit : ne exponeretur sacramentum periculo nullitatis propter probabilem invaliditatem prioris baptismi.

309. Cas III. 1º. Idem advertatur quod supra ad casum p. 136.

327. Cas. IV. In casu non agitur de probabilitate iuris, sed facti : unde prima pars solutionis non est accurata. Cfr. Theol. Mor. 7 ed. II vol. n. 330.

329. Cas VII. 1º. Iam nullum dubium est de iurisdictione Didymi, post decr. S. O. 23 aug. 1905 et 12 dec 1906 ; sufficit enim ut sit approbatus *vel* ab Ordinario proprio ex cuius dioecesi discedit, *vel* ab Ordinario portus in quo navem conscendit, *vel* ab Ordinario portus intermedii.

3º Si Didymus non ultra Hong-Kong navigaturus erat, iter eius maritimum absolutum est statim atquo in terram exivit. Proinde reditus eius post aliquot dies censetur novum iter ad quod indiget approbatione sive Ordinarii Hong-Kong tamquam Ordinarii portus unde navis solvit, sive Ordinarii sui, si alium Ordinarium proprium habet.

332. Cas. X. Supponuntur convictores illi etiam tempore feriarum manere apud Regulares.

340. Cas XVIII. Aequo severior videtur auctor. Etenim Benedictus XIV plectit sacerdotes complices in necessitate absolventes qui circumstantiam illam quae secus ab excommunicatione excusaret, scilicet periculum infamiae praesertim publicae incurrendae ex vocato alio sacerdote, *non* averterint congruis mediis (v. g. abeundo e paroecia). In casu autem hoc non agitur : non enim Nicomedius " non avertit periculum infamiae „ sed de facto praevertit infamationem suam privatam apud Gorgonium — Etiam quaerat quispiam utrum adhuc vigeat dispositio Ben XIV quae non repetatur in Bulla *Apostolicae Sedis* — Utique debet sacerdos peccator semper adhibere *media congrua* ad vitandum quominus ipse constituatur in necessitate absolvendi : sed dubitari potest utrum ad hoc ipse *debeat* positive invitare sacerdotem extraneum ad confessionem complicis audiendam, vel ipse inducere complicem ad confitendum apud sacerdotem extraneum.

381. Cas. II ita solvatur. In primis videndum est utrum sacerdos, conscius pravae intentionis mulieris, usus sit *praetextu* confessionis (puta invitando alta voce mulierem ad nunc confitendum) ad removendos adstantes ut libere peccaret : in hac hypothesi denuntiandus est.

Quod si non factum est, ulterius distinguatur oportet. — Si mulier incepit confessionem vel saltem se ad ipsam proxime accingebat, et pariter incepit sollicitationem cui sacerdos consensit : denuntiandus est, quia peccatum accidit in *actu* vel saltem *occasione* confessionis. — Si vero mulier statim significavit se confiteri nolle et sollicitavit, et sacerdos consensit : non videtur denuntiandus, ex lege positiva. S. Alph. n. 679.

In omni hypothesi, denuntiandus est si ad aliquam *veram simulationem* confessionis ambo se composuerunt : tunc enim peccarunt *in loco confessionis, simulantes confessionem audiri.*

Dicat quisquiam sacerdotem non esse denuntiandum quia *non ipse incepit sollicitare*, sed tantum sollicitanti consensit. Sed haec excusatio prorsus reicienda est in casu, quoniam ipse sacerdos turpiter tetigit mulierem : quod ipsum rationem habet sollicitationis. Benignior autem S. Alphonsi sententia procedit tantum de casu quo differtur *in aliud tempus* exsecutio consilii turpis. — Ceterum haec ipsa sententia incompossibilis videtur cum documentis S. Sedis, excepto forte casu quo denuntiatio fieri omnino non possit sine propriae culpae manifestatione.

399. Cas. IV. 2. Satis facile averti poterit periculum mirationis in astantibus, si explicat sacerdos quam incerta sint mortis signa. Quare propendendum in Extremam Unctionem ministrandam, praesertim brevi post mortem apparentem. Moneat tamen sacerdos de periculo dilatae Unctionis, ne procrastinandi abusus inducatur.

424-580. Casus solvuntur secundum ius quod vigebat ante diem Paschatis 1908, quodque etiam nunc applicandum est ad diiudicandum valorem sponsalium et matrimonii vel ante hunc diem contractorum, vel eorum qui decr. *Ne temere*, secundum subiectam materiam, non tanguntur.

Secundum hoc decretum, in Casibus sequentibus (p. 424-431), nulla sunt sponsalia, si non scripto cum debitis subscriptionibus et adnotato die (S. C. C. 27 iul. 1908) contrahuntur. Praeterea advertisse iuvat :

424-5. Cas. I et II, v. infra ad p. 428 Cas. VI.

426. Cas. III. Si assumitur forma sollemnis praescripta, scilicet per scriptionem, fieri non potest ut non putent se veram suscipere obligationem.

426. Cas. IV. Non iam valent sponsalia parentum pro filiis.

428. Cas. VI. Non solum nulla sunt sponsalia, sed neque promissio bilateralis (quam auctor in hoc casu admittit propter virtualem repromissionem puellae) probabiliter sub novo Iure subsistit, ita saltem ut sub gravi ex iustitia urgeat. — At promissio unilateralis ex parte iuvenis, si quae seorsim habetur, regulariter ut antea urgebit ad matrimonium contrahendum, vel saltem ad hoc urgebunt damna reparanda, si fraudulenter fuerint inducta.

429. Cas. VII. Ut valeant sponsalia, etiam cum acatholico, fieri debent scripto : neque quod ad sponsalia privilegium concessum est Germaniae.

431. Cas. II. In solutione iam sermo esse nequit de " sponsalibus clandestinis „.

445. Cas. V. 2o. Si illi advenae vere sedem fixerunt per se perpetuam in Anatolii paroecia, in ea proinde domicilium acquirentes ; vel si iam a mense in hac paroecia commorantur, Anatolius in sua ecclesia banna proclamare debet. Quasi-domicilium non iam attenditur in re matrimoniali. — Si alterutra saltem pars *vaga* est, banna non sunt proclamanda inconsulto Ordinario. — Curet insuper Anatolius ut banna proclamentur in *pristino domicilio* iuxta usus dioecesanos : quod per se sub gravi obligat.

447. Cas. II. Deleantur ultimae lineae solutionis cum de sponsalibus " privatis „ iam non nisi inter acatholicos sermo esse possit.

451. Cas. I. Medium informationis securioris suppeditat testimonium baptismi (quod semper exigendum est) : in quo mentio facienda est matrimonii ab ea persona contracti, si quod reperitur annotatum in libro baptismorum.

455. Cas. III. Irritum est matrimonium cum parochus non *requisiverit* consensum contrahentium.

456. Cas. V. Cum iam ubique (1) vigeat decr. *Ne temere*, baptizatorum matrimonium invalidum erit absente sacerdote, nisi ex adiunctis gaudent beneficio art. VIII decreti. Quo etiam casu ad valorem requiritur ut emittatur a sponsis *formalis* consensus coram duobus testibus. Unde magis quam antea dubitari poterit de valore matrimoniorum qualia in casu descripta sunt.

Cfr. Lehmk. Comp. theol. mor. Ed. 5ª, p. 511 nota 3.

457. Cas. VI. Non iam tuta est opinio favens valori consensus expressi a parentibus pro filiis (nisi vera procuratio intercesserit) : unde renovandus consensus erit ad cautelam.

457. Cas. VII. Cum pro orbe universo datum sit decr. *Ne temere*, adiuncta casus iam rarius verificari poterunt. Supponas v. g. sponsos esse " mixtae religionis „ et, in Germania natos, in Germania pariter hanc copulam habere.

472. Cas. V. Dicat quispiam in casu agi de impedimento natura sua publico, cui theologi nondum aptant solutionem suam de " altero casu perplexo „ (n. 468, 2º). — Sed si angustiae sunt eaedem, neque (ut in casu) timentur incommoda et scandalum ex benigniori solutione, nonne censenda est Ecclesia non urgere impedimentum ? Neque tunc censenda est obstare clandestinitas (n. 538). — Utrum autem haec sententia probabilis sit, viderint sapientiores.

485. Cas. III. Ubi agitur de impedimento iuris naturalis, scil. si fortasse Laurentius et Victoria sunt frater et soror, praesumptio pro legitimitate Victoriae non sufficit ut liceat matrimonium inire. Cfr. Lehmk. Cas. II, n. 966; D'Annib. III, n. 447.

489. Cas. III. Profecto *conandum* est ut matrimonium revalidetur, etiam si uterque est in bona fide.

494. Cas. I. Insuper si uterque ignoravit impedimentum criminis, probabiliter non incurritur, ac proin matrimonium haberi debet ut validum. Idem advertatur ad Cas. V, p. 497 et ad Cas. VIII, p. 498.

514-5. Cas. III et IV. Ut in his Casibus valeat matrimonium clandestinum, supponi possunt nupturientes in adiunctis art. VIII decr. *Ne temere*.

518. Cas. I. Ad *validitatem* matrimonii requirebatur praesentia (vel delegatio) parochi Lapurdensis. — Ad *liceitatem* licentia parochi (vel Ordinarii) alterutrius nupturientis, vel potius parochi sponsae.

519. Cas. II. Parochus pagi in suo territorio semper *valide* assistet matrimonio ; *licite* autem si Valeria *domicilium* habet in pago ut ab auctore explicatur, vel etiam si ipsa de facto iam a mense in pago commoratur. Quae si non habentur, roget Stephanus licentiam parochi urbani. *Quasi-domicilium* non iam attenditur in re matrimoniali.

520. Cas. III. Cum Tiburtius neque domicilium canonicum, neque menstruam commorationem in pago habeat, ad *licitam* assistentiam indiget parochus licentia parochi urbani, nisi forte Felicitas domicilio vel menstrua commoratione in pago gaudeat. Quod si non est, cum Tiburtius sit pagi burgimagister, datur profecto ratio sufficiens cur matrimonium in paroecia potius sponsi quam sponsae celebretur.

520. Cas. IV. Pacomius, in cuius paroecia situm est xenodochium, *valide* assistet matrimonio ; *licite* etiam si infirmus ibi domicilium acquisivit (ut auctor exponit) vel a mense commoratur ; secus, quantum fieri potest, petat

(1) Passim in Imperio Sinensi a die Paschatis 1909 tantum. (S. C. P. F. 29 febr. 1908). Idem advertatur ad casus pp. 526 et 580.

licentiam a parocho infirmi, curet ut sibi constet de statu libero etc. et requisitae fiant proclamationes, quantum fieri potest.

Quid si Ordinarius constituit sacerdotem in xenodochio cum potestate parochiali? — Xenodochia, aliive id genus loci non solent esse penitus exempti a iurisdictione parochi paroeciae; hinc parochus hospitii, saltem tamquam delegatus ab Ordinario, habebit cumulativam competentiam cum parocho paroeciae: valide et licite assistet eadem ratione atque ipse Pacomius (S. C. C. 1 febr. 1908), dummodo alteruter nupturientium sit aliquo modo eius subditus, puta per infirmitatem, per officium in xenodochio susceptum.

521. Cas. V. Lucianus sine delegatione valide et licite assistet matrimonio, quia Hyacinthus iam ab octo mensibus in eius paroecia degit; nec obstat quod ibi commoratus est more viatoris; praestat tamen ut matrimonium celebretur coram parocho sponsae. Curabit autem maxime Lucianus ut constet de statu libero, etc.

523. Cas. VII. Matrimonium est prorsus invalidum quia parochus neque testis est voluntarius neque requisivit consensum.

524. Cas. VIII. *Valor* matrimonii indubius est. *Licite* etiam sine ulla licentia assistit parochus, si puella servavit domicilium apud parentes, ut auctor exponit. Quodsi non contingit, petat licentiam parochus a parocho sponsi. Non suffragatur Rufinae " menstrua commoratio „ in pago, cum " paucis post diebus „ quam rediit in pagum, ibidem contrahere velit.

524. Cas. IX. Matrimonium invalidum est, cum Machutus habeat delegationem circumscriptam paroeciae S. Lupi, nec iam quod ad hoc punctum ullum privilegium est vagis. — Quin et Machutus indigebat licentia Ordinarii, ut *licite* horum vagorum matrimonio interesset.

525. Cas. X. Valor huius matrimonii " olim „ scilicet certe ante diem Paschatis 1908 contracti, diiudicandus est secundum Ius vetus, ut apud auctorem. — Nunc autem matrimonium clandestinum duorum Protestantium ubique valet, nisi obstat aliud impedimentum, v. g. consanguinitatis.

525. Cas. XI. Valor huius matrimonii, utpote sub vetere Iure celebrati, diiudicetur ut apud auctorem. — Nostris diebus matrimonium mixtum clandestinum *valide* contrahitur in Germania, dummodo sponsi ambo nati sint in Germania (S. C. C 28 mart. 1908). Extenditur ad Hungariam (1909).

526. Cas. XII. Si matrimonium de quo in casu, contraheretur post festum Paschae 1908, ubique valide iniretur; immo ubique in Germania a festo Paschae 1906 valide contraheretur (Const. *Provida*). — Quomodo autem revalidandum erit, si constat fuisse invalide contractum? Si coniuges in loco Germaniae ubi etiam pro ipsis vigebat decr. Tametsi, contraxerunt, et quidem ante festum Paschae 1906, tulerunt beneficium sanationis in radice quam concessit Const. *Provida;* quod valere videtur etiam si in festo Paschae 1906 non iam in Germania degebant. — Si autem contraxerunt extra Germaniam ante festum Paschae 1908, non sanatione in radice iuvantur quippe quae nulla concedatur in decr. *Ne temere*; nec si ignorant prioris consensus invaliditatem, renovatio consensus v. g. per protractam vitam coniugalem, matrimonium sanabit. (Theol. mor. II vol. n. 536 ad fin). Timotheus ergo, usus prudentia quam auctor describit, si iudicat omnibus inspectis matrimonium revalidandum potius quam abrumpendum, mulierem rogabit utrum, impetrata dispensatione in mixta religione, possit post abiurationem (ut ipsa melius gratiam sacramenti recipiat) cum marito se sistere parocho; quod si fieri nullo pacto possit, petat sanationem in radice.

Quod si mulier cognoverit sui matrimonii nullitatem, doceat Timotheus (ut eripiatur mulier ex angustiis, si cogitur debitum reddere) ante abiurationem posse revalidari matrimonium per renovatum consensum (puta per copulam) ab *utroque conscio* invaliditatis prioris consensus (n. 536 ad fin.). — Immo si certiorari nullo modo possit maritus de invaliditate prioris consensus, videtur in gravissimis adiunctis applicari posse doctrina de " casu perplexo „ intellecta altero sensu (n. 468, 2o).

527. Cas. I. Ex casus adiunctis, Leopoldus non videtur " parochus xenodochii „. (Cfr. supra ad Cas. IV, p. 520), quo facto tolleretur omnes difficultas. — *Si* ergo deficit tempus ad quaerendum sacerdotem competentem (qualis erit parochus S. Miniatis) vel delegationem ab eo, poterit Leopoldus valide adstare matrimonio, ex art. VII decreti *Ne temere :* legitimatio enim prolis quae per matrimonium assequenda supponitur, ratio est sufficiens ad utendum huius canonis beneficio. Et ex altera parte supponitur nullum aliud impedimentum obfuisse huic matrimonio praeter clandestinitatem.

528. Cas. II. Invalidum est matrimonium quoniam decr. *Ne temere* pro universo orbe valet.

528. Cas. III. Validum est matrimonium utpote coram parocho loci contractum. Sed, praeter caetera praestanda, nefas erat parocho ecclesiae S. Vincentii adstare huic matrimonio sine licentia parochi vel Ordinarii proprii contrahentium, si neque Albertus neque Armanda a mense in hac paroecia commorabantur.

529. Cas. IV. Matrimonium validum est. Sed ad liceitatem parochus S. Petri, quoniam nupturientes neque domicilium neque menstruam commorationem in eius paroecia habebant, indigebat licentia vel parochi sponsi, vel parochi Londinensis; vel etiam parochi quasi-domicilii sponsae non quidem ratione quasi domicilii formaliter sumpti (quod est *prorsus* neglegendum in re matrimonali. S. C. C. 28 mart 1908), sed ratione menstruae commorationis quam in hac paroecia habebat sponsa.

534. Cas. II. Ne attendendum sit impedimentum clandestinitatis, supponas ambos esse Protestantes.

535. Cas. III. Si parochus dolose in domum Blasii invitatus, non nisi audivit, et quidem invitus, consensum matrimonialem mutuo dari, matrimonium etiam ex capite clandestinitatis invalidum erit. (Decr. *Ne temere*, art. IV, § 3).

542. Cas. III Matrimonium in Anglia *valebit* semper si contrahitur coram loci parocho ; quod si fit ante expletam menstruam commorationem, indiget parochus ille *ad liceitatem* licentia parochi proprii alterutrius contrahentium.

546. Cas. IV. 3o " Requirere et excipere consensum „ parochus debet, ad valorem. Quod valet etiam de matrimoniis mixtis. S. C. C. 27 iul 1908.

550. Cas. VII. Prima pars solutionis, ubi supponitur matrimonium mixtum clandestinum esse validum, non iam valet nisi in Germania (et Hungaria) pro natis ibidem.

551. Cas. VIII. Ut adiuncta casus verificentur, supponas matrimonium celebratum esse sub antiquo iure.

554. Cas. IV. Addatur : Neque ex facultate facta a Pio X (n 500) poterit Ordinarius, vel parochus, vel quivis sacerdos cum Anacleto dispensare. *Haec* utique facultas non tantum concubinarios respicit Sed aliunde limitatur, scil. ad adiuncta in quibus art. VIII decr. *Ne temere* applicari possit, inter quae requiritur causa sufficiens ad matrimonium celebrandum. Iam vero talis causa deesse videtur, cum propter separationem iam factam, non

sit consulendum conscientiae neque scandalum reparandum (quin potius tale matrimonium vitandum est!). Neque legitimatio liberorum obtinenda suadebit matrimonium, cum utpote spurii per ipsum matrimonium legitimari non possint, neque, cum proveniant a persona sacra, ulla ad ipsos legitimandos sacerdoti dispensanti concessa est potestas. Facultas enim Pii X certo certius non est extendenda, quod ad legitimandi potestatem, ultra responsionem S. O. 8 iul. 1903, quod ad facultatem Leonis XIII (n. 523, 4°)

557. Cas. II. Attendendum est in quo gradu sint consanguinei. Si enim de dispensatione gradus maioris agitur (puta si Seraphina est consobrina germana Geruntii), casus dispescitur ut apud auctorem. Si de dispensatione gradus minoris sermo est, dispensatio per mendacium non vitiatur (nn. 521, 524), saltem si concessa est a S. C. de Sacram.

562. Cas. II et III. In locum Datariae succedit *Congregatio de Sacramentis.*

567. Cas. X; 568. Cas. XII; 569. Cas. XIII; 570. Cas. II; 571. Cas. III; 572. Cas. V. Loco *Datariae* et *Paenitentiariae* ponatur *Congr. de Sacram.* Ad hanc enim Congregationem nunc pertinent omnes dispensationes fori externi, sive oratores pauperes sint, sive non. — Valori tamen dispensationis " nihil umquam officiet error aut fraus (ad taxam effugiendam) circa oeconomicam petentis condicionem „. (In append. ad Const. *Sapienti consilio.* II. Ordo servandus, XI 3°, cfr. n. 528).

580. Cas. II. Prima pars solutionis ubi supponitur matrimonium mixtum clandestinum invalidum, valet nunc ubique terrarum, excepta Germania (et Hungaria) pro iis qui ibidem sunt nati (S. C. C. 18 mart. 1908). — Quibus proinde altera solutionis pars convenit.

581. Cas. I. Renovatio illa consensus *privata* in casu impedimenti naturae publici sed hic et nunc occulti, sicut renovatio ab una tantum parte conscia, nunc iam parum tuta videtur, (n. 537). Recurratur potius ad sanationem in radice.

589. Cas. V. In solutione auctor praetermittit uxorem iam expertam esse plenam voluptatem : unde ad abrumpendam copulam ante viri seminationem, multo gravior causa, puta tertii adventus, requiritur. Cfr. casum similem, Theol. mor. ed. 7, n. 546.

Lovanii, 15 ianuarii 1912. I. Salsmans, S. I.

Lovanii
Typis et Sumptibus F. CEUTERICK
60, Via Vital Decoster

1912

conatus quos laudabiliter facit Isidorus ad verba asperiora recte pronuntianda balbutiemque vitandam : nam nimis molestam curam ipsi imponere noluit Ecclesia, et praestat quaedam verba mutilari quam caritatem laedi, taedio iniecto adstantibus.

2° Quamquam saepe laudabiliter repetitiones in casu positae fieri possunt, praesertim ubi nullis scrupulis aluntur, non sunt tamen ex obligatione faciendae. Etenim plane tuta est omnibus qui probabilismum profitentur sententia quae tenet satisfieri attentione mere externa (n. 59) ; interruptiones factae ad respondendum interrogantibus plane licitae sunt (n. 58, IV, 3°) ; pariter probabile est satisfacere eum qui quaedam a socio dicta non percipit saltem distincte (nam aliqua confusa perceptio, nisi quis surdus sit, vix aberit) (n. 57, II).

3° Facile peccata venialia committere potuit Isidorus dum Horas in iis adiunctis recitavit in quibus multae res alienae eius mentem ab oratione avocabant, praesertim in raeda viae ferreae inter colloquentes de rebus quae facile sacerdotis curiositatem cient. Attamen, de impleta praecepti substantia dubitare non debet Isidorus, modo conatus fecerit ad vitandam quamlibet materialem omissionem in recitatione : quam vitare haud aegre poterit etiam is qui voluntarie ad alia simul attendit (n. 59).

CASUS IX

Barnabas sacerdos Horis recitandis saepe orationes iaculatorias, interdum longiores orationes miscet. Quandoque dubius haeret num sibi liceat Breviarium recitare iis temporibus in quibus praevidet necessarium fore ut saepe recitationem interrumpat vel distrahatur, utputa quando alumnis invigilat vel paenitentes coram sede confessionum exspectat.

SOLUTIO. — 1° Licite interdum Horis intermiscentur iaculatoriae orationes, minime vero orationes longiores : quippe quae in recitationem inducerent notabilem interruptionem sine iusta causa. Attamen quantacumque sit interruptio, nulla est repetendi obligatio (n. 58, IV).

2° Non licet, nulla iusta causa suadente, ea adiuncta recitando Breviario eligere in quibus multae interruptiones vel distractiones

vitari nequeant : id enim aequivalenter idem esset atque voluntarie interrumpere vel distrahi sine iusta causa. Immo etiam, quo plures praevidentur interruptiones vel distractiones, eo maior causa requiritur ut his defectibus inficiatur Horarum recitatio. Attamen sufficere videtur ea late dicta necessitas quam inducit amissio temporis facienda dum sacerdos, praesertim laboribus multis addictus, paenitentes in ecclesia praestolatur vel alumnis invigilat.

CASUS X

Antoninus quandoque a Paschali parocho, cui tamquam coadiutor addictus est, rogatur ut secum Horas recitet. Sed mox dubitare coepit num sibi liceret huic petitioni acquiescere : Paschalis enim tam festinanter recitat ut multa verba mutilet sententiisque omnem sensum auferat : insuper respondere incipit quando Antoninus vix medium versiculum suum absolvit.

SOLUTIO. – Si reapse per integram Horarum recitationem aut notabilem earum partem hac mutilata ratione partes suas explet Paschalis, non satisfecit Antoninus obligationi suae per huius modi recitationem : haec enim substantialiter vitiata est, tum propter sensum Psalmorum notabiliter mutatum, tum quia notabilis pars Horarum non est communicata cum socio qui eam audire non potuit (n. 58, III). Sufficeret tamen in hoc casu recitare ea quae detruncata fuere, videlicet generatim solos Psalmos. Ut obligationem illam molestam vitaret Antoninus, posset fortasse etiam submissa voce recitare quae a parocho truncantur : sic enim specie tenus tantum cum socio recitaret. Sed saepius fit ut defectus huius modi non sit substantialis, quia mutilationes sensum non corrumpunt et anticipationes non sunt notabiles, vel saltem quia utraeque non committuntur in magna Horarum parte, sed tantum hinc inde in quibusdam versiculis. Quodsi ita esset, Antoninus minime teneretur vel ad partem socii sui supplendam vel ad vitandam recitationem cum parocho : nam roganti Superiori inferior tale obsequium sine quodam incommodo (quod grave esse non debet) denegare nequit. Tandem tenebiturne Antoninus parochum suum monere de defectibus illis vitandis, si cum eo recitare

pergit ? Tenebitur si parochus comis et pius est, quia tunc commode et cum spe fructus fiet ; non tenebitur si Paschalis aegre hoc laturus aut de re nihil curaturus videbitur, propter incommodum et monitionis inutilitatem. Cfr. S. Alph. n. 165 ; Berardi, Prax. Conf. n. 3377.

CASUS XI

Protasius sacerdos, dum levi morbo correptus *(influenza)* se in lectum recepisset, dubitare coepit num Horas recitare teneretur. Dolebant illi caput, latera et fere omnia membra, tolerabiliter tamen, ita ut recitatio molesta quidem, sed non supra modum difficilis futura videretur. Quare, timens ne sufficientem excusationis rationem non haberet, Horas per partes minutas recitavit.

SOLUTIO. — Laudandus est Protasius ob conscientiam timoratam ; minime tamen vituperandus fuisset si se ab obligatione officii recitandi solutum existimasset. Nam qui adversa valetudine in lectum se recipere cogitur, merito timere debet grave incommodum e recitatione quae a plerisque saltem integram horam postulat. Ut enim aliquis cito convalescat, neque a levi infirmitate in graviorem cadat, plerumque necessaria est perfecta mentis et corporis quies : cui obstabit Horarum recitatio etiam in iis sacerdotibus qui nullis scrupulis agitantur, sed devote diurnum pensum persolvere intendunt. Hinc patet saltem prudenter timeri huius modi incommodum : quod sufficit ad habendam excusationem (n. 61, 1°). Secus dicendum esset si quis dolorem aliquem tolerabilem pateretur e quo non totum corpus infirmum fieret, neque sequeretur decumbendi necessitas, puta exiguum capitis vel ventris dolorem : nam cum tali incommodo solent vulgo omnes consuetis suis occupationibus vacare, neque generatim ullum grave detrimentum timendum foret e recitatione Horarum cum eodem coniuncta.

CASUS XII

Gervasius parochus, cum ob varias occupationes totius divini officii recitationem in tempus vespertinum distulisset,

vocatus est ad aegrotum longe distantem et multis aliis negotiis distentus est. Rediit in aedes suas circa horam nonam, viribus exhaustis : quas cum festinanter cena refecisset, breviarium aggressus est. Sed sensit se adeo debilem et somno oppressum ut post primum Nocturnum, deposito libro, lectum petierit, ratus ad officium recitandum illum non teneri qui illud devote et attente recitare non possit.

SOLUTIO. — Non peccavit graviter Gervasius omissa maxima officii parte. Etenim: 1° In iis adiunctis non potuisset recitare Horas sine maxima difficultate quae morali impotentiae accensenda est (n. 61). Ita de casu simili Elbel (Theol. Dec. p. 5. n. 452), qui tamen bene monet (n. 453) huius modi impotentiam in homine sano ob meram fatigationem raro contingere, neque sufficere ad excusationem levius incommodum, utputa quod clericus una hora tardius quam consueverit se ad lectum recipere queat. Neque admittenda ratio qua Gervasius usus est ad se excusandum, Dummodo enim somnolentia relinquat capacitatem praestandi illam attentionem quae necessaria est ut verba sine errore et mutilatione pronuntientur, seu materialem, salva est substantia devotionis quam Ecclesia in Horis persolvendis requirit (n. 59), neque licet Ecclesiae praeceptum posthabere eo quod in eo implendo caveri non poterunt quidam defectus accidentales qui, si recitans moralem diligentiam fecerit, nullam formalem culpam vel deformitatem inducent. — 2° Nequit imputari Gervasio omissio Horarum tamquam voluntaria in causa. Etenim licet venialiter peccaverit si, absque iusta causa, Matutinum ceterasque Horas ad Tertiam usque mane recitare omiserit (n. 54 seqq.), non est censendus praevidisse impedimenta quae potius casu contigere quam e solito rerum cursu.

CASUS XIII

Silverius Missionarius diem fere integram contionibus habendis, audiendis confessionibus ceterisque Missionis curis impenderat. Iam sero cenatus breviarium sumpsit, quod paene integrum recitandum manebat. Quod cum videret Bernardinus parochus : « Quid ! exclamavit. Iam tota die laborasti, et adhuc vespere, statim post cenam, Brevia-

rium recitabis ! Indulge paululum recreationi et postea cubitum perge, ut cras summo mane surgas alacer, ad labores Missionis prosequendos. Non potest velle benigna mater Ecclesia ut eius filii optime meriti se ipsos supra vires humanas onerent. »

SOLUTIO. — Cum Bernardino opinamur Silverium non teneri stricta obligatione ad Horas recitandas. Etenim moraliter per totam diem praestantioribus operibus occupatus est Silverius (n. 62, II). Neque dicas, eum posse legi satisfacere sine nimio incommodo, si nunc statim post cenam Horas recitet vel paulo differat decubitum. Nam moraliter necessaria est hominibus aliqua diurna recreatio, praesertim statim post prandium vel cenam, neque benignitati Ecclesiae congruere videtur ut iubeat somnum differre eos qui praestantioribus operibus impenderint totam diem, in qua, his operibus omissis, facillime tempus recitandi Horas repperissent. Quare assentimur Berardi (Prax. Conf. II. n. 3333) opinanti non teneri ad recitandas Horas missionarios " qui, quamvis tota die defatigentur, tamen aliquantulum citius surgendo simulque quaevis alia momenta libera attente arripiendo, cum non adeo magno incommodo officium quoque se posse recitare existiment. „ Manifestum est huius modi excusationem facilius suffragari iis qui pluribus diebus continuis, puta tempore missionis, exercitiorum spiritualium, etc., huius modi labores sustinent, quam iis qui, iisdem una tantum die perfuncti, postridie quieti indulgere possunt. Cfr. dicta in materia simili de ieiunio Vol. I. n. 445, 3°. Atque haec de stricta obligatione dicta sint, ne quis peccet e conscientia male formata, minime vero ut vituperetur vel dissuadeatur praxis timoratorum qui non solent, in talibus adiunctis, a breviario recitando abstinere. Saepe tamen huius modi difficultatibus provisum est per privilegia missionariis concessa vel dispensationem a Superiore, in casu particulari, concessam.

CAPUT III

DE OBLIGATIONIBUS PARTICULARIBUS CLERICORUM

§ 1. DE PAROCHIS

CASUS I

Anatolius parochus, nulla licentia petita, per integram hebdomadam ad amicos quosdam invisendos afuit. Rogaverat tamen parochum vicinum ut si quis e paroecianis infirmaretur, curam eius gereret, et Thaddaeum iuvenem sacerdotem ut die Dominica divina officia celebraret. Quin etiam, cum plurimum amicorum hospitio delectatus esset, quater ad eos tota hebdomada rediit, iisdem adhibitis cautionibus ne quid detrimenti parochia caperet.

SOLUTIO. — 1° Leviter sane peccavit Anatolius dum integra hebdomada afuit, nulla petita ab Ordinario licentia. Id enim contra ius commune est, quo requiritur ut non nisi ad breve tempus, puta bidui triduive, absit parochus, nullius licentia petita ; neque solent peculiaria Statuta synodalia vel probatae consuetudines id indulgere ut sine legitima venia absit parochus ad octo dies, praesertim inclusa die Dominica vel festo de praecepto. Sed damnandusne erit de peccato gravi ? Profecto non ob detrimentum paroeciae suae illatum, si vicinus parochus et Thaddaeus apti sunt ad praestanda quae ad eius curam requiruntur. Neque per se ob omissam veniae petitionem, cum sententia communis a gravi peccato eximat parochum qui absit sine licentia per sex vel septem dies, relicto tamen vicario idoneo (S. Alph. 1. 5. n. 123). Sed videndum num forsan Ordinarius huius modi breviorem absentiam sub gravi prohibuerit : quod sane eius potestatem non excedit. Gravitas illa colligenda erit vel e verbis severioribus quibus

utantur Statuta synodalia, vel e poena gravi quam ipso facto delinquens incurrat (Vol. I. n. 107).

2° Repetitae illae Anatolii absentiae certo coalescunt. Vetat enim Trid. (Sess. 23. de ref. c. 1) ne tempus absentiae, *sive continuum, sive interruptum*, excedat duos menses, atque idem probat finis legis : neque hic agitur de illis paucarum horarum absentiis quae, utpote minimae, moraliter non interrumpunt residentiam ideoque non sunt computandae. Sententia autem communis absentiam debita facultate carentem peccati mortalis damnat si ad duas tresve hebdomadas extenditur (Lehmk. II. n. 644). Quare graviter peccasse censendus esset Anatolius qui per quinque hebdomadas afuit. Attamen non improbabilis videtur sententia quam inter recentes etiam tuetur Berardi (De Parocho, n. 53) : eum a gravi reatu excusari, quia absentia eius non fuit continua, sed interpolata, quae circumstantia certe minuit periculum damni et scandali. Alii AA. antiquiores, quos refert S. Alph. (l. c.) et a quibus discedit, haesitanter tamen, docebant non fore gravem reatum parochi qui absit, relicto vicario idoneo, nisi absentia duos menses superet, quia absentia duorum mensium iuxta Conc. Trid. indulgeri potest parochis ideoque modica censenda est : quae ratio minime spernenda videtur.

CASUS II

Gothefridus parochus occupationem, quam in exigua paroecia sua frustra quaereret, excurrendo reperire nititur. Itaque saepe infra hebdomadam summo mane post celebratum Sacrum tendit ad urbem vicinam, ad consanguineos, ad amicos, sub noctem tantum ad oves suas rediturus. Neque se officio suo deesse existimat, quia semel pro semper monuit paroecianos posse eos, in casu ipsius absentiae, recurrere ad Sigisbertum, vix semi-leuca distantis paroeciae sacerdotem, qui, cum studiis theologicis sit addictissimus, semper domi manet.

SOLUTIO. — Graviter peccat Gothefridus (nisi quoad praeteritum bona fide excusetur). Etenim imprimis fieri potest ut creberrimae illae excursiones superent duos menses : unde etiam in

opinione benigniore quam supra (Casus I) exposuimus, gravem reatum admisit ob notabilem absentiam sine Ordinarii licentia. Non enim agitur de absentia paucarum horarum, quae quasi nihil computari potest ac proinde non coalescit : siquidem Gothefridus die moraliter integra a paroecia sua abest. Deinde vix non est certum induci periculum gravis nocumenti paroecianorum et scandali. Nam si Gothefridus Sigisbertum generali tantum ratione rogavit ut periclitantibus paroecianis suis opem ferret, facile continget ut absente Gothefrido, absit quoque Sigisbertus : unde fiat ut quidam sine ultimis sacramentis moriatur, populus vero graviter indignetur contra parochum iugiter absentem. Augetur plurimum scandali periculum in iis regionibus in quibus (ut in Belgio) praesto sunt viri impii qui huius modi sacerdotum neglegentias ephemeridibus longe lateque divulgent ex iisque occasionem sumant detrahendi toti ordini sacerdotali cum maximo pusillorum scandalo. Tandem, etiamsi nullus repentinus casus contingit, facile fiet ut Gothefridi paroeciani multum ab eo avertantur, dum vident se iugiter a parocho relinqui ut huc illuc, solius recreationis causa, excurrat : unde grave detrimentum ipsius auctoritati et ministerii fructibus inferatur. In casu raro, a gravi peccato excusari posset Gothefridus, nempe si Sigisbertus adeo studax esset ut vix umquam e paroecia pedem moveret, populus autem tam bene dispositus esset ut de gravi scandalo timendum non esset.

CASUS III

Pancratius parochus cum Anatolio vicario suo in pagum vicinum, duabus fere leucis distantem, circa meridiem via ferrea profectus erat : tendebant in domum convivii, circa horam sextam reduces futuri. Sed ecce luctus irruit ! Sebastianus, qui valetudine renidebat sicut ceteri omnes paroeciani, quando ambo sacerdotes profecti sunt, subito circa horam secundam apoplexia in publico foro correptus est. Curritur ad parochum : abest. Ad vicarium : iter agit. Ad pagum vicinum quidam nuntius mittitur. Interea moritur Sebastianus, populo amare querente quod parochus et vicarius oves suas deserant ut ad convivium tendant.

SOLUTIO. — Immerito imputaretur Pancratio vel Anatolio Sebastianum absque ultimis sacramentis obiisse. Etenim, cum ad paucas horas uterque afuturi essent nullusque e paroecianis in mortis articulo positus aut gravi morbo correptus esset, nullum grave detrimentum probabiliter paroecianis imminebat ex absentia brevi et minime repetita. Haec enim merito a Berardi (De Parocho, n. 8) habetur tam brevis ut non sit consideranda tamquam vera absentia. Quin et ipsa S. C. C. 8 febr. 1747 respondit fas esse parocho a mane usque ad vesperum abesse, nulla petita licentia, modo raro fiat in anno, neque ullus e parochianis graviter decumbat. Cfr. Lehmk. II. n. 644. Laudabiliter tamen ageret Pancratius si, quantum fieri potest, huius modi casuum periculum removeret, neque sine causa urgente ad medium fere diem una cum vicario suo abesset, praesertim ubi populus severius sacerdotes iudicare et increpare solet : quod ceteroquin multo facilius praestabit parochus a vicario adiutus quam qui solus paroeciae praeest.

CASUS IV

Brennus parochus, cum exiguam sermonis facilitatem haberet, saepe a contione sub diversis praetextibus, seu etiam nulla causa requisita, diebus Dominicis festisque abstinebat. Hinc interdum uno mense continuo, interdum sedecim vel septemdecim vicibus interpolatis populum doctrinae pabulo nutrire omisit. Post aliquot annos vicarium nactus qui eloquendi facultate plurimum populo placeret, ei fere totam curam contionandi reliquit.

SOLUTIO. — 1° Non videtur graviter peccasse contra legem Ecclesiae Brennus ubi contionari per unum mensem continuum omisit : siquidem probabile est gravem reatum violatae huius legis tum demum incurri cum per tres menses continuos haec cura neglecta fuerit (n. 69, II). Sed videndum num forte grave scandalum dederit populo, nempe dum causam praebuerit ob quam se ipsum vel totum ordinem clericalem gravibus detractionibus obiecerit, vel graviter nocuerit populo, qui sine assiduis contionibus a parocho factis in magnam ignorantiam lapsurus videatur.

2° Graviter peccavit Brennus dum sedecim vel septemdecim contiones uno eodemque anno omisit. Quamquam enim agitur de

omissionibus non continuis, cum tamen numerus notabiliter excedat contiones per tres menses habendas (tredecim vel, cum festis sollemnibus, etiam quattuordecim), notabiliter officio sibi etiam per solam legem positivam imposito defuisse dicendus est. Leviter tamen peccasset Brennus si quando iusta causa a contione habenda excusatus fuisset : quae causa potuit oriri sive e parte populi, puta dum urget necessitas laborandi die Dominica ad messem a tempestate servandam, sive e parte sacerdotis faucibus dolentis vel aliter impediti quominus contionem habeat. Non est enim computandus nisi numerus contionum quae sine iusta causa omissae fuerint.

3° Peccavit Brennus ubi, nulla venia ab Ordinario petita, habitualiter commisit vicario suo munus quod per se gerere iubetur, nisi legitime impeditus fuerit : minor enim aptitudo vel populi favor nequit allegari tamquam excusatio ab eo qui, munus parochiale suscipiendo et retinendo, implicite se declarat idoneum eius functionibus obeundis. Attamen, nisi grave scandalum inde pateretur populus, non putaverim parochum gravis reatus esse damnandum : siquidem, substituto idoneo, immo et praestantiore contionatore, finis legis sufficienter obtinetur. Supponimus tamen vicarium illum contionari ea ratione simplici et practica quam Trid. (l. c.) commendat parochis ipsis, minime vero inani apparatu supra captum vulgi attolli.

CASUS V

Lambinus parochus, cum laborem componendae memoriterque discendae contionis summopere horreret, tres quattuorve libros in quibus homiliae in evangelia Dominicarum et festorum totius anni proponantur emit : e quibus, singulis diebus quibus contionandum est, lenta voce homiliam unam populo suo dormitanti praelegit. Sed beatum parochi otium perturbavit Terentius eius confessarius qui, de re certior factus, paenitentem monuit eum sub gravi teneri ad contiones componendas et memoriter recitandas.

SOLUTIO. — Extra dubium est venialiter peccare Lambinum dum populo suo lectionem pro contione, quam postulat lex Tridentina, obtrudit. Id tantum controverti posset, num peccet graviter.

Reapse in casu recte videtur Terentius gravis culpae conscientiam iniecisse. Lambinus enim non tantum omisit memoriae mandare seu totam contionem seu saltem dicendorum summarium, sed praeterea neque ipse ea ad captum plebis suae accommodavit; tandem ea ratione homiliam suam praelegit quae adstantibus somnum taediumque religiosae institutionis iniceret. Quare si ita egit nulla iusta ratione ductus, sed otiandi cupidine victus, non tantum materialiter recessit a Tridentini praescriptione, sed notabiliter impedivit fructum quem Concilium in hac lege sua intendebat. Haec a fortiori valebunt si homiliae his libris propositae (ut saepe fit) penitus supra paroecianorum captum fuerint. Verum nollemus gravis culpae arguere parochum qui, memoriae diffidens, vel etiam ad ingratum laborem vitandum, praelegeret populo ea quae ipse conscripsisset, conatus ea exprimere et ea ratione quae cum paroecianorum necessitatibus et capacitate congruerent; neque eum qui magna sedulitate pararet et praelegeret homilias vel contiones ab alio conscriptas sed quae, quoad argumentum et exponendi modum, haberent dotes quas Tridentinum in sermone parochi requirit. In utroque enim casu parum discederet parochus ab officio quod ipsi a Concilio impositum est. In hunc fere sensum scribit Berardi, op. cit. n. 121.

CASUS VI

Tranquillus, parochus in magna quadam paroecia urbana, saepe dubitat quid facere teneatur ad cohibenda scandala quae multos ex eius paroecianis in peccatum trahant. Ita dolens videt : 1° Apud bibliopolas publice exponi imagines obscenas, quas multi utriusque sexus adulescentes mala aviditate intuentur. — 2° Multos operarios cogi absque necessitate ad laborandum die Dominica et ad Sacrum omittendum. — 3° Passim in domibus plebeiorum vendi legique folia Socialistica. — 4° Quendam ex optimatibus, qui singulis Dominicis diebus Sacro interest et catholicus audire vult, eas relationes fovere cum aliqua muliere, privatim in cubiculo quodam morante, quae vulgo dicantur adulterini nexus.

SOLUTIO. — Profecto speciali ratione, ob susceptum parochiale munus indeque ortam obligationem curandi spirituale paroecianorum suorum bonum, tenetur Tranquillus conari ut scandala illa avertat (n. 70, V). Speciatim :

1° Si spes datur (ut saepe fit) obtinendi ut magistratus obscenas illas imagines tolli iubeat, tenetur Tranquillus per se vel per alium virum idoneum adire magistratum : saepe enim is monitus tollet quod sibi relictus non curabit (Berardi, de Parocho, n. 600).

2° Videndum num prudenter sperari possit ut eri, directores, actionarii etc., a quibus pendent miseri illi operarii, impiam illam agendi rationem mutent si a parocho vel ab aliis, quos parochus excitaverit, moneantur quantum spirituale detrimentum operariis suis inferant. Quodsi talis spes foveri potest, parochus tenebitur ad hanc monitionem per se vel alias personas idoneas seu voce, seu scripto faciendam. In tali argumento cavendum ab utroque extremo : uno, ad quod magis prona est humana socordia, ut quilibet conatus statim declaretur inutilis vel nimius, praesertim cum parochus non tantum e caritate, sed e iustitia, ob munus susceptum haec mala avertere teneatur ; altero, in quod impingunt quandoque valde timorati, ne reputentur stricte obligatoria quae sunt cum summa difficultate coniuncta, utputa adire ad homines plurimos, litteras scribendi nullum finem facere, etc.

3° Cum habitualis lectio talium ephemeridum vix non necessario post breve tempus mores christianos pervertat ipsamque fidem labefactet aut etiam eradicet, magnos conatus adhibere debet Tranquillus ut tantam pestem ab ovibus suis arceat. Quare imprimis publicis contionibus et catechismis paroecianos suos doceat quanta pericula e lectione eorum diariorum, quae impietatibus scatent atque ab Ecclesia prohibentur, oriri soleant, neque omittat pueros idem docere in catechismis, cum brevi iisdem periculis obnoxii futuri sint : nullas tamen ephemerides publice nominet, ne forsan querelae ad tribunalia deferantur. Praeterea, cum plures plebeii homines diaria legere soleant, venenum ignorantes, tenetur parochus ad eos sollerter de tanto periculo monendos, utputa dum paterne eorum domos inviset et, quasi ignoret eos diaria illa legere, periculum talium ephemeridum, quae multum inter suos spargi doleat, exponere incipiet.

4° Raro quidpiam faciendum erit parocho cum huius modi optimate adultero. Hic enim ignorare nequit scandalum quod huius modi relationibus suspectis populo praebet, et rarissime spes erit fore ut a parocho monitus mutet quod, passionibus abreptus,

contra conscientiae dictamen iam dudum patrat. Quare generatim talis monitio relinquenda erit confessario, si idem vir ad sacramenta accedit. Neque veri nominis scandalum in eo est quod, qui talibus nexibus implicatus vivit, ad Sacrum adeat et catholicus nominari velit : fidei enim professionem et quorundam praeceptorum observantiam cum pravis moribus componi posse nullus prudens ignorat. Scandalum tantum foret si talis homo ad sacram mensam assidere vellet, quippe quae gravis reatus immunitatem poscat.

§ 2. DE PAROCHORUM ADIUTORIBUS

CASUS I

Venantius, Ladislai parochi adiutor seu vicarius, saepe summo mane a parochia discedit, vespere tantum rediturus ; immo etiam interdum ad plures dies per hebdomadam afuit, neque de his absentiis parochum monuit. Idem, mortuo Ladislao, omnes facultates suas exercuit donec novus parochus nominaretur, perinde ac vivente Ladislao fecerat.

SOLUTIO. — 1° Obligationes muneris sui violat Venantius si ad tempus non omnino breve, puta ad paucas horas, a paroecia discedit sine consensu parochi saltem rationabiliter praesumpto. Ipse enim se obligavit ad parochum in functionibus pastoralibus iuvandum : quod praestare nequit nisi in paroecia resideat (Gury, Cas. Consc. II. n. 67). Raro tamen graviter peccabit dum, parocho inscio vel invito, a parochia discedit : quia plerumque, remanente parocho aliove sacerdote, aberit periculum gravis detrimenti spiritualis populo inferendi ; ipse autem vicarius non directe cadit sub legem quam Trid. tulit de iis qui proprio nomine curam animarum exercent. Graviter tamen delinqueret, si paroeciam per plures dies desereret dum abesset ipse parochus neque ulli alii sacerdoti idoneo curam fidelium commisisset, vel si creberrime abiret nullatenus curans num parochus remaneat : sic enim facile contingeret ut moribundi absque sacramentis obirent et populus scandalum pateretur, prout dictum est supra de parocho.

2° Recte egit Venantius post mortem Ladislai, si omnes quas habebat facultates ab Ordinario accepit : hae enim dantur modo

absoluto, neque ullatenus pendent in duratione sua a vita parochi coadiuti. Si vero aliquas facultates a Ladislao acceperat, hae cum delegante exspirarunt (n. 71, III).

CASUS II

Theotimus, adiutor Aegidii parochi, dolens cernit multa a viro incurioso tum in ecclesia parochiali, tum inter paroecianos neglegi : ecclesiae ornamenta et linteamina sordida adhiberi, non renovari suo tempore sacras species, nihil curare parochum de impediendis detrimentis quae per scholas et ephemerides pravas moribus fideique suorum immineant, etc. Quodsi parochi neglegentiam quandoque supplere conatur vicarius, statim illum sibi infensum qua verbis, qua factis experitur.

SOLUTIO. — Theotimus non tenetur, vi muneris sui, ad supplenda quaecumque Aegidius in fungendo munere suo neglegit : cura enim paroeciae ipsi non est credita nisi cum dependentia a parocho (n. 71, IV), ac proinde non est exercenda nisi quatenus parochus adiutoris sui operam requirit vel saltem eam libenter admissurus videtur. Quare, cum constet Aegidium esse invitum quominus vicarius se his abusibus corrigendis immisceat, iidem nullatenus imputari possunt Theotimo ; immo etiam contra oboedientiam parocho debitam delinqueret si contra apertam eius voluntatem his malis mederi vellet, dummodo vicarius non cogatur aliquid personaliter facere quod legi ecclesiasticae vel naturali repugnet. Manet tantum obligatio impediendi haec detrimenta divini cultus vel salutis animarum per admonitionem Ordinarii ; cuius erit determinare quomodo postea se gerere debeat vicarius si parochus, etiam monitus, officio suo deesse pergit.

SECTIO III. — DE OFFICIIS RELIGIOSORUM

CAPUT I

DE RATIONE INEUNDI STATUS RELIGIOSI

CASUS I

Theodosius, confessarius Regularis, totus in eo est ut adulescentes et puellas, a quibus in sacro tribunali aditur, ad capessendam religionem inducat. Si quem iuvenem, etiam nunc primum apud eum confitentem, pium castumque e confessione instituta agnoscit : « Vere, inquit, nescio cur non fieres religiosus. An non haberes animum ingrediendi Ordinis nostri ? » Si vero aliqua puella vel minimam propensionem ad monasterium ingrediendum patefacit : « Haec cogitatio, ait, non nisi a Deo venire potest ; quam primum poteris, experire vires tuas in noviciatu : si forsan oneribus religiosae vitae ferendis impar sis, probatio illa satis hoc tibi ostendet. »

SOLUTIO. — 1° Per se laudabiliter agit Theodosius dum paenitentes ad vitam religiosam capessendam inducit. Etenim per se laudabile est allicere ad statum qui ex natura sua magnam securitatem salutis et assequendae perfectionis facilitatem praestat. Quare S. Thomas (2. 2. q. 189. a. 9) : " Inducentes alios ad religionem non solum non peccant, sed magnum praemium merentur. „ Cavendum tamen ne in alliciendo ad religionem aliqua inordinatio committatur, utputa si quem mendaciis attrahas, ut observat S. Thomas (l. c.). Attamen si quis inducit alium ad Ordinem vel Con-

gregationem determinatam, caute procedendum est, non tantum ut non inducat ad Ordinem in quo graviter relaxata est disciplina religiosa (quod hodie raro usuvenit), sed etiam ne inducat eum qui non videatur idoneus ut in hoc Ordine procuret finem eius peculiarem et se accommodet eiusdem regulis vitaeque rationi. Eum enim qui hac aptitudine careat ad ingressum impellere nihil aliud esset quam eum frustra magnis molestiis exponere et Ordinem inutilibus curis et expensis obicere, cum moraliter certum sit eum esse exiturum vel dimittendum (Piat. Prael. I. Reg. p. 38. q. 4). De ea vero inductione loqui intendimus qua paenitentibus idoneis ac probabiliter vocatis exponuntur excellentia status religiosi, eius commoda et securitas, declaratis simul obligationibus.

2° Modum excedit Theodosius, dum ita incognitum iuvenem statim ad religionem capessendam inducit. Etenim hoc manifestum est de suasione ut eum Ordinem ad quem pertinet confessarius amplectatur : quomodo enim hic sciet hunc iuvenem habere omnes dotes requisitas ut saltem prudenter sperari possit perseveraturus in hoc Ordine et utile eiusdem membrum futurus ? Temere igitur eum impellit antequam satis eum noverit : nam aliunde ignotum esse, in casu, supponimus. Sed etiam quatenus paenitentem ad religionem in genere capessendam impellit : quia saepe timendum est ne huius modi impulsus ex abrupto datus iuvenem potius a religione amplectenda removeat, quam existimabit sibi quasi per vim obtrudi. Deinde, cum iuvenis ille, utpote pius, alium ordinarium confessarium habeat, praestabit huic relinquere curam eum dirigendi in vitae statu amplectendo, cum multo aptior sit ad hoc praestandum.

3° Pariter imprudentem se praebuit Theodosius dum puellis, nullo examine instituto, respondit consilium ineundi status religiosi non nisi a Deo venire posse et quam primum exsecutioni mandandum esse. Fieri enim potest, praesertim in puellis pie educatis, ut religionem ingredi cupiant, non satis attendentes quanti momenti consilium capiant, aliunde vero, ob infirmam valetudinem, ob indolem mutabilem, ob nervorum tyrannidem etc., vix ullam spem faciant perseverandi utileque obsequium religioni praestandi. Varia autem incommoda tum pro singulis personis, tum pro domibus religiosis ac velut pro universo statu religioso, saltem ob mores receptos et praeiudicia mundana, e multiplicato noviciorum ad saeculum reditu oriri indubium est (n. 76). Quare talia desideria laudanda semper sunt; antequam vero exsecutioni mandentur, sedulo a confessario examinentur oportet.

CASUS II

Paphnutius confessarius certior factus est a Petronilla, paenitente sua, quam acriter cuperet ingredi monasterium in quo a pueritia educata fuerat. Sed cum existimaret multas puellas sine vera vocatione amplecti statum religiosum, unice propter amicitiam quam cum monialibus a quibus educatae fuerint contraxerint, postea autem infelicem vitam agere in statu ad quem vocatae non sint, diu negavit consensum suum. Paulatim autem, in familia mundanis voluptatibus dedita, deferbuit Petronillae desiderium, donec tandem viro impio nupta, fere penitus a colenda religione recessit.

SOLUTIO. — Recte egit Paphnutius si consensum suum per aliquot menses dare distulit, interim vero paenitentem iussit eam vitam in saeculo degere quae quasi praeparatio ad vitam religiosam foret. Reapse enim dabatur aliqua ratio dubitandi de firma voluntate Petronillae ferendi onera vitae religiosae, cum facile fiat ut mere naturali desiderio fruendi societate monialium a quibus educata fuerit, vel amicarum quae idem monasterium ingressae sint, puella ad eandem Congregationem ingrediendam moveatur magis quam supernaturali desiderio perfectius serviendi Deo : quae dispositio sane imperfecta est atque omnino in meliorem mutanda, antequam confessarius consilio ingrediendae religionie fidat tamquam satis firmo ut puella in via perfectionis perseveret. At si Petronilla iam per aliquot menses argumenta dedisset voluntatis firmae rectaeque intentionis, puta dum in vita plane pia inter consanguineos tepidos vel impios ducenda perseveraret, carpendus esset Paphnutius si diutius obstaret quominus consilium suum exsequeretur puella. Parum enim valet illa generalis ratio deducta e motivis naturalibus quae multas puellas impellunt ad vitam religiosam ingrediendam. Nam Deus utitur mediis etiam naturalibus ut nos ad salutem capessendam inducat : quae potius occasio quam verum motivum recte agendi dicenda sunt (Vol. I. n. 37. Regula III). Sic laudabile est alere pueros cum directa etiam intentione eos alliciendi ad religionem, ut fit in Scholis Apostolicis. Nihil enim fit inordinati, ut loquitur S. Th. (2. 2.

q. 189. a. 9) " si aliquis alicui pauperi necessaria subministret in saeculo nutriens eum ad religionem. „ Minus adhuc de vocationibus religiosis puellarum dubitandum est ex eo quod plures infelicem vitam agunt in religione, quas etiam arrepti olim consilii paenitet. Earum enim pleraeque infelices ideo tantum sunt quia in voluntarium teporem lapsae sunt, dum facile potuissent felicem vitam ducere si melius gratiae vocationis respondissent. Quasdam tamen fatemur ob indolem nimis levem, ob nervos supra modum sensibiles, ob invidiam vel hypocondriam etc. parum aptas esse ad vitam feliciter et cum decore in Congregatione religiosa ducendam. Sed detrimentum inde ortum in Congregationem cuius membra sunt cadit potius quàm in ipsas religiosas : quae, si inter saeculares mansissent, non minori oneri fuissent sibi et aliis quam nunc sunt ; salutis vero assequendae multo minorem securitatem habuissent quam nunc habent. Quare haec detrimenta potius cavenda sunt a Superiorissis et Magistris Noviciarum quam a confessario, cuius praesertim est spirituali singulorum utilitati prospicere. Hic ergo non debet diutius haerere ubi dubium circa talem aptitudinem vertitur, praesertim ubi puella, ut Petronilla nostra, pertinet ad familiam voluptatibus mundanis deditam. Quin etiam si magnum periculum perversionis ex hoc parum christiano spiritu consanguineorum oriretur, praestaret, etiam cum sat magno dubio de genuina vocatione, statim permittere ingressum. Exiguum enim detrimentum oritur si puella, aptitudine ad vitam religiosam destituta, brevi e noviciatu redit ; maximum, si ea quae vera vocatione donata erat, propter moram inter consanguineos protractam, in statum teporis vel etiam perversionis labitur, prout infeliciter non raro contingit.

CASUS III

Vitus adulescens, dum in Universitate studebat, Lampridio confessario suo manifestavit se dubium haerere utrum in his studiis perseverare an vitam religiosam amplecti deberet. De vocatione sua potissimum dubitat quia singulis fere hebdomadis in peccata quaedam solitaria luxuriae cadit ; aliunde vero timet ne salutem suam in saeculo magnis periculis obiciat, quia se magis in dies rebus mundanis affici sentit.

SOLUTIO. — Interrogandus erit Vitus quam religionem vel saltem religionis speciem ingredi cupiat. Si (quod parum veri simile est) Ordinem aliquem mere contemplativum vel saltem parum operibus zeli intentum amplecti velit, non apparet quare ipsi non consulatur saltem experiri num vitam illam, a periculis salutis tam remotam, ducere queat. Si vero (ut in iuvenibus culti ingenii fere semper continget) coetum quendam religiosum ingredi velit, qui praecipue in exercendis sacerdotalibus functionibus aliisve bonis operibus erga proximum detineatur, ulterius rogandus erit utrum has pravas consuetudines iam a multis annis habeat an nuper e maiore licentia sociorum saeculique illecebris contraxerit. Hoc posterius si contingeret, magna spes est fore ut a periculis illis maioribus remotus et ubere salutis subsidio, quod religio praestat, fultus, castitatem servet prout eam antea servavit : quam spem minime evacuarent quidam lapsus minime protracti qui antea contigissent. Quare haud imprudenter iuberet Lampridius adulescentem petere admissionem in coetum religiosum (nisi nosset hunc, ut fit in Societate Iesu, nullos admittere velle ad noviciatum qui adhuc recens pravis consuetudinibus contra castitatem immersi vixissent). Si vero iam a longo tempore iisdem miseriis implicatus vixit paenitens et forsan earum causa, suadente confessario, a religione ingredienda abstinuit ubi studiis humanioribus finem imposuit, iubendus erit imprimis fortem animum ostendere in ducenda vita pia et casta.

Quamquam enim, spectata sola utilitate spirituali adulescentis, nulla stringens ratio apparet ob quam non permittatur Vitus experiri vires suas, prudentia tamen suadet ne ad noviciatum ineundum impellantur ii de quorum aptitudine ad vota emittenda graviter dubitetur (n. 76). Talis autem censendus est Vitus relate ad ordinem exterioribus zeli operibus addictum, seu sacerdotalem, seu laicum : nam cum peccati venerei consuetudo iam inolita sit, valde timendum est ne eam in ipso statu religioso servet ac proinde, seu sponte, seu impellente confessario vel magistro noviciorum, exeat, aut, si pravis moribus imbutus perseveret, scandala praebeat, Ordini et Ecclesiae valde nociva.

CASUS IV

Thyrsus, magister idemque confessarius noviciorum, duobus iuvenibus, qui mox noviciatum absoluturi erant,

declaravit eos in conscientia teneri ad saeculum repetendum : alterum, quia potius desiderio fugiendae inopiae quam assequendae profectionis ingressus, vera vocatione carebat ; alterum, quia involvebatur pravis consuetudinibus quae ipsum in magnum periculum inducerent crebro violandi castitatis voti. Tertium vero novicium, quem parentes vehementer incitabant ut in familiam suam rediret, edixit sub gravi teneri ad vota emittenda, cum certo a Deo vocatus esset, in familia vero parum pia, ob magnam indolis levitatem, aegre in vita christiana esset perseveraturus.

SOLUTIO. — Ter immerito gravem obligationem denuntiavit Thyrsus. Etenim :

1° Minus recta intentio qua adulescens ingressus sit, profecto in meliorem mutanda est. Quod si iam factum est, nihil obstare potest haec mere praeterita imperfectio quominus nunc vota emittantur riteque serventur. Si vero, ob quaedam indicia vel ipsam adulescentis confessionem, nosset Thyrsus eam intentionem adhuc perstare, haec ratio esse non posset ob quam paenitens sub gravi obligaretur ad religionem deserendam. Nam, etsi imperfecte acturus est dum vota cum eadem intentione nuncupabit, nullum tamen gravem reatum admittet, dummodo substantiales religiosi status obligationes implere velit : actum enim formaliter bonum minime corrumpet haec imperfectior intentio, quae potius votorum occasio quam finis dicenda est (Vol. I, n. 37). Laudandus quidem foret Thyrsus si huius modi iuvenem ipse dimitteret, modo huius minus recti nobilisque finis cognitionem habeat qua uti non prohibeatur ob secretum sacramentale vel commissum : iuvat enim, saltem ubi Ordinis candidati non desunt, ab eo removere eos qui, humana motiva sublimioribus miscentes, minus apti sunt ad perfectionem sectandam quam ii qui nihil aliud in religione quaerunt nisi Dei gloriam animaeque salutem. Sed longe aliud est id quod bona Ordinis administratio postulat imponere tamquam strictam obligationem iis qui imprimis sibi consulere debent.

2° Modum quoque excessit Thyrsus ubi novicium sub gravi iussit abstinere a votis nuncupandis ne se exponeret periculo saepius laedendae castitatis (n. 72). Cfr. dicta n. 26 de eo qui sine praevio experimento votum castitatis emitteret, in peccato lasci-

viae habituatus. Idem opinamur dicendum etiamsi timeretur ne novïcius ille postea, operibus zeli applicatus, aliquod scandalum daret. Nam licet propter hunc timorem prudentissime a Superioribus in foro exteriore removeantur novicii, non potest novicio onus imponi ut propterea sponte religioni valedicat. Ipse enim, propter subsidia copiosa, tum interna, tum externa, quae ipsi in vita religiosa suppeditantur, semper prudenter sperare poterit se fidelem fore vitandis culpis maioribus, saltem exterius prodeuntibus : cum praesertim, in talibus casibus, vix de aliis peccatis agatur quam de solitariis, haec autem saepe diu durare et plurimum multiplicari possint, experientia teste, quin ad ulla peccata cum aliis ducant. Cfr. dicta n. 26 de prudenti spe servandae castitatis quae sufficiat ad ordines suscipiendos.

3° Obligatio gravis emittendi vota non urgebat novicium illum ex eo quod certo de eius vocatione constare videbatur (n. 70, 1°). Quodsi pericula eidem imminent ob indolis levitatem et parum christianam familiam, id probat tantum ei adhibenda esse media ordinaria neque nimis difficilia ad illa removenda, minime vero eum stricte obligari ad hoc medium extraordinarium et difficillimum, sicut ob eandem rationem non tenebatur religionem ingredi (n. 77, 2°).

CASUS V

Felicianus, Superior Regularis, a Materno, pio et bene morato iuvene, rogatus est ut in eius domum tamquam novicius reciperetur. Dubium nullum de genuina adulescentis vocatione manere poterat : sed cum monasterium multos religiosos alendos haberet, reditus vero vix sufficerent, non est ausus Felicianus candidatum admittere. Postquam iuvenis maerens abiit, Superior anxius esse coepit ne Deum offendisset dum excluserat eum quem Deus, concessa vocatione, ingredi volebat.

SOLUTIO. — Non est cur Felicianus anxius sit de recusato candidato, si reditus et consuetae eleemosynae vix sufficiebant ad alendos religiosos iam in monasterium receptos. Reppulit enim ob causam iustam, siquidem Trid. (Sess. 25. De Regul. c. 3) statuit ut in monasteriis tam virorum quam mulierum " is tantum numerus

constituatur, ac in posterum conservetur, qui vel ex reditibus propriis monasteriorum, vel ex consuetis eleemosynis commode possit sustentari. „ Neque obstat voluntas Dei per iuvenis vocationem manifestata : si enim Deus vere et determinate voluerit ut hoc monasterium vel hanc Congregationem ingrediatur hic iuvenis, dabit simul media necessaria ut secundum prudentiae normam et Ecclesiae leges recipiatur. Ceterum vix ad praxim pertinet hypothesis iuvenis qui nequeat Deo vocanti obtemperare saltem in alia domo vel alia Congregatione religiosa, vel qui certo cognoscat velle Deum ut in hoc tantum monasterio vel Congregatione vitam religiosam degat.

CASUS VI

Firmilianus, recens ad parochiam promotus, statuit religionem ingredi ut pericula plurima, quae in vita sacerdotis saecularis occurrant, vitaret. Pium consilium suum Ordinario suo exposuit : a quo cum denegata fuisset, ob sacerdotum penuriam, discedendi licentia, Firmilianus rem composuit cum Superiore cuiusdam Congregationis religiosae, in cuius noviciatum mox, relicta paroecia, se recepit.

SOLUTIO. — Iure suo usus est Firmilianus (n. 78, 1°), nisi penuria sacerdotum in dioecesi tanta foret ut vel unius discessus grave damnum post se traheret : quod rarissime continget. Nihil autem obstat quod non Ordinem Regularem, sed Congregationem religiosam ingredi cupit, modo haec sit cum votis simplicibus a S. Sede approbata. Nam S. C. Ep. et Reg. interrogata : " An dictis Oblatis (Congregationi Oblatorum B. M. V.) extendi debeat Constit. Bened. XIV, incipiens *Ex quo dilectus* ? „ respondit : " Affirmative ne impediatur vocatio ad statum perfectiorem „ (Bizz. Coll. p. 475 seqq.). Imprudenter tamen egisset Firmilianus si paroeciam deseruisset re nondum composita cum Superiore qui eum ad noviciatum admittere posset. Nam cum plerique Superiores Religiosorum malint in iis adiunctis a iure suo exercendo abstinere quam episcopi animum a se alienare, maximo se obiecisset periculo frustra perturbandi se ipsum et alios. Insuper, ut legitime noviciatum suum inchoet, indiget litteris testimonialibus Ordinarii sui (n. 80), nisi Ordo specialem dispensationem ab

hac Pii IX ordinatione obtinuerit. Si Ordinarius eas denegat quia ingressus ei displicet, recurrendum erit ad S. C. super Statu Regularium, prout ab eadem S. C. responsum est 1 maii 1851 (Coll. Bizz. P. 892).

CASUS VII

Kantius adulescens, duobus fr. milibus mutuo acceptis a Feliciano consobrino suo, negotiari coeperat. Sed eventus spem fefellit : ipsam pecuniam mutuo acceptam fere totam amisit, neque, deficientibus aliis bonis, reddere potuit. Brevi post infelix negotiator religionem ingressus est : nihil tamen de contracto illo debito Superioribus manifestavit, donec vota emissurus, in aliquo libello voventium obligationes explicante, legit in religionem admitti non posse aere alieno gravatos, et plurimum dubitare coepit num sibi liceret, silentio servato, vota emittere.

SOLUTIO. — Kantium nihil perturbare debent quae lege ecclesiastica statuta sunt de iis qui debitis gravati religionem ingrediuntur : haec enim cadunt tantum in eos qui gravi culpa sua *(dilapidata re familiari)* magni momenti debita *(ingentem vim aeris alieni)* contraxerunt (n. 78, 2°). Igitur casus solvendus est ex iis tantum quae e lege naturae fluunt. Iam vero, iuxta sententiam S. Th. (2. 2. q. 189. a. 6), quam et S. Alph. (l. 5. n. 71) probabilem vocat, licet semper debitori ingredi religionem, bonis, si quae habet, in creditorum gratiam abdicatis : quia persona liberi hominis non obligatur propter pecuniam, sed eius res, ac proinde debitor non tenetur in saeculo manere ut procuret unde debitum reddat. Attamen cum hodierna iura civilia minime agnoscant talem facultatem, non licet Kantio eam ita exercere ut odium aliudve detrimentum religioni quam ingreditur inferat : quod facile nostris diebus contingeret, si prudenter timendum esset ne creditor querelas apud magistratus contra hunc modum se subducendi obligationibus suis moveret vel rem aliter publici iuris faceret (Lehmk. I. n. 514). Quare si haec prudenter a Feliciano timenda essent, gravem iniustitiam committeret Kantius si, servato silentio, vota emitteret. At si nihil huius modi timendum videtur, utputa quia Felicianus valde pius est et consobrino suo addictus vel quia, sciens

eum noviciatum ingressum esse, non reclamavit, nullum peccatum admittet Kantius si de debito suo nihil manifestabit. Ex adiunctis casus supponendum est Kantium non fuisse de hac re interrogatum ubi ad noviciatum admissus sit. Quid autem de eo qui interrogatus contractum debitum taceret ? Graviter delinqueret, nisi plane certus esset nullas molestias ex iis debitis inferendas esse Religioni quam ingreditur : secus enim, eam deciperet in re magni momenti, propter quam cognitam prudenter posset novicium recusare, ut in simili argumento, nempe de tacente homicidium a se commissum, ratiocinatur Lugo (Cons. Mor. l. 3 dub. 1. n. 5.).

CASUS VIII

Nivardus, e paupere familia oriundus, educationem suam clericalem fecit e reditibus fundationis alendis pauperibus clericis destinatae. Iam ad tertium theologiae annum pervenerat pius aeque ac ingeniosus adulescens, cum vitae religiosae amplectendae consilium Superiori Seminarii patefecit. Hic vero respondit eum, expensis Seminarii educatum ut dioecesi inserviret, religionem ingredi non posse antequam eas expensas compensasset : quod cum nullatenus nunc facere posset, valedicendum esse ad multos annos religionis ingrediendae consilio.

SOLUTIO. — Erravit Superior Seminarii dum Nivardum a religione ingredienda prohiberi edixit. Etenim : 1° Etiamsi reapse teneretur Seminarista compensare expensas in educationem suam clericalem factas, etiam, inquam, in hac hypothesi, assimilaretur debitoribus qui sine culpa sua debita supra vires suas contraxerint: quos tuta conscientia religionem ingredi diximus in casu praecedenti. Atque idem valet etiam in sententia quam S. Alph. (l. c.) cum plerisque recentioribus probabiliorem ducit, " differendum esse ingressum si debitor dilatione non nimis longa et sine gravi incommodo suo debitis satisfacere queat „ : siquidem, in plerisque saltem regionibus, cum iuvenes presbyteri vix lucrentur quod vitae sustentandae sufficiat, haec hypothesis vix umquam hodie verificabitur. 2° Haec restitutio expensarum certe exigi nequit, nisi id cautum sit lege synodali vel legitime praescripta consuetudine, vel

nisi loca gratuita fundata fuerint sub hac speciali condicione ut alumni qui Ecclesiae castra deserant expensas educationis suae refundant, prout fusius exponit Lucidi, de Visit. SS. Lim. tom. II, p. 354 seqq. Sed etiam ubi huic exceptioni locus sit, merito censent Bouix (De Iure Reg. t I. p. 551) et Nilles (De libertate clericorum religionem ingrediendi commentarius, n. 40) eam minime spectare ad eos clericos qui religionem amplecti velint, ne contra apertam RR. PP. voluntatem (n. 78, 1°) nimis artetur libertas illa quam canones universis clericis agnoscunt amplectendi statum perfectiorem. Id tamen minime impedit quominus fas sit episcopo statuere, in ipsa Seminarii fundatione vel in largitione beneficii gratuitae educationis, ut nullus iuvenis in Seminarium recipi vel in eodem manere queat qui iam propositum vitae religiosae ineundae efformaverit.

CASUS IX

Anatolius adulescens, qui religionis ingrediendae consilium fovebat, confessario suo pandit dubium quo angebatur ob labilem parentum suorum condicionem. Pater enim eius, scribae munere, necessaria sibi suisque lucrabatur, sed cum iam aetate provectus esset, valde timendum erat ut diu huic labori producendo par maneret ; mater eius numquam aliam curam quam domesticarum rerum gesserat; neque ullus alius erat qui labore suo parentibus subveniret, si forsan pater officio suo valedicere deberet. Tandem bona patrimonialia tam exigua erant ut non nisi miseram sustentationem utrique parenti praestitissent.

SOLUTIO.— Quam diu res in eo statu erunt in quo nunc sunt, Anatolii parentes non sunt in gravi necessitate ; si vero pater impar muneri exercendo fieret, in eandem inciderent, siquidem deficiente filii subsidio, ad statum inferiorem detruderentur. Quod autem tam facile contingere potest, moraliter iam adest, ac proinde per se non licet Anatolio religionem ingredi (n. 78, 5°). Attamen ingredi licebit si parentes libere consentiunt, cum iuri quod habent in subsidium filii sui renuntiare possint, modo necessaria vitae habituri sint ; similiter, si Superiores religiosi quibus hanc labilem parentum suorum condicionem manifestasset Anatolius, promisis-

sent fore ut, si iidem necessitate illa gravi premerentur, eleemosynis vel data filio licentia egrediendi ad tempus e monasterio, indigentibus succurrerent. Haec manifeste supponunt adulescentem iam parem esse qui statim vel brevi post laboris sui fructibus parentibus suis opem ferat. Si enim ad longum tempus exspectare debeat antequam id praestare possit, videtur posse statim ingredi : non enim videtur tantum onus exspectandi esse imponendum quando non sola necessitas, sed et subsidium incerta sint ; quare sufficit ut Anatolius paratus sit parentibus suis opitulari, iam religionem ingressus, prout poterit.

CASUS X

Mesminus vitam religiosam amplecti cupiebat. Quod consilium cum Trebellio, saeculari sacerdoti, confessario suo aperuisset, is multum doluit quod iuvenis egregiae spei potius ad Ordinem Regularem quam ad Clerum dioecesanum aspiraret. Quare instanter paenitentis menti obiecit quaecumque eum ad seminarium potius quam ad noviciatum ingrediendum movere possent : maiorem fore boni praestandi facultatem, multa esse opera zeli quae a solo clero saeculari foveri possint, eum utpote ad independentiam pronum non fore aptum ferendo iugiter oboedientiae iugo, etc. Confessario concinentibus parentibus, tandem Mesminus austero consilio valedixit et saecularium clericorum seminarium ingressus est.

SOLUTIO. — 1° Si Trebellius reapse videt motivum ob quod ipsi Mesmino magis expedire iudicet ut seminarium quam ut noviciatum ingrediatur, non est vituperandus, cum ex iusta causa eum a religione avertat : id autem rarissime continget, puta quia adulescens ea esset indolis independentia ut maxime veri simile esset eum sub oboedientiae iugo non esse perseveraturum vel ea sanitate quae oneribus vitae religiosae ferendis impar videretur. Plerumque graviter peccabit Trebellius dum ita paenitentem magno fucatarum rationum apparatu a statu religioso amplectendo deterret : nam ipsa condicio saecularis sacerdotis multo minorem securitatem animae praestat quam status religiosus, eo vel magis

quod Mesminus ingressurus sit Ordinem in quo per sacerdotium assecuturus sit quicquid subsidii spiritualis in statu clerici saecularis habeatur (Piat, Prael. I. Reg. I. p. 43 ; Nilles, de libertate cleric. religionem ingrediendi, p. 49 seq.). Hoc autem grave peccatum erit contra iustitiam, tum quia Trebelluis munus agit consiliarii erga paenitentem consulentem, tum quia subtiliores illae rationes e maiore bono deductae vix possunt non decipere iuvenem, praesertim ubi a viro cui plurimum defert in ipso tribunali paenitentiae proferuntur (n. 79, III).

2° Idem per se dicendum est de parentibus quod de confessario dictum est. Utrique saepe in praxi a gravi saltem reatu excusantur, quia non satis perspiciunt a quanto bono iuvenem removere conentur, vel bona fide existimant parum interesse ad animae eius salutem et perfectionem utrum in saeculari an in regulari militia ecclesiastica Deo serviat : quae tamen ignorantia turpis est in sacerdote.

CASUS XI

Melania matrona, novem habebat filias. Novem generos quaerere nimis molestum rata, consilium iniit nullum lapidem non movendi ut Stephania, quae propter faciem invenustam levemque gibbum vix ulli adulescenti placere potuisset, Christum spiritualem sponsum appeteret. In hunc finem ei iugiter decantabat nihil eam a mundo sperare posse, eam iugiter domi manere iubebat nullamque occasionem neglegebat eam deprimendi, et lacrimantem impellebat ad monasterium in quo educabatur ingrediendum. His importunis sollicitationibus tandem cessit Stephania : nam, licet maluisset in mundo manere, tolerabilius duxit religionem amplecti quam tam male a suis tractari, sine ulla spe reperiendi mariti.

SOLUTIO. — Graviter contra pietatem delinquit Melania dum filiam suam invitam impellit ad monasterium ingrediendum. Etenim dum eius bonum procurare speciatim tenetur (Vol. I. n. 349), ei graviter nocet, cum huius modi ingressus, repugnante voluntate, saepe initium sit vitae molestissimae vel etiam peccatis foedatae,

quam non raro infelicior egressus, post emissa vota, consequitur. Quin etiam iustitiam graviter laedit insipiens mater, si importunae preces et vexationes (quamquam in se leves videntur) reapse vitam puellae in domo paterna intolerabilem reddunt : quod e metu reverentiali facile oritur, potissimum puellis quae solent vividius sua mala sentire quam adulescentuli et ipso sexu suo magis coguntur intra domesticos parietes vivere (Vol. I. n. 28). Gravem enim iniuriam filiae suae libertati infert Melania (n. 79, III). Insuper, quotiens illae vexationes ad metum gravem incutiendum pertingunt atque ita moralem coactionem inferunt, incurritur excommunicatio lata a Trid. (Sess. 25. de Regul. c. 10). Sed plerumque huic censurae locus non est, quia ingressus fit in monasterium in quo simplicia tantum vota nuncupantur, dum censura ferit tantum eos qui cogunt ingredi monasterium stricte dictum i. e. ubi sollemniter vovetur (Pennacchi, Comm. in Bull. *Ap. Sedis*, II. p. 274).

CAPUT II

DE NOVICIATU ET PROFESSIONE RELIGIOSA

CASUS I

Bertrandus, pluribus mensibus in noviciatu peractis, vehementi desiderio saeculi repetendi captus est. Frustra obstitit Placidus noviciorum magister : libertatis amore obcaecatus manebat Bertrandus. Iamque, habitu religioso dimisso, extra noviciorum atrium in cubiculo quodam hospitibus destinato ultimam noctem agebat, mane abiturus, cum subito oculi eius aperti sunt, et paenitentia ductus, Placidum adiit, a quo velut filius prodigus ad patrios lares rediens cum magno gaudio exceptus et in religione manere, quasi nihil actum esset, permissus est.

SOLUTIO. — Merito nullam rationem huius consilii a Bertrando initi habuit Placidus (saltem quod ad leges ecclesiasticas pertinet).

Etenim noviciatus non interrumpitur sola habitus dimissione, si novicius intra monasterii saepta manet : dimissio enim cum exitu coniungatur oportet (n. 81, 2°). In hunc sensum respondit S. C. C. 29 aug. et 19 sept. 1772 atque 12 iun. 1773. Neque obstat quod e loco noviciis destinato exierit, cum intra monasterium remanserit: quod etiam a S. C. Ep. et Reg. 19 nov. 1678 declaratum fuit (Piat. Prael. I. Reg. I. p. 98 seq.).

CASUS II

Didacus iam fere annum noviciatus absolverat, cum aliqua infirmitate correptus est quam medicus tam gravem existimavit ut oneribus Ordinis quem ingressus erat ferendis impar mansurus esset. Quare e noviciatu, dimisso habitu, consentientibus Superioribus, exiit. Postquam vero aliquot menses inter consanguineos versatus est, alius medicus peritior multo leviorem esse mali causam detexit et brevi iuvenem sanitati restituit. Hic ergo in noviciatum regressus, post tres menses vota emisit : Superiores enim arbitrati sunt nullam rationem habendam esse dimissionis, quae falso supposito niteretur.

SOLUTIO. — Irrita est haec votorum emissio : noviciatus enim per dimissionem legitimam exsecutioni mandatam interruptus erat, ideoque omnino oportebat ut integer iterum fieret. Neque obstat error qui causam dedit dimissioni : haec enim nihilo minus facta est absolute, ut patet e continua praxi. Nemo enim censet eam irritam esse, ideoque nulla nova admissione opus esse, ubi aliquis dimittitur ob multiplices errores qui in tali materia contingunt, puta quia Superior existimavit adulescentem non habere ingenii dotes requisitas ad ministeria Ordinis obeunda, vel quia novicius putat se fore feliciorem in saeculo (Bucceroni, Cas. n. 18).

CASUS III

Flavianus novicius, dum quadam die post meridiem ambulabat cum sociis, nescio quo suadente diabolo, aestu repe-

tendi lares paternos abreptus est. Nec mora : praetextu quodam usus, socios reliquit et domum paternam repetiit. Eodem vespere nuntium telegraphicum misit quo magistrum noviciorum certum faceret se vitae religiosae valedixisse. Sed nocte insequenti tanta eum paenitentia cepit ut postridie summo mane ad monasterium redierit, veniam humillime postulaturus. Hanc reapse obtinuit a magistro suo : qui tamen anceps haesit num totum noviciatum iterum peragere deberet Flavianus.

SOLUTIO. — Sapienter forsan aget magister si Flaviano in paenitentiam iniungat ut totum noviciatum iterum peragat. E lege tamen ecclesiastica id facere non tenetur. Etenim cum Flavianus brevi afuerit habitumque servaverit, noviciatus non fuit interruptus. Sic anno 1734, Secretarius S. C. C. testabatur S. C. pluries rescripsisse : " Annum prebationis interruptum non fuisse a religioso qui, retento habitu, aufugerat a noviciatu et extra illum per breve tempus commoratus fuerat „ (Thesaurus Resol. S. C. C. t. VI, p. 593). Forsan quia tam brevis absentia, servato etiam habitu neglegi potest. In casu autem, certe brevi tempore afuit Flavianus : non enim integro die abfuit, dum tempus necessarium ut interrumpatur noviciatus, quando retinetur habitus, iuxta AA. etiam severiores, est unius vel alterius diei (Piat. Prael. I. Reg. I, p. 98).

CASUS IV

Agapitus, expletis in noviciatu tribus mensibus, per iniquas leges coactus est exire ut per triennium servitio militari fungeretur. Hoc tempore in laudabili constantia transacto, in noviciatum rediit, atque elapsis novem aliis probationis mensibus, ad vota emittenda admissus est.

SOLUTIO. — Invalida videntur vota ab Agapito emissa, quia per servitium militare noviciatus interruptus est ideoque integer iterum erat peragendus. Etenim Agapitus, licet invitus et cum Superioris licentia, revera tamen condicionem prorsus saecularem assumpsit : quae certe noviciatus continuatio dici non posset.

(Buccer. Cas. Consc. II, n. 18). Neque hic locus est applicandae doctrinae quam Reiffenst. (in l. 3 Decr. t. 31, n. 108) proponit : noviciatum non interrumpi, sed suspendi, si novicius per mensem insanierit, ac proinde sufficere ut tempus illud, probationi plane inutile, addito decimo tertio mense suppleatur. Nam nimis longum est triennium vel etiam anni integri spatium ut duae illae probationis partes moraliter coniungi queant. Hanc doctrinam applicandam esse opinamur si quando per tempus non ita longum, puta unius vel alterius mensis, aestiva petere cogeretur novicius neque notabilis morum mutatio in eo contigisset ubi ad monasterium rediret : ita enim nihil obstaret quominus duae illae probationes moraliter unirentur. Quodsi ad tempus valde breve, puta octo vel decem dies tantum militare coactus esset, posset hoc tempus in anno probationis computari : utpote quae moraliter non interrumperetur, quem ad modum Reiffenst. (l.c.) sentit de novicio qui per idem breve tempus in amentiam incidisset.

CASUS V

Tussanus, expleto integro probationis anno, vota pronuntiare non est ausus ; elapso mense, declaravit se a religione exire velle. Sed brevi postquam egressus est, paenitentia ductus rediit, instanter petens ut ad vota pronuntianda admitteretur. Post tres menses, cum in fervore maximo perseveraret, reapse ad vota nuncupanda admissus est.

SOLUTIO. — Recte actum est cum Tussano : ipse enim annum noviciatus integrum et continuum peregit, neque ulla iura statuunt, saltem tamquam ad valide vovendum id necessarium foret, ut vota statim post probationem emittantur. Insuper (ut ex adiunctis casus supponendum est) nulla notabilis mutatio supervenit, neque in novicio, neque in religione, a momento quo noviciatum suum complevit Tussanus. Declaravit autem pluries S. C. C., teste Fagnano (in c. *Ad Apostolicam*, n. 16, *de Regular.* etc. n. 43), in tali casu non esse iterandum noviciatum, si nulla notabilis mutatio e neutra parte contigit. Quare practice posthabere licet contrariam quorundam AA. veterum sententiam. Cfr. Piat, op. cit. p. 100.

CASUS VI

Maevius adulescens Saturnino confessario manifestat se per sex fere menses degisse, tamquam novicium, in quodam monasterio ; numquam tamen animum habuisse emittendi vota religionis, sed tantum vitam ducendi curis immunem, cum aegre labore suo victum compararet. Rogavit Saturninus num bona quaedam haberet quibus damnum quod monasterio intulerat compensaret, et negantem se habere iussit verbo vel scripto petere condonationem a Superiore monasterii.

SOLUTIO. — Per se tenebatur Maevius ad compensandas expensas quas in eo alendo fecit monasterium : ipse enim fictione sua Superiores coegit ad eas expensas quas, contractu tacito, facere nolunt nisi in gratiam eorum qui sincere vires suas in statu religioso ducendo experiri velint. Attamen ab hac restitutione facienda excusabitur si labore suo moraliter compensavit expensas, ut fiet saepius in noviciis ad statum Conversorum aspirantibus ; vel si, simplicitate sua delusus, conscientiam gravis reatus in tali fictione non habuit (Vol. I, n. 518). Cfr. Piat, op. cit. p. 119. Imprudenter tamen egit Saturninus ubi iussit Maevium condonationem petere a Superiore monasterii : nam quam diu nihil restituere potest, nisi cum maxima difficultate, a restitutione facienda excusatur (Vol. I, n. 557). Neque licet confessario imponere paenitenti hanc petitionem condonationis : nam nullo iure id requiritur, neque periculum deest violandi huius praecepti sane molesti, saltem si fictio hucusque latuit Superiorem.

CASUS VII

Rumoldus religiosus, ubi de duobus noviciis ad vota admittendis in capitulo actum est, uni, quocum amicitia iungebatur, suffragium suum dedit, licet indignus videretur, alterum, a, quo offensus fuerat, exclusit, quamquam hic videbatur noviciatu rite functus et religioni utilis futurus.

SOLUTIO. — 1° Graviter peccat Rumoldus ubi indigno sciens volens suffragatur, modo haec indignitas tanta sit ut novicius vere noxius futurus religioni videatur, seu propter mala exempla, seu propter incapacitatem praestandi ea opera spiritualia vel corporalia quibus Ordo vel Congregatio incumbit : insuper supponendum est non esse moraliter certum eundem novicium reliquorum suffragiis exclusum iri. His enim duabus condicionibus positis, graviter nocet Rumoldus Ordini vel Congregationi suae dum ei onus adeo nocivum imponere conatur. At si alterutra condicio deficit, non videtur graviter nocere religioni suae qui indigno calculum adicit. Neque consentimus iis qui censent grave damnum semper inferri ipsi novicio (Piat, Prael. I. Reg. I. p. 115), quia is promovetur ad statum in quo gravius peccat et horribilius damnatur. Id enim verum est tantum de iis qui noti essent tamquam gravibus peccatis obnoxii et in iisdem obstinati : quales rarissime sunt inter eos qui, peracto noviciatu, ad vota admitti cupiunt. Multi autem sunt indigni seu tales ut suffragatores eos spectata utilitate communi excludere debeant, quibus emissio votorum nullatenus erit causa damnationis maioris vel graviorum peccatorum quam si in saeculo mansissent. Si enim comparamus spiritualem condicionem religiosorum tepidorum cum ea quam iidem habuissent si inter saeculares viverent, plerumque iis securior via erit religio, ob innumera salutis subsidia et remotas peccatorum occasiones, etiamsi valde imperfecte iis gratiis respondeant, quam vita saecularium, in qua mores et ipsa fides summis periculis exponuntur. Libenter fatemur idem peccatum gravius esse ubi a religioso quam ubi a laico committitur : sed hic inspiciendum est quis sit futurus, secundum probabiles coniecturas, influxus eiectionis vel admissionis in universam vitam aeternamque salutem huius candidati.

2° Quotiescumque plane constat dignum esse candidatum seu nullam in eius persona vel probatione rationem reperiri ob quam excludatur, graviter peccabit Rumoldus dum eum excludet, nisi certum foret satis magnum fore numerum eorum qui ipsi suffragaturi sint ut nullum periculum subeat. Utrum iustitiam laeserit, an potius caritatem, non constat ; cum novicio non videatur esse ius strictum ut recipiatur (Cfr. Suarez, de religione, tr. 7. l. 5. c. 11 ; Sanchez, in Decal. l. 5. c. 4. nn. 40 et 59). Pariter graviter nocet Instituto suo Rumoldus dum impedire conatur ne acquirat religiosum a quo subsidium et decus obtenturum sit : id tamen potius contra caritatem quam contra iustitiam fore putamus, cum neque

Institutum ius strictum ad professionem novicii habeat, neque suffragatores munus susceperint quo se ad suffragium secundum iustitiam ferendum adstringant, sed privilegio quodam utantur. Cfr. Piat, l. c.

CASUS VIII

Liberto, sacerdoti Regulari, confessiones in quodam conservatorio monialium audienti, declaravit Eugenia novicia se, consentientibus confessario et Superiorissa, emisisse vota devotionis perpetuae paupertatis, castitatis et oboedientiae ; nunc autem eorum dispensationem se cupere ut ad familiam redire posset. Igitur Libertus qui inter alias facultatem habebat dispensandi in votis, exceptis votis religionis et perpetuae castitatis et iis in quibus intervenit ius tertio quaesitum, petitam dispensationem elargitus est, relicto solo castitatis voto.

SOLUTIO. — Valide facultatibus suis usus est Libertus : votis enim huius modi nullum ius acquiritur Instituto, siquidem ab iis ad quos pertinet non sunt acceptata tamquam vera religionis vota. Sensus enim approbationis a Confessario et Superiorissa datae is tantum est ut permittatur vel suadeatur emissio alicuius voti, tamquam spirituali utilitati voventis profutura : quod procul abest ab acceptatione qua mutuum vinculum inter voventem et Institutum inducitur (Gury, Cas II. n. 138 seq.). A voto tamen castitatis relaxando merito abstinuit Libertus : hoc enim censendum est fuisse absolute emissum ac proinde S. Sedi reservatum esse, prout de eodem voto emisso in professione religiosa constat e declaratione S. Officii 2 aug. 1876 (Coll. P. F. n. 2088). Vota autem devotionis, quantum pertinet ad affectum voventis, videntur eiusdem rationis atque vota religionem profitentium.

CASUS IX

Caecilia Leonardo confessario Regulari manifestat se olim votum ingrediendae religionis emisisse : quod cum diu distulisset, nunc tandem optare eiusdem relaxationem, ut

nuptias quas vehementer appetebat inire posset. His auditis, libenter petitam dispensationem indulsit Leonardus.

SOLUTIO. — Recte egit Leonardus si casus contigit in Belgio aliave regione in qua nulla vota sollemnia a monialibus emittantur : votum enim religionis in ordine ad institutum votorum simplicium non est R. P. reservatum (Vol. I. n. 329, III), et si reservatum non est, a confessario Regulari dispensari potest (Vol. I. n. 328, II). Si vero in eadem regione monasteria quaedam sunt votorum sollemnium, interroganda est Caecilia num huius modi monasterium ingredi voverit, et si haec fuit eius intentio, num se obligarit sub gravi et absolute (n. 329, III). Quodsi omnes illae condiciones adsint, dispensatio non erit concedenda, nisi specialem facultatem a S. Sede habeat Leonardus.

CAPUT III

DE OBLIGATIONIB. ORIUNDIS E PROFESSIONE RELIGIOSA.

§ 1. OBLIGATIONES GENERALES

CASUS I

Bernardinus, monialium director, certior factus est Sororem Christinam, laxiore observantia famosam, dixisse in recreatione : « Nobis satis est servare mandata Dei et Ecclesiae : nimis nobis laborandum est in scholis nostris ut perfectioni acquirendae incumbere possimus. » Quare eam, ubi ad confessionem accessit, gravis scandali dati obiurgavit, cum haec verba directe adversarentur obligationi omnium religiosorum tendendi ad perfectionem. Saepe etiam tum in instructionibus, tum in monitis quae paenitentibus tradit, gravitatem huius obligationis inculcat et

tepidas moniales admonet periculi in quo sint letaliter peccandi ob repudiatam voluntatem tendendi ad perfectionem.

SOLUTIO. — 1° Verba a Christina prolata, si ad litteram sumuntur, adversantur obligationi religiosorum tendendi ad perfectionem : siquidem in sensu litterali significant satis esse ut religiosus, perinde ac quilibet christianus, servet Decalogum atque Ecclesiae praecepta (n. 86, I). Attamen, etiamsi non ioco, ut fit inter recreationem, sed serio dicuntur, videndum quis fuerit animus loquentis. Eaedem enim locutiones saepe sensum prorsus alium fundunt ubi ab ignaris quam ubi a doctis proferuntur. Nam qui crasso tantum modo spiritualia capiunt, plerumque ubi talia proferunt nihil aliud intendunt quam significare se curare nolle de rebus quae sunt meri consilii vel altioris perfectionis, dum intendunt plane servare omnes strictas obligationes suas, ac proinde omnia vota, saltem ubi sub gravi obligant. Attamen, nisi nota levitas omnem influxum Christinae ademerit, recte eam gravis scandali arguit Bernardinus : talia enim effata apta sunt inducendae inter moniales notabili relaxationi in observatione regularum (n. 88, V).

2° Licet utilissimum sit moniales, praesertim tepidas, stimulare ad studium perfectionis easque commonere periculi quod incurrunt eae quae in statu perfectionis ea tantum quae strictae obligationis sint curare velint, non censemus prudenter agere Bernardinum ubi crebro monialium menti obicit gravitatem illius obligationis per se sumptae. Etenim obligatio illa, sicut concrete adimpletur observatione votorum, ita concrete non violatur nisi crebra transgressione obligationum gravium quae e votis oriuntur. Quare, ubi de gravi peccato vitando agitur iuvat potius menti obicere obligationem servandi vota. Si quis contionando vel monendo urget obligationem tendendi ad perfectionem in se sumptam, multae moniales impingent in errorem satis communem opinantium se graviter delinquere contra hoc fundamentale status religiosi officium, dum multo plura faciunt quam quae stricte requirantur, scil. servatis non tantum votis, sed et plerisque regulis. Pariter scrupulos seminat Bernardinus ubi monet in tepore haberi periculum abiciendi voluntatem tendendi ad perfectionem. Licet enim haec verba sensum aliquem verum fundant, adeo vaga sunt ut magnum sit periculum ne perperam intellegantur. Nam facile existimabunt moniales in regulis servandis neglegentes se graviter delinquere, quia carent animo sedulo servandi omnes regulas :

quae dispositio prorsus diversa est a positiva voluntate respuendi perfectionem status religiosi propriam, in qua voluntate certe non sunt qui reapse servant habitualiter saltem gravia officia e votis oriunda. Praestaret ergo monere de periculis transgressionis votorum vel infidelitatis erga vocationem ; insuper accurate in singulis casibus inspiciendum est quousque se extendat illa tepiditas et quo ductura videatur, cum defectus maxime diversi hoc nomine designentur.

CASUS II

Casimirus, fervens religiosus, ut sibi efficacem stimulum ad perfectionem sectandam adderet, voto se adstrinxit ad servandam Ordinis sui regulam, quae ad poenam tantum obligabat. Postea autem dubitare coepit quam praecise obligationem ex hoc voto contraxisset.

SOLUTIO. — Ad regulam servandam iam vi voti oboedientiae tenetur Casimirus, sicut quilibet religiosus, ita tamen ut pro singulis obligatio ad solam poenam adsit (n. 100). Quare ubi vovet Casimirus servare regulas, per se nullam novam obligationem contrahit, sicut nec ille qui voveret servare vota religiosa (Piat, op. cit. p. 235). Igitur, si non diserte intendit Casimirus se obligare ad singulas regulas, saltem sub veniali, ob virtutem religionis servandas, non videtur aliquid amplius fecisse quam certius et explicitius se adstrinxisse ad id quod veri similiter ignorabat iam includi voto oboedientiae. Atque in dubio de voventis intentione pro minima obligatione standum est (Vol. I. n. 317, II). Quodsi Casimirus artius se obligare intendit, poterit, probante confessario, se explicite obligare ad servandas singulas regulas sub peccato levi, sed ad id non videtur teneri vi voti praecedentis.

CASUS III

Martiniana, Superiorissa monialium, dolens videt plures e iunioribus monialibus ad laxiorem vitam trahi duarum Sororum antiquiorum exemplis. Has libenter ad regulae observantiam reduxisset, sed una iam frustra monitis, qua

suavibus qua severis, tam saepe fuerat tentata ut emendationis spes nulla superesse videretur ; altera, ad quam, iuxta leges civiles, pertinebat magna pars bonorum monasterii, tam parum servabat religiosum spiritum ut, si gravius obiurgata fuisset, forsan ad saeculum rediisset, bonis illis sibi vindicatis cum magno scandalo et domus detrimento.

SOLUTIO. — Per se sub gravi tenetur Martiniana duas illas Sorores a vetustatis suae rubigine purgare, si vere notabilem disciplinae relaxationem inter iuniores inducunt (n. 88, V). Attamen per accidens a correctione illa facienda excusanda videtur : quippe quae in priore saltem inutilis, in altera tum ipsi Sorori, tum communi domus bono nociva fore videatur. Sed ut vere excusetur Martiniana, oportet ut fecerit et nunc quoque faciat quicquid potest ut scandalum illud removeat. Ita necessarium est ut in emendanda priore Sorore vere exhauserit omnia media quae, iuxta leges moresque Instituti sui, Superiorissae habent ad compescendos delinquentes, neque solis verbis contenta fuerit, sed ad paenitentias iniungendas, ad mutationem officii vel loci etc. devenerit. Quod vero ad posteriorem spectat, necesse est ut metus tam gravis scandali non sit inanis, sed ut, adhibitis quoque mediis ad correctionem idoneis, ex eius verbis vel agendi ratione veri similiter conici queat eam ad haec extrema progressuram esse. Ceterum saepe in praxi cavendum ne nimis facile Superiorissae existiment se sub gravi ad corrigendum obligari, dum notabilem relaxationem disciplinae vocant defectus haud ita magnos unius vel alterius Sororis, qui minime communes evadant.

CASUS IV

Nazianzus, religiosorum quorundam laicorum Superior, iusserat ad mensam legi tractatum Rodericii de conscientiae manifestatione. Sed cum saepe in hoc libro commendetur ut religiosi conscientiam suam candidissime Superiori suo aperiant et graviter reprehendantur quicumque ei ullam tentationem celent, timuit Nazianzus ne peccaret contra decretum S. C. Ep. et Reg. 17 dec. 1890, inducendo saltem indirecte religiosos suos ad conscientiae rationem sibi

reddendam. Quare petiit a confessario domus num in ea lectione liceret pergere.

SOLUTIO. — Huius modi lectio per se sumpta merito videri potest inductio, etiam directa, ad intimam cordis et conscientiae manifestationem (n. 89), cum Rodericius et plurimi auctores ascetici antiquiores eam urgeant quoad res etiam maxime intimas, neque eius usum restringant ad Superiores qui sacerdotio initiati sint. Attamen, si in ea Congregatione iam ab anno 1890 rite servatur decretum S. C. Ep. et Reg., vix ullum periculum est ne religiosi, qui iam pluribus annis in eadem Congregatione vixerunt, huius modi lectionem aspiciant tamquam medium quo Superior eos inducere velit ad rem quam aliunde noverunt ab eius voluntate alienam esse. Periculum illud facile exsurgeret noviciis aliisve iuvenibus quibus nondum satis perspecta essent decreta S. Sedis et voluntas Superiorum suorum. Quare si coram talibus religiosis fieret huius modi lectio, expresse monendi essent ea quae de manifestandis illis cordis sui secretis, et speciatim de tentationibus contra castitatem, vocationem etc., a Rodericio scribuntur, applicanda esse manifestationi quam confessario suo facere debeant. Sed generatim talis lectio, etiamsi decreto illi non adversatur, nocebit potius quam proderit : nisi enim agatur de religiosis valde prudentibus, aegre fratres vel moniales intellegent quomodo concilianda sit priscorum asceticorum doctrina cum hoc nupero decreto, ac proinde timendum est ne ob hunc apparentem conflictum turbentur potius quam in spiritu iuventur.

CASUS V

Rosina, monialium Superiorissa, e communicatione libere facta ab Estella, subdita sua, noverat eam, propter peccata quaedam luxuriae a se commissa, animum abiecisse atque in maestitiam incidisse, quam omnes eius sodales adverterant. Paucis mensibus postquam hae nubes dissipatae sunt, iterum advertit Estellam simili tristitia affici. Quare, suspicata similem effectum e simili causa oriri, interrogavit monialem cur tam tristis esset. Negavit diu Estella quicquam insolitum sibi contigisse. Tandem, blanditiis piae

matris victa, confessa est se iterum in easdem culpas incidisse.

SOLUTIO. — Per se non est carpenda Estella ubi prima vice peccata turpia a se admissa Rosinae manifestavit, modo talis manifestatio speciali Instituti lege non vetaretur, et iustam rationem haberet, qualis esset minor fiducia in confessario nimis austero vel aspero, removenda occasio peccati etc., praesertim vero consilium ab ipso confessario datum. Neque vituperanda est Rosina quod filiam suam rogavit cur tam tristis esset. Talis enim interrogatio blande facta videtur relinquere plenam libertatem Estellae manifestandi veram tristitiae suae causam, vel eam quolibet praetextu dissimulandi. Neque propter confidentiam sibi olim ab Estella factam prohibenda est Rosina ab officio quod ipsi, vi muneris, incumbit solandi subditas suas easque benignis verbis vel subsidiis servandi a funestis tristitiae effectibus. Verum contra decretum S. C. Ep. et Reg. egit ubi diu negantem blanditiis ad manifestationem intimae causae huius maestitiae impellere non destitit. Nam huius modi *blanditiae* (qua voce ipsum decretum utitur) plenam libertatem subditis tollunt; impellebatur autem Estella ad intima conscientiae secreta communicanda, siquidem post primam eius denegationem iam dubitare non poterat Rosina quin doloris causa esset relapsus in turpia peccata, minime vero alia ratio minus intima quam facile, post blandam Superiorissae invitationem, detexisset (n. 89, 2°). Cfr. Meynard, *Quelques réponses touchant les devoirs de l'obéissance envers le Décret Apost. du 17 déc. 1890*, p. 43.

CASUS VI

Analectus, cum renuntiatus esset monasterii cuiusdam monialium director, mirabundus audivit ibi vigere consuetudinem ut noviciae et iuniores moniales certa hora vocarentur ad Superiorissam, ut cum ea de rebus conscientiae suae colloquerentur. Rogavit Superiorissam quomodo haec praxis cum decretis S. Sedis conciliaretur. « Nullo negotio, respondit mater spiritualis. Pleraeque sponte petierunt ut conscientiae suae arcana mecum communicarent : quod ut facilius peragant, cum magnus sit earum numerus, certas

horas singulis statui. Sed ne singulare videatur quasdam vocari, quasdam non, omnibus suum tempus statui ; iis quae spontaneam illam manifestationem non petierint monitis ut tantum de exterioris disciplinae observantia mecum agerent. »

SOLUTIO. — Per se nihil illiciti fecit Superiorissa illa. Licite enim iubet moniales ad se certis quibusdam horis venire ut de externa sua agendi ratione, puta circa regularum observantiam, mutuam concordiam, muneris adimpletionem etc., cum Superiorissa sua colloquantur (n. 89, 2° ; Meynard, op. cit. p. 51). Nec quicquam prohibet quominus eadem occasione utantur eae quae omnino sponte animam pandere velint. Hic tamen quam sit sollicite cavendum ne moralis vis inferatur monialibus, nemo non videt, nisi quae praeiudiciis et spiritualis directionis pruritu obcaecatur. In hunc finem, crebro erit, qua singulis qua universis monialibus, repetendum plenam ipsis manere libertatem tacendi de rebus quae non pertineant ad exteriorem agendi rationem, neque hac spontanea plurimarum manifestatione ullam induci Instituti consuetudinem, quam sectari debeant quaecumque ferventes esse velint. Praeterea caveat Superiorissa ne se blandam comemque exhibeat iis Sororibus quae cordis sui secreta pandant, eadem vero tacentibus austeram et asperam : ita enim videretur carpere eas quae iure suo utantur ut de arcanis illis rebus cum solo confessario agant, et si habitualiter hoc duplici pondere et mensura uteretur, facile exsurgeret indirecta vis libertati monialium illata ut conscientiam suam plane aperirent, quod decreto S. C. Ep. et Reg. prorsus adversaretur. Cfr. Meynard, op. cit. p. 42.

CASUS VII

Chrysogonus, dum confessiones monialium in Quattuor Temporibus excipit, a sorore Caelestina certior fit eam pluries a Superiorissa vexatam fuisse quaestionibus ut ei manifestaret conscientiae suae arcana. Horrescit tantos abusus audiens confessarius et paenitentem iubet Superiorissam deferre ad Superiorissam generalem. Eiulare monialis et protestari numquam sibi tantam audaciam fore, cum loca-

lem Superiorissam summo favore prosequatur Mater Generalis : quae proinde delationem, tamquam atrae invidiae opus, acriter repulsura sit. Instat Chrysogonus, absolutionis denegationem minitatus, nisi infra mensem epistulam denuntiatoriam ad Generalissam vel Ordinarium mittere promittat. Promisit tremens Caelestina ; sed postea impositum officium exsequi omisit.

SOLUTIO. — Duabus in rebus errasse videtur Chrysogonus. Imprimis nimis cito pronuntiavit teneri paenitentem ad Superiorissam suam denuntiandam ; non enim fidendum erat nudae assertioni paenitentis, sed sedulo investigandum erat num ea quae interrogavit Superiorissa pertinerent ad cordis et conscientiae intimam manifestationem; deinde num modus quo usa esset eadem Superiorissa aptus esset ad libertatem subditae auferendam ; tandem num agatur de abusu non prorsus praeterito et qui, si non actu perdurat, saltem merito timeatur iterandus. Praeterea, si monialem nondum perspectam habet Chrysogonus, videat ne vanos terrores hystericae vel hypocondriacae mulieris tamquam vera facta tractet. Deinde severius egit ubi paenitentem sub gravi iussit infra mensem scribere ad Generalissam vel Ordinarium. Nullus enim terminus denuntiationis faciendae in decreto S. C. Ep. et Reg. assignatur. Quare nisi speciali pericula iubeant quamprimum denuntiari Superiorissam quae vim conscientiis inferre et animabus nocere pergat, nihil prohibet quominus diutius exspectetur, donec occasio occurrat in qua denuntiatio fieri possit absque nimia molestia et periculo revelationis (quod minime phantasticum est ubi nullae litterae nisi per manus Superiorissae localis mitti possunt). Talis occasio foret praesertim visitatio domus a Generalissa vel a delegato Ordinarii peracta. Si ab utraque illa auctoritate visitetur domus, sufficiat alterutri denuntiare Superiorissam, cum utraque veniat nomine *Superiorum maiorum*, quibus minores denuntiari iubentur. Atque etiamsi adhuc pluribus mensibus absit huius modi occasio ac propterea videatur citius peragenda denuntiatio, nimium tamen sit gravis culpae arguere paenitentem quae dilationem etiam irrationabilem admittat, dummodo substantiam obligationis implere parata sit (n. 89). Cfr. Meynard, op. cit. p. 34.

§ 2. OBLIGATIONES EX VOTO PAUPERTATIS

CASUS I

Mathildis monialis votorum simplicium, cui defuncti fratris hereditas obtigerat, rogavit Symphorosam, Superiorissam suam, facultatem tribuendi alicui nepti suae reditus annuos et partem bonorum quae acceperat. Symphorosa vero, quae maluisset ut eadem bona quoad dominium et usumfructum monasterio donarentur, tam acerbe de illa intentione Mathildis conquesta est totque difficultates movit ut haec, invita et gemebunda, tandem omnia iura sua monasterio cesserit.

SOLUTIO. — Symphorosa certe iniuste egit si monialibus huius Ordinis vel Congregationis ipsa regula agnoscebat ius disponendi, pro arbritio suo, de bonis suis vel de bonorum suorum reditibus in favorem eorum quibus ea dare placeret, quale ius professis votorum simplicium in Ordinibus proprie dictis agnoscit Pius IX (n. 90). Tricis enim suis moralem vim subditae suae infert, ne iure quod ipsi a regula datur uti queat. Quodsi de iisdem bonis vel reditibus disponere potest monialis, iuxta regulam, cum approbatione Superiorissae, haec licite denegabit consensum suum dispositioni quae sit manifeste irrationabilis, utputa, in casu, si monasterium ad quod pertinet Mathildis egeat, neptis vero cui eadem favere vult, nulla penuria laboret. Attamen, ne ipsi eriperet facultatem quam ei dent regulae, non posset eam directe vel indirecte cogere ut bona sua seu quoad dominium, seu quoad proprietatem, determinato alicui fini, puta sublevandis monasterii necessitatibus, applicaret, ne subditae suae eripiat libertatem, quam ei profecto relinquere intendit regula, eligendi quem maluerit e variis finibus quibus rationabiliter favere possit. Quodsi voluntati Superiorissae non nisi ore tenus acquievit Mathildis, interius vero mansit plane invita, haec donatio monasterio facta erit invalida, cum sine interno consensu legitimae dominae haec bona ad alios transire non possint. Saepius tamen moniales in huius modi adiunctis animo plus minusve reluctante acquiescent

Superiorissae, vere tamen consentient in dominii translationem, vel saltem postea iuri ad restitutionem renuntiabunt. Cfr. Piat, op. cit. I. p. 260.

CASUS II

Barnabus, religiosus votorum simplicium, defuncto patre, in patriam redierat ut hereditatem dividendam inter ipsum et duos eius fratres curaret. Proposuit ei unus e fratribus, caelebs et dives, ut alterum fratrem, liberis magis quam opibus abundantem, eximerent ab obligatione, quam lex civilis inducebat, referendi in massam communem 5000 fr. olim a patre accepta. Acquievit Barnabus, sed brevi post, timens ne voto paupertatis defuisset dum, inscio Superiore, iuri suo ad tertiam huius summae partem renuntiasset, consensum datum revocare conatus est : quod tamen omisit, ambobus eius fratribus clamantibus rem iam datam retrahi non posse.

SOLUTIO. — Haud sine fundamento existimavit Barnabus saltem materialiter a se laesum esse paupertatis votum : talis enim consensus continet renuntiationem iuri iam quaesito, ac proinde sine licentia Superioris graviter illicitus erat (n. 90). Attamen in talibus adiunctis, nisi de contraria Superioris mente constat, sat facile supponi potest facultatem renuntiandi stricto iuri suo, ubi id suadet aequitas, contentam esse in generali potestate quam Superior subdito suo concesserit componendi rem familiarem ex aequo et bono : quamquam semper in rebus alicuius momenti, prout in casu, praestaret ad Superiorem recurrere ut expressus eius cónsensus haberetur. Quid autem dicendum de valore consensus dati a Barnabo ? Estne reapse irrevocabilis ? Ex eo quod deest consensus legitimus Superioris (n. 90), non est directe irritabilis, indirecte tamen irritum censemus, si nullus consensus sufficiens, ne tacitus quidem aut rationabiliter praesumptus, in casu suppetebat. Renuntiatio enim a Barnabo data aequivalet donationi gratuitae, neque in eam consensisset bonus ille religiosus nisi per errorem vel inadvertentiam existimasset se, inconsulto Superiore, consensum suum dare posse. Habemus ergo hic contractum gratuitum cui error accidentalis causam dedit (Vol. I. n. 589, III).

CASUS III

Bertinus, antequam sollemnia vota emitteret, omnia bona sua partim consanguineis, partim bonis operibus tribuerat. Sed nihil statuerat de credito quodam 2000 fr., quippe quod, ob decoctionem debitoris, nè assem quidem valere autumaret. Emissis votis, stupens mane quodam pecuniam illam recepit. Laetus ad Praelatum currit eumque rogat ut insperatum illum thesaurum dare possit Feliciano nepoti suo, egenissimo, cui certe eum dedisset si ante votorum nuncupationem existimasset debitorem illum umquam soluturum fuisse. Libenter annuit Praelatus.

SOLUTIO. — Spectato iure communi, illicita, immo et invalida esset donatio quam Bertinus Feliciano faceret, nisi in testamento olim condito haberetur aliqua clausula generalis, quae etiam obscura ratione tribueret huic nepoti ea iura vel bona de quibus professurus non explicite disposuisset. Etenim religiosus votis sollemnibus ligatus, cum sit dominii incapax, nequit ullam novam dispositionem facere de bonis praetermissis ; potest tantum declarare voluntatem suam obscure in testamento expressam (n. 93, 10°). Neque iuvat quod asserit Bertinus : se creditum illud daturum fuisse Feliciano nisi illud omni valore destitutum aestimasset. Haec enim mera animi dispositio est, minime vero dispositio testamentaria. Ad quem ergo pertinent illa duo fr. milia ? Profecto ad monasterium, dummodo nulla speciali Ordinis lege prohibeatur accipere professorum bona. Hinc forsan deducet aliquis valere donationem Feliciano factam, cum Praelatus consenserit ut illa pecunia in eum transferretur. Sed obstat irritatio talium largitionum ab Innocentio XII pronuntiata (n. 96). Igitur ad faciendam huius modi donationem necessaria foret facultas a S. Sede obtinenda (Gury, Cas. II. n. 116).

Ubi sollemniter professi, e dispensatione. S. Sedis, capacitatem acquirendi et retinendi bona servarunt, donatio Bertini foret valida et, cum accesserit consensus Praelati, etiam licita (n. 91).

CASUS IV

Sigismundus, simplicibus religionis votis adstrictus, inscio Superiore suo, testamentum condidit in favorem Benitii fratris sui. Postea autem, cum dubitare coepisset num valide et licite hunc actum conscripsisset, Raymundo confessario rem exposuit.

SOLUTIO. — Valet profecto testamentum a Sigismundo conscriptum sine ulla Superioris facultate (n. 90). Quin etiam per se licita videtur huius modi dispositio, si Sigismundus vivit in religione in qua nulla vota sollemnia nuncupantur, vel si intendit hoc testamentum condere tantum ut sibi provideat tempore quo in votis simplicibus permansurus sit. Nullo enim iure, quod ad omnes religiosos pertineat, prohibetur huius modi dispositio quae effectum suum assecutura sit tantum post religiosi mortem. Atque idem videtur dicendum de testamento quod conderet religiosus etiam post emissum votum sollemne paupertatis, vel pro tempore quod hanc emissionem secuturum sit, ubi S. Sedes facultatem fecit sollemniter professis possidendi bona temporalia et Superiores probaverunt ut ea facultas actu usurpetur ad quaedam bona personalia retinenda (nn. 91 et 93, 10°). Per accidens, huius modi dispositio graviter illicita foret, nempe si specialia Ordinis vel Congregationis statuta, quibus explicatur dependentia quam erga bona temporalia servare debeant religiosi vi paupertatis quam voverunt, expresse prohiberent ne de iis etiam per testamentum disponerent absque Superioris licentia (1). Quare Sigismundus, si ad tale Institutum pertineret, teneretur petere facultatem Superioris ut hoc testamentum manere sineret : nam cum dispositio testamentaria sit essentialiter revocabilis, aequivalenter pergeret testari sine debita licentia qui testamentum quod posset destruere subsistere sineret.

CASUS V

Onesiphorus, licet paupertatem religiosam voverit, donare solet, sine ulla Superioris venia, amicis suis epistula-

(1) Id contingit in Soc. Jesu. Cfr. Suar., de Relig. Soc. Jesu, l. 4. c. 6. n. XIII seq.

rum publica sigilla *(timbres)*, quamquam quaedam ex iis sat magno pretio veneunt, immo etiam quandoque integram eorum sigillorum collectionem, quae facile 300 fr. venumdata fuisset. Idem Gabrieli typographo omnes contiones suas, ingentem eloquentiae thesaurum, tradidit : quas idem typographus magno lucro suo edidit.

SOLUTIO. — 1° Non videtur violare paupertatis votum Onesiphorus, dum singula sigilla publica dono distribuit : haec enim, ubi iam vehendis litteris inepta evasere, non sunt per seipsa pretio aestimabilia. Quid enim sunt nisi exigua chartula ? Valorem habent tantum relativum, nempe pro iis qui eorum collectionibus congregandis delectantur. Quare quam diu cum pecunia aliisve rebus pretio aestimabilibus non commutantur, dari et accipi poterunt, tamquam valore destituta. Accedit usus religiosorum, etiam timoratorum. De collectione autem quae facile possit vendi 300 fr., aliter dicendum esse censemus ; est enim res exterior pretio aestimabilis, ac proinde materia paupertatis.

2° Non laesit paupertatem Onesiphorus, ubi eloquentiae suae thesaurum typographo amico dedit, modo nullam temporalem compensationem sibi stipulatus sit (n. 92). Sed si talem donationem inscio vel invito Superiore fecit, oboedientiam laesit.

CASUS VI

Narcissus religiosus, arte pictoria peritus, tabulam a se pictam donavit Protasio qui eam postea, inopia pressus, centum francis vendidit. Idem, contra Superioris voluntatem, laute apud aliquem amicum prandit et thecam tabaci fumigandi domum rettulit, fumum odoriferum clam hausturus. Tandem librum aliquem, valde utilem pluribus, a communi bibliotheca ablatum, multo diutius quam per bibliothecae regulas indulgebatur, retinuit : audiens vero eundem a praefecto bibliothecae, reclamantibus ceteris, conquiri, librum sub lecto suo abscondit.

SOLUTIO. — 1° Violavit paupertatem Narcissus, ubi, nulla petita licentia, tabulam a se pictam extraneo donavit, nisi Prota-

sius ei telam et colores suppeditaverit ut in eius gratiam tabulam pingeret (n. 92). Peccavitne graviter ? Affirmandum est si tabula picta communiter a peritis censeatur valere centum aut etiam quadraginta francis ; si vero non quilibet rei peritus, sed tantum unus alterve picturarum conquisitor eam tanti faceret, non videtur gravis reatus, saltem in Belgio iisque regionibus in quibus idem fere est pecuniae valor (n. 98).

2° Practice, ob probabilitatem sententiae negantis, non violavit paupertatem Narcissus, quando invito Superiore apud amicum prandit, oboedientiae tamen manifeste defuit. Verum, ubi tabacum fumigandum secum detulit, privatim consumendum, paupertatem laesit (n. 93, 7°), leviter tamen, cum non soleat unius thecae valor ad materiam notabilem pertingere.

3° Narcissus contra paupertatem peccavit si regulas illas bibliothecae ita trangressus est ut usum penitus independentem huius libri usurpaverit, utputa si eum abstulit, neque monito bibliothecae praefecto, neque nomine suo descripto : ita enim practice ceteros ad tempus huius libri usu exclusit. Si vero praetergreditur tantum statutos per regulas terminos, non videtur sibi arrogare usum independentem, ac proinde contra solam oboedientiam vel caritatem peccabit. Neque generatim retentione ila illegitima graviter laedetur paupertas vel caritas, cum raro usus indebite usurpatus ad gravem valorem pertingat vel notabilem molestiam ceteris afferat (n. 93, 2°).

4° Paupertatem certe laedit Narcissus ubi librum a praefecto bibliothecae conquisitum sub lecto abscondit, cum iuste conquiratur (n. 93, 4°). Talis independens retentio, nisi fiat cum animo retinendi indefinite librum magni valoris, non erit peccatum grave contra paupertatem, sed evadet grave contra caritatem, nempe si alii ita privantur libro quo ad studia prosequenda valde indigent.

CASUS VII

Protasius, sacerdos Regularis, cum centum francos a paenitente quadam accepisset, nulla alia determinatione addita quam ut bonis operibus impenderentur, eos consobrino cuidam egenti dedit. Pariter, nulla a Superiore petita venia, paenitentibus suis reliquias, imagines et rosaria distribuit. Post contiones habitas, eleemosynas sibi oblatas

quandoque recusat, quo maiore independentia verbum Dei annuntiare queat, quandoque acceptas statim reddit pro bono quodam opere impendendas.

SOLUTIO. — 1° Non peccavit contra paupertatem Protasius, saltem probabilius, dum centum illos francos consobrino egeno tribuit : nihil enim facit nisi determinare bonum opus cui pecunia illa applicetur (n. 93, 8°). Supponendum est eam esse huius consobrini egestatem ut in vera necessitate versetur, ac proinde eleemosynae, non merae donationis naturam habeat actio Protasii : secus enim tum contra paupertatem, tum contra iustitiam, ob violatum implicitum contractum cum donatore initum, peccasset Protasius. Saepe tamen huius modi transmissio pecuniae adversatur regulae vel Superioris voluntati, ac proinde oboedientiam laedit.

2° Reliquias dare paenitentibus licet, nisi thecae quibus includantur superent eum valorem qui absolute necessarius est ut decenter custodiantur. Nam, nisi versemur in illa exceptione, reliquiae non sunt materia voti paupertatis (n. 92). Idem non valet de imaginibus et rosariis. Sed, modo illa cum debita facultate acquisiverit Protasius, poterit eadem, nulla nova facultate petita, distribuere (n. 94, 1°).

3° Non laedit paupertatem Protasius dum simpliciter recusat eleemosynam ad quam monasterium nullum strictum ius habeat. Secus tamen dicendum si recusaretur etiam compensatio expensarum quas ipse e monasterii pecunia in gratiam eleemosynam offerentis fecisset. Nisi enim aliter statuat regula vel in casu particulari declaret Superior, monasterium ius strictum habet ad earum compensationem, vi contractus tacite initi cum eo qui contionem petiit (n. 93, 9°). Ratio autem independentiae in verbo Dei annuntiando per se optima est : attamen ut Protasium excuset a laesione caritatis vel oboedientiae, necessarium est ut non extendatur ultra voluntatem Superioris expressam vel rationabiliter praesumptam.

4° Iustitiam et religionem violavit Protasius ubi pecuniam iam acceptatam tradidit in bonum opus impendendam. Ea enim pecunia, statim atque acceptata est, transiit in dominium monasterii, cuius intuitu datur (Gury, Cas. II. n. 103). Id tamen non putamus extendendum ad casum quo pecunia oblata materialiter accipiatur statimque reddatur ei ad quem pertineat : sic enim deesset formalis illa acceptatio qua completur donatio, neque, moraliter loquendo, casus differret a nuda recusatione.

CASUS VIII

Chrysostomus religiosus, cui valde molestum videbatur licentias petere ad varias res accipiendas vel dandas, saepe praesumit facultatem Superioris ad sumenda ea quae ad domum pertinent, sed nullius usui applicata sunt, vel ad accipiendas ab amicis exiguas pecuniae summas, in privatos usus suos itinerum, electuariorum et similium impendendas, numquam tamen ultra viginti francos simul. Postea, cum novus Superior recusaret licentias quas eius praedecessor aliique eiusdem Ordinis Praelati dare solebant, agit quasi easdem obtinuisset, quia (ut ait) ad eas obtinendas ius e consuetudine recepta habet.

SOLUTIO. — 1° Paupertatem laedit Chrysostomus ubi res ad domum pertinentes sibi usurpat, si novit Superiorem nolle ut huius modi res sibi usurpet nisi post petitam expressam licentiam : quod tamen raro fiet si non sumitur ultra eam quantitatem et qualitatem quae passim omnibus religiosis eiusdem domus conceduntur, cum Superiores minus inviti esse soleant ubi agitur tantum de sumendis mutandisve rebus quae passim omnibus dantur, non autem de iisdem coacervandis vel augendis expensis. Si Chrysostomus res ad domum pertinentes sumpsit tantum pro iis quae ipsi permittuntur quando hae amissae, detritae etc. fuerint, paupertatem non laedet, nisi Superior expresse declaraverit nullam se concedere licentiam, etiam in hoc casu, nisi expresse petatur. Generatim tamen laedetur oboedientia ab eo qui huius modi facultates non petat, cum saltem quoad modum inviti esse soleant Superiores (n. 94, 2°).

2° Pariter contra paupertatem delinquit Chrysostomus, ubi summas illas pecuniae in privatos usus accipit acceptasque expendit : nam praesertim in tali acceptatione inviti sunt quoad substantiam Superiores, ne cum licentia mere praesumpta procedatur. Interdum sane posset praesumere licentiam ad accipiendam huius modi exiguam summam, sed semper expressa facultas petenda erit ut eadem conservetur vel expendatur (n. 94, 3°). Graviter tamen non peccavit singulis acceptationibus Chrysostomus, nisi in eius Ordine statutum quo paupertatis votum determinaretur, vel consuetudo

vim legis obtinens ediceret minorem quantitatem requiri ad gravem laesionem paupertatis quam communiter solet. Neque coalescunt huius modi exiguae violationes, cum unice religioni adversentur, nisi simul coacervatam habuerit Chrysostomus pecuniae summam maiorem, puta 40 fr. vel intenderet per plures petitiones tantam summam indebite acquirere vel expendere (n. 98).

3° Paupertatem generatim violat Chrysostomus ubi licentiis negatis utitur quasi concessae fuissent, quasi ius ad eas habuisset. Vix enim occurrunt Superiores satis irrationabiles ut negent ea ad quae ius habeant religiosi a lege naturae vel a religionis statutis. Quare fere semper agetur tantum de rebus utilibus vel voluptariis quae illaeso religiosorum iure negari possunt (n. 95, 5°).

CASUS IX

Symphorianus religiosus, dum in aliquo clericorum seminario, theologiae praelegendae causa, degebat, pecuniam sibi permissam quandoque in usus superfluos impendit. Postea, munere Superioris in aliqua religiosa communitate fungens, expensas quasdam fecit quae maiorum Superiorum commendationibus minime conformes erant vel etiam parum cum religiosa paupertate congruebant.

SOLUTIO. — Neutro in casu Symphorianus violati voti paupertatis arguendus est. Etenim licet Superior, qui quaedam expendit in usum vanum et religiosae professioni indecorum, peccet sicut quilibet qui expensas, statum suum excedentes, faciat, vel etiam scandalum praebeat, nullo argumento convincitur laedere paupertatis votum. Sane simplex administrator bonorum religionis est Superior, ac proinde conventus bona valide alienare nequit, ea ratione quae manifeste cedat in conventus detrimentum, puta donando, dilapidando, etc., sed nullo iure constat eius potestatem restrictam esse ad usus licitos : immo talis restrictio perpetuis anxietatibus ortum daret. Hinc etiam concludere licet immunem fuisse Symphorianum a violato paupertatis voto, quando, solus in seminario degens, generalem licentiam habebat expendendi quae ipsius alimentis necessaria forent. Ipse enim Superior, dum ei generalem huius modi licentiam dedit, non est censendus eam facultatem ita restrinxisse ad casus strictae vel moralis necessitatis,

ut quicquid ultra expenderet, sine potestate ac proinde invalide expenderetur. Sic etiam qui dispensationem comedendi carnes accepit, si carnes sanitati nocivas manducat, temperantiam violabit, minime vero abstinentiae praeceptum, quod per dispensationem sublatum est. Ita Lugo, de Iust. et I. disp. 3. n. 130 seqq. cuius sententiam non audet reprobare S. Alph. (l. 5. n. 31) quamvis contrariam sequatur. Quare satis probabilis est ea sententia ut Symphorianus practice arguendus non sit violati paupertatis voti.

CASUS X

Marinus, in facultatibus suis augendis sollertissimus, facultate summam quandam pecuniae accipiendi et expendendi uti pergit, quamvis Superior, a quo eam acceperit, iam munere suo privatus sit. Similem facultatem cum frustra a Provinciali petiisset, reticita hac denegatione, a Superiore locali petiit et impetravit ; immo etiam cum Provincialis eam ab inferioribus Superioribus dari vetuisset, nihilo minus eam blanditiis suis ab eodem Superiore assecutus est. Tandem, cum factus esset Superior praevideretque se brevi a munere suo remotum iri, plures res sibi emit quas in posterum sibi iucundas fore existimabat et licentias in futurum pendentes sibi tribuit.

SOLUTIO. — 1° Licebat Marino uti facultate quam acceperat a Superiore qui iam munere suo cesserat, quam diu eadem non fuerit expresse ab eius successore revocata. Facultas enim ad certam rem tempusve data se habet velut gratiam factam, quae durat donec ad effectum perducta fuerit, sine novo Superioris influxu (La Croix, l. 4. n. 115 ; Buccer. Cas. Consc. II. p. 50).

2° Valida est licentia quam ab inferiore Praelato recipit Marinus ; postquam repulsam tulit apud Provincialem : nam data est ab eo qui (ut supponitur) potestate ad eam licentiam dandam praeditus erat. Saepe fit ut reticita repulsa quam passus sit religiosus apud alium Superiorem, violetur regula qua iubeantur omnes talem circumstantiam exponere ei Superiori ad quem novae preces porriguntur : sed nullatenus e violata huius modi regula argui potest ad invalidam facultatis concessionem. Atque idem dicendum de casu

quo Provincialis prohibuisset ne Superiores locales talem facultatem darent, modo nulla clausula addita declaratum fuerit facultatem, si forsan detur, fore irritam: huius modi enim prohibitio reddit quidem concessionem illicitam, minime vero invalidam, cum potestatem non auferat (La Croix, l. c. n. 116).

3° Licebat Marino adhuc Superiori uti in sui favorem facultatibus quibus instructus erat pro subditis suis (Vol. I. n. 121), ac proinde servare ea quae sibi tribuit, sicut reliqui servare possunt quae a Superioribus munere functis receperint, donec ab eorum successoribus revocetur licentia. Nequit tamen sibimet ipsi dare licentias in futurum pendentes, puta ad pecuniam accipiendam et expendendam, quia sic reapse exerceret potestatem quando ei iam penitus adempta foret. Ita quoad rem (quamquam aliam rationem afferunt) La Croix et Bucceroni (ll. cc.). Opinamur tamen excipiendum esse casum quo iam coepisset Marinus uti licentia quam sibi concessisset, puta acceptam ab extraneis pecuniam expendere in certos usus : in hoc enim casu nihil aliud faceret quam gratiam iam perfectam ad exsecutionem ducere.

CASUS XI

Valérianus religiosus quandoque fructus et dulcia quae ad mensam apponuntur seponit in ea quantitate quam rationabiliter comedere potuisset et pauperibus inter ambulandum distribuit. Cum quondam, tempore feriarum, aliquot francos accepisset ad cibos in ambulatione quadam comparandos, pecuniam illam expendit ad adeundum via ferrea locum satis distantem : ubi ab amico quodam laute receptus, pecunia quoque donatus est ut eadem via monasterium repeteret.

SOLUTIO. — 1° Violat paupertatem Valerianus ubi fructus illos et dulcia a mensa aufert pauperibusque tribuit, nisi consuetudine Instituti vel speciali Superioris sui intentione manifestata id ei liceat. Regulariter enim quae ita mensae apponuntur non permittuntur religiosis nisi ad usum personalem et praesentem (n. 95, 8°).

2° Non videtur peccare contra votum paupertatis Valerianus cum pecuniam ad unum genus recreationis concessam ad aliud applicat : usus enim nimis affinis est quam ut Superior praesuma-

tur invitus quoad substantiam. Nec refert eum forsan denegaturum fuisse licentiam si Valerianus eam petiisset : id enim probat tantum egisse contra oboedientiam Valerianum. Neque videtur paupertatem laesisse Valerianus dum pecuniam ab amico accepit ut via ferrea ad monasterium redire posset. Nam, ubi pecunia datur statimque expenditur ad emendum ius itinerandi via ferrea, aequivalenter praestatur tantum gratuitum iter, nec plus reapse confertur quam si amicus schedulas itineris ipse solvisset et Valeriano tradidisset : quod profecto non adversaretur paupertati (n. 93, 7°).

CASUS XII

Arsenius, antequam sollemnem professionem faceret, iuri quod habebat ad hereditatem parentum adhuc superstitum vel quod ipsi per successionem ab intestato vel testamentum postea obventurum esset, renuntiavit in favorem Meletii nepotis sui. Verum, ubi defuncti sunt eius parentes aliique consanguinei, ceteri coheredes vel co-legatarii has dispositiones, tamquam legi civili contrarias, repudiantes, partem Arsenii, tamquam mortui, inter se diviserunt.

SOLUTIO. — Merito contendunt Arsenii consanguinei invalidam esse renuntiationem quam religiosus ille fecerat successioni hereditariae vel testamentariae parentum aliorumve quorumlibet. Ita enim solent statuere pleraque Iura hodierna, ut Belgicum et Gallicum (C. C. aa. 791 et 1130), Batavicum (a. 1109), etc. prout etiam antiquo Iure statuebatur. Neque aliter disponit Ius Canonicum, ubi de renuntiatione in favorem alicuius personae privatae agitur. Ratio est, tales pactiones esse odiosas et plenas periculis, eo quod ansam praebent captandae vel procurandae morti aliorum. Frustra quoque recurreretur ad consensum quem forte Arsenii parentes dedissent : privatis enim pactionibus confirmari nequeunt quae propter publicam morum honestatem declarantur irrita : quod etiam quandoque expresse in codicibus civilibus de his renuntiationibus edicitur (1).

(1) Sic C. C. Napoleonicus (a, 1130) : " On ne peut renoncer à une succession non ouverte, ni faire aucune stipulation sur une pareille succession, même avec le consentement de celui de la succession duquel il s'agit. „ Quare saltem ubi talia Iura vigent, non est admittenda doctrina AA. qui

At prorsus immerito, saltem de Iure communi, ceteri coheredes partem Arsenii inter se dividunt, quasi ipse mortuus fuerit. Nam, cum nulla sit renuntiatio supradicta, de iis bonis hereditariis idem dicendum est ac si nullam dispositionem conscripsisset Arsenius. Iam vero de Iure communi Regularium, monasterium ad quod pertinet sollemniter professus succedit in eius iura hereditaria perinde ac in cetera quae ipsi obtingunt (n. 91). Igitur ea bona ipso facto devolvuntur ad monasterium ad quod pertinet Arsenius. Excipiendus tantum foret casus in quo aliquis Ordo, ut fit in Societate Iesu, speciali Iure suo prohibeatur quominus hereditates professis suis devolutas adeat. In hoc enim casu, ceteris coheredibus accresceret pars Arsenii, perinde ac si mortuus esset. Hoc tamen procedit tantum, saltem quoad Soc. Iesu, de adeundis hereditatibus ab intestato, minime vero de colligendis legatis particularibus: quae si relicta fuerint religioso Soc. Iesu, perinde ac fit pro reliquis Regularibus, devolventur ad domum ad quam pertinet legatarius.

Quid autem dicendum foret si forsan Meletius esset inops, ita ut dispositio Arsenii dicenda esset pia? In hoc casu probabile est valere huius modi renuntiationem in favorem Meletii, si Arsenius vi Constitutionum a P. R. probatarum, obligatur ad abdicanda ante professionem omnia iura sua ad bona temporalia seu acquisita, seu acquirenda: quia hac approbatione inductum est Ius particulare, quod praevalet Iuri civili in materia piae dispositionis. Id tamen alii (Sanchez, in Decalog. l. 7. c. 2. n. 54 seqq.; Laymann, l. 3. tr. 5. c. 7. n. 3) extendunt ad quaslibet hereditates; alii rectius, ut videtur (Lugo, Cons. Mor. l. 4. dub. 5. n. 9), restringunt ad hereditatem parentum seu aliorum ad quam, e iure patrio, iam ius aliquod habeat religiosus, tamquam heres necessarius, quia cum ad reliqua ius ei nullum sit, nec postea, tamquam incapaci, obventurum sit, nihil habet quod tertio cedat. Ceterum cum hic valor sit mere probabilis, inquietari non possent qui illud practice posthabeant. Cfr. Bucceroni, Cas. II. p. 51. Insuper adverte nihil impedire quominus Meletius postulet adimpletionem renuntiationis in suum favorem factae, saltem quoad hereditatem parentum, cum probabile sit huius modi actus, iure civili irritos, manere validos donec rescindantur (Vol. I. n. 594).

ut Busembaum (l. 4. n. 943) validum censent pactum de hereditate viventis si is consentit et in eo consensu usque ad mortem perseverat.

CASUS XIII

Lucanus, antequam sollemniter voveret, pactum cum fratre suo unico Arsacio fecerat ut is totam haberet parentum, adhuc superstitum, hereditatem, monasterio vero solveretur annua pensio 5000 fr. quam diu viveret Lucanus. Soluta est haec pensio a parentibus, quam diu vixerunt, et ab Arsacio, per annos tres ab hereditate parentum obtenta. Tunc vero contendit Arsacius iam satis compensatam esse partem hereditatis quam ipsi reliquerat Lucanus, neque se teneri illo pacto inito, quippe quod lege civili prorsus nullum foret.

SOLUTIO. — Iniuste recusat Arsacius pergere in solvenda pensione de qua pactum erat. Etenim quamquam ab hoc pacto resilire poterat quam diu partem hereditatis parentum, quae Lucano obtigerat, non occupasset, tenetur omnino ad praestandum id quod ipse promiserit, ex quo Lucanus quod suum erat praestiterat, nempe relicta fratri sua hereditatis portione. Id a fortiori eruitur ex iis quae de contractibus turpibus dicta sunt Vol. I. n. 584. Neque enim hic habemus contractum turpem seu inhonestum in se : nam, quamquam leges civiles eum vetant ob periculum quod bonis moribus inducit, non sunt propterea singula pacta in se inhonesta, cum periculum illud saepe omnino absit. Inanis quoque est ratio allegata ab Arsacio : iam satis compensatam esse partem hereditatis quam a Lucano acceperit. Nam, etiamsi collatis viribus hereditatis cum pecunia iam in pensionem soluta ita videri posset, manet obligatio pacti exsequendi : huius modi enim pacta habent aliquid aleatorii, cum plura in iis sint incerta, puta quanta futura sint bona parentum ubi mortui fuerint, quot annos religiosus victurus sit etc. Quare ferenda est utrique parti mala sors sicut bonam libenter tulisset.

§ 3. OBLIGATIONES EX VOTO CASTITATIS

CASUS

Symphorianus religiosus, artioris observantiae pertaesus, incuria Superioris sui abusus est ut pluries singulis

hebdomadis, sine ulla licentia, clam domo exiret urbemque perambularet vel amicos inviseret. Quin etiam interdum tenebris usus est quo securius has fraudes suas tegeret : quas cum impune pluries adhibuisset, ea audacia tandem fuit ut interdum extra monasterium pernoctaret.

SOLUTIO. — Venialiter certe peccavit Symphorianus quotiens sine facultate Superioris extra monasterii clausuram processit, etiamsi regulae eius Ordinis mere poenales sunt (n. 99, II). Graviter tamen deliquisse censendus non est. Etenim : 1° Multiplicatio peccatorum venialium, per frequentes egressus illegitimos, numquam per se gravem reatum inducere potest. Neque inde oriri videtur, in casu, grave scandalum vel periculum relaxandae disciplinae, siquidem clam agit Symphorianus, ac proinde ceteros religiosos ad relaxandam legem clausurae non trahit, neque saecularibus per se constat utrum in fraudem legis an cum debita facultate exierit. — 2° Non est censendus *nocturnus* exitus quicumque tenebris tegitur : id enim minime sinit verborum proprietas. Ad noctem videtur pertinere illud tantum tempus quo solent homines inter tenebras a diurnis laboribus quiescere. Quodsi dubium esset de hora vespertina, videtur tribuenda nocti si religiosi eius monasterii eo tempore iam se in lectum recipere soleant ; secus, non erit habenda tamquam nocturna. Gravitas enim nocturni egressus videtur, inter cetera, niti periculo graviorum abusuum, eo tempore quo, ob communem quietem, facilius impune delinqueretur. — 3° Per se non videtur egredi ad longum tempus quicumque unam tantum noctem extra monasterium degat. Cfr. Piat, Prael. I. Reg. I. p. 347. Per accidens tamen talis commoratio nocturna extra monasterium facile evadet gravis, eo quod religiosus qui eam admittere praesumit, facile seipsum et monasterium suum gravi infamiae apud saeculares exponet.

§ 4. OBLIGATIONES EX VOTO OBOEDIENTIAE

CASUS I

Prudentius, sacerdos Regularis, cum in civitate saeviret cholera-morbus, a Superiore suo iussus est, cum duobus

aliis eiusdem Ordinis religiosis, aegrotis inservire. Sed munus sibi demandatum detrectavit, tum quia curam hanc gerere debuissent parochi et vicarii, tum quia ipse, praeclara eloquentia a Deo donatus, putabat magis fore e gloria Dei si se tuendae religioni servaret.

SOLUTIO. — Videndum est utrum ii aegroti quorum curae addicere vellet Prudentium Superior, ad eorum Ordinem pertinerent an extranei forent. Si ad eundem Ordinem spectabant, vix umquam admitti poterat eius excusatio : ipsa enim necessitas praebet ius Superiori ut suos iubeat aliis eiusdem Instituti membris inservire, etiam cum maximo periculo suo, sicut princeps civilis, ad patriam tuendam, ius habet mittendi subditos in summa belli pericula (Vol. I. n. 91). Admittunt quidem plures AA. (Schmalzgr. in l. 3. Decr. t. 35. n. 69) non obligari eum religiosum qui, propter egregias dotes, valde utilis sit bono communi, si alii reperiri possint qui cum minore communi detrimento peste infectis subveniant. Attamen, cum in tali iudicio de proprio valore efformando valde pronum sit hominem amore proprio obcaecari, censemus generatim Superiori parendum esse si mandatum suum urgeat, postquam subditus ei hanc excusationem obiecerit (n. 102, III). Si vero extranei sunt iidem aegrotantes, non posset certe praecipere Superior subdito suo, ut curam temporalem eorum ageret, si scopus Ordinis est non temporalibus, sed spiritualibus proximi necessitatibus inservire ; similiter dicendum, si parochi aliique sacerdotes curae animarum ex officio addicti, levandae spirituali necessitati aegrotantium sufficiunt, cum eorum munus proprium sit sacramenta praebere vita periclitantibus. Attamen merito praecipere posset Superior ut Prudentius curam spiritualem infirmantium ageret, si iidem sacerdotes oneri ferendo non sufficerent : qua in re non videtur distinguendum utrum voluntarie an involuntarie deficiant, cum par sit in utroque casu fidelium necessitas. Idem dicendum si quando omissio talis curae spiritualis vergeret in communem Ordinis ignominiam : quippe quam Praelatus et subditi avertere teneantur, sicut supra de cura infirmantium sociorum dictum est. Cfr. n. 101 ; Schmalzgr. l. c. ; Rotarium, Theol. Mor. Regul. t. II. lib. 2. c. 1.

CASUS II

Berthulphus, votorum simplicium professus, iniquis patriae legibus militia saeculari fungi coactus est. Maluisset ipse ad aliud eiusdem Ordinis monasterium in diversa regione situm pergere atque exsilium pati in quo per multos annos vivere coguntur qui se legi militiae subtrahant. Sed Superiori magis placuit iuvenem in patria manere legique parere ut eum postea in suo conventu adhibere posset : quare omnino iussit ut, die statuto, vestem militarem cum habitu religioso commutaret. Reclamavit Berthulphus apud Superiorem mediatum, contendens huius modi rem non posse sibi vi oboedientiae promissae imponi.

SOLUTIO. — Berthulphus per se merito contendit non posse sibi a Superiore imponi ut militia fungatur. Etenim, quomodo vel implicite in regula contineretur id quod non tantum ad longum tempus impedit quominus vita regularis observetur, sed etiam haud leve periculum affert ipsam religiosam vitam in perpetuum deserendi (n. 101) ? Per accidens tamen posset Superior eam rem imponere, non praecise vi oboedientiae, sed tamquam urgens ius quaesitum Ordini per contractum quem cum Instituto iniisset Berthulphus, quando ad vota admitti voluit. Res patet si expresse promisit se Superiorum arbitrio permittere modum quo militiae oneri satisfacturus esset. Implicite idem pactum fecisset qui, existimans se militando haud imparem fore, ingressus esset monasterium quod socios extra illam regionem nullos haberet vel qui scivisset se extra regionem in qua Ordinem ingressus sit, nullam utilitatem eiusdem Ordinis fini afferre posse. Idem tamen non videtur dicendum ob admissionem alicuius iuvenis in hanc illamve domum vel provinciam : ubi enim Institutum in aliis quoque regionibus viget, vincula quo religiosi cum sua domo vel provincia constringuntur non videntur tam arta ut ad ea servanda subeundum sit onus tam grave tamque periculosum, cum saepe ob rationes minus graves religiosi ab una domo vel provincia ad aliam transferantur.

CASUS III

Carinthius, religiosorum Superior, zelo instaurandae disciplinae flagrans, peculium quod in monasterio suo vigebat, abolevit ; ieiunia plura quae in regula iam a multis saeculis conscripta legebantur, sed in desuetudinem abierant, restituit ; ferias annuas per quas hinc inde excurrere sinebantur religiosi, suppressit, etc. Sed plures e religiosis contra has innovationes murmurarunt, immo etiam has Superioris sui ordinationes, quotiens impune poterant, transgrediebantur, contendentes se ad eas servandas adigi non posse, cum regulam vovissent, non prout primitus conscripta erat, sed prout a longo tempore servabatur.

SOLUTIO. — Immerito videntur religiosi illi oboedientiam detrectare his Superioris sui ordinationibus. Id extra dubium est de peculio : quippe quod licitum non sit nisi quatenus accedat licentia quam Superior semper retrahere potest (n. 102, IV). Fieri sane potest ut imprudenter egerit Carinthius, ubi religiosis imperfectis atque ad murmurationes pronis subito subtraxit quodlibet peculium, etiam cum debita dependentia servandum et expendendum : sed talis imprudentia nequaquam obesset ordinationis valori. Quod vero spectat ad ieiunia restituta et ad ferias abolitas, hae mutationes pertinent ad puncta quaedam omnino particularia, minime vero influunt in universam vitae degendae rationem, ita ut religiosi dici possint nunc adstringi ad strictam regulae observantiam qui antea laxiorem professi essent. Iam vero sententia, sane probabilis (n. 102, IV), qua religiosi ante professi eximuntur a servanda regulae reformatione, non videtur applicanda esse nisi iis mutationibus quae, cum ferantur in res cotidiani vel saltem frequentissimi usus, universam vitam asperiorem efficiunt. Nam licet plures AA. hanc limitationem sententiae suae non clare apponant, videtur omnino eorum menti conformis. Sic Laymann (l. 4, tr. 5. c. 7. n. 13. coroll. III), cui adhaerere se dicit S. Alph. (l. 5. n. 44), concedit posse Praelatum cum consensu maioris partis Capituli (ubi is ad maiora negotia est necessarius) statuere obligationem etiam perpetuam alicuius ieiunii, negat tamen eum posse statuere seu (quod in idem recidit) restituere *multa* ieiunia, per quae *notabiliter*

augeretur regulae austeritas. Et reapse si talis potestas Praelato, etiam cum capitulo, negaretur, iam non vigeret in eo Instituto legifera potestas.

CASUS IV

Crispinus religiosus, propter delictum quoddam, sub gravi iussus est a Superiore suo exercitiis spiritualibus per quinque dies vacare. Hanc paenitentiam aequo graviorem ratus, per quinque dies se cubiculo suo inclusit, quasi spiritualibus rebus vacaret ; nullam tamen meditationem fecit, quia Superiorem mere interna praecipere posse negabat ideoque se a gravi reatu immunem putabat. Post aliquod tempus, cum officio aliquo valde gravi onustus esset frustraque a Superiore suo aliquod levamen postulasset, quicquid oneris clam excutere poterat, excutiebat, quia timebat haud mediocre incommodum sanitati suae, praeceptum autem Superioris, perinde ac lex, non obligat cum gravi incommodo.

SOLUTIO. — 1° Censemus prorsus errare Crispinum ubi denegat Superiori potestatem iubendi actus mere internos, vi voti oboedientiae (n. 101). Attamen probabilitatem saltem extrinsecam eius sententiae negare non audemus, cum pro se habeat maximi nominis patronos, ut Sanchez (in Dec. l. 6 c. 2. n. 6) ; Lugo (Resp. Mor. l. 6. dub. 7. n. 11) etc. qui regulas vel praecepta quibus religiosi iubentur meditari, conscientiam examinare aliosve actus mere internos praestare excludunt a materia oboedientiae necessariae, solique oboedientiae perfectae adscribunt. Supponendum tamen externe ita se gerere Crispinum ut cuncti censeant eum exercitiis iniunctis vacare, dum vident silentium servantem, exteriores occupationes abrumpentem, in cubiculo se continentem, etc.

2° Verum est principium quod invocat Crispinus : praeceptum Superioris, legis instar, non obligare cum gravi incommodo quod per accidens ei sit coniunctum (Piat. Prael. I. Reg. I. p. 289). Attamen caveat sanitatis suae studiosus vir ne sibi fucum faciat dum grave incommodum vel periculum muneris sui exsecutioni coniunctum putat : quod nimis crebro contingit. Deinde inspiciat num forte commune bonum postulet ut ipse hoc munus, etiam cum

gravi incommodo vel periculo suo, gerat, puta quia nullus alius est inter religiosos qui commode tutoque eodem fungatur, necessarium vero est ut a quodam e religiosis exerçeatur : nam in hac hypothesi, quae crebro occurrit, licebit Superiori (Vol. I. n. 114, 2°).

CASUS V

Cum in quadam domo religiosa pretiosa manuscripta a cubiculo alicuius religiosi ablata essent, Nazarius Superior praecepit in virtute sanctae oboedientiae omnibus subditis ut sibi denuntiarent quis huius furti auctor esset. Sciebat autem Zoesius religiosus has chartas a Castore fuisse subtractas. Sed cum vehementer talem denuntiationem facere abhorreret, rogavit confessarium num stricte teneretua ad eam peragendam.

SOLUTIO. — Si iam aliqua infamia aspersus erat Castor, tenebatur eum denuntiare Zoesius, siquidem in hoc casu Praelatus iuste et iuridice interrogat. Quodsi nulla infamia notatus erat Castor, tamquam huius furti reus, non tenebatur eum deferre Zoesius, quia illicitum est iudici de persona minime infamata speciatim inquirere (Suarez, de Relig. tr. 10. l. 10. c. 11. n. 7), nisi ex eius silentio immineat grave damnum toti communitati, quod aliter removeri nequeat : siquidem in hac hypothesi bonum commune praevalet iuri privati hominis ad famam. Id contingeret, in casu, si ex illo furto timendae essent inimicitiae inter varia membra communitatis, dum is qui detrimentum hoc passus sit insimulet alios plures huius delicti, atque ita forsan in plures partes invicem adversas scinditur communitas. Quod si Superior inquireret tantum ad finem paternae correctionis, teneretur Zoesius ad denuntiandum Castorem, quando talis denuntiatio videretur cedere in maius delinquentis vel communitatis bonum : nam si in hoc casu potest sponte denuntiare Superiori ut patri, non apparet quare idem ei a Superiore imponi nequeat (Suar., l. c. n. 8). Attamen e fine quem correctio fraterna intendit, liquet subditum non teneri ad denuntiandum si delinquens vel iam emendatus vel brevi se emendaturus est, utputa in casu si brevi relaturus est manuscriptum, neque instat relapsus periculum. Cfr. Piat, op. cit, p. 290.

TRACTATUS XI

DE SACRAMENTIS IN GENERE

CAPUT I

DE NATURA SACRAMENTORUM N. L.

CASUS I

Anacletus, ubi prima vice baptismum ministravit, rei novitate parvulique vagitibus perturbatus, iam totam formam absolverat cum aquam baptizando infundere coepit. Hinc dubitare coepit num sacramentum sub condicione iterare deberet : quod cum facere omisisset, magnis anxietatibus agitari coepit.

SOLUTIO. — Nihil reapse iterandum erat, siquidem actio abluendi statim formae prolationem subsecuta est, nulla intermediante alia actione nulloque etiam mediocri temporis intervallo. Igitur moraliter certo valida est baptismi collatio (n. 109, 1°). Ita recte solvit hunc casum Buccer. (II. p. 67) contra Gury (Cas II. n. 142). Non fuisset tamen increpandus Anacletus si ad removendas magnas anxietates suas, vel eorum qui id forte advertissent, baptismum sub condicione repetiisset (n. 118).

CASUS II

Zephyrinus missionarius certior factus aliquem catechumenum morti proximum ab uxore sua fuisse baptizatum sub

hac forma : « Ego te baptizo in nomine Patris, ego te baptizo in nomine Filii, ego te baptizo in nomine Spiritus Sancti » censuit baptismum esse iterandum, cum non esset distincte expressa unitas divinarum personarum. Idem fecit infanti quem catechista, latinam formam non satis edoctus, baptizaverat his verbis : « Togo te paterizo in nomine Pater et Hirio et Spiritu Santo. »

SOLUTIO. — 1° Nulla sufficiens ratio dabatur rebaptizandi sub condicione illum catechumenum : cum enim ter eandem formulam adhibuisset uxor et singulis vicibus " in nomine „ numero singulari repetiisset, distincte significabatur unum eundemque esse illum Deum cuius nomine ritus sacer conficeretur. Atque in hunc sensum respondit S. Off. 11 ian. 1882 (Coll. P. F. n. 530) de baptismo ab haereticis sub hac forma collato.

2° Formulam alteram saltem practice dubiam esse, ideoque sub condicione iterandum esse baptismum respondit S. Off. 11 mart. 1868 ad Vic. Apost. Iaponiae (ad 1^{um}). Ratio dubii oritur e mutationibus inductis in voces *baptizo (paterizo)* et *Filii (Hirio)*, quae tantae sunt ut videri possint voces prorsus diversae. Theoretice tamen nobis praeplacet sententia quae valori baptismi faveat : nam cum mutationes illae provenerint potissimum e difficultate quam Iapones experiuntur in pronuntiandis pluribus latini idiomatis syllabis, prout in citato documento refert idem Vicarius Apostolicus, non apparet quis alienus sensus huic formulae subesset (n. 110, 4°).

CASUS III

Lucanus confessarius absolutionis formam super Macarium recitare coeperat, iamque pervenerat ad verba : « Absolvo te, » cum paenitentem e confessionum sede egredientem animadvertit. « Quid facis, mi bone, ait ! revertere et genua flecte usque dum te absolverim. » Cum iterum provolutus esset Macarius, Lucanus formulam complevit, incipiendo a verbis : « a peccatis tuis ».

SOLUTIO. — Valet profecto absolutionis forma qualis a Lucano prolata est. Etenim, cum exigua interruptione ultima formae verba

a praecedentibus separata fuerint, sensus non est substantialiter mutatus (n. 110, 3°). Immo probabilius iam valebat prior pars formae seiuncta a verbis quae confessarius postea addidit (n. 264). Non est tamen probanda ratio qua confessarius egit cum paenitente : hic enim moraliter praesens manebat cum Lucanus eius discessum advertit, ac proinde minime erat cum molestia et pudore suo revocandus (n. 267). Cfr. Elbel, Theol. Mor. sacram. p. 1. n. 13 seq. ; Gury, Cas. II. n. 154.

CAPUT II

DE MINISTRO SACRAMENTORUM

§ 1. DE REQUISITIS AD SACRAMENTUM VALIDE MINISTRANDUM

CASUS I

Albinus parochus, dum chartis ludebat cum amicis suis, ad puerum baptizandum vocatus est ; post horae quadrantem cucurrit ad ecclesiam et quanta potuit festinatione baptismum absolvit. Postea autem de eius valore dubitare coepit, cum sibi videretur nulla alia intentione ductus fuisse quam ut citissime ad ludum praedilectum rediret. Brevi post audivit Lysiam medicum, qui infantem quendam in mortis periculo baptizaverat, baptismo irrisisse quasi stultae superstitioni, cui se accommodasset tantum ut matri morem gereret. Hunc baptismum defectu intentionis nullum fuisse ratus, infantem iterum absolute baptizavit.

SOLUTIO. — 1° Inanis est timor Albini de propria intentione. Licet enim (quod parum veri simile est) adeo ludendi aestu praeoccupatus fuisset ut nullatenus attenderit ad ritum sacrum peragendum, non alia sane ratione impulsus est ut ludum relinqueret

quam ad fungendum officio suo ministrandi baptismi. Habuit ergo virtualem intentionem faciendi id quod Christus vel Ecclesia nomine Christi facit (n. 112).

2° Erravit quoque Albinus dum baptismum ab incredulo medico collatum irritum esse iudicavit ob intentionis defectum. Nam eo ipso quod medicus ille voluit matri morem gerere, implicite voluit quod facit Christus vel Ecclesia, siquidem hanc fuisse matris intentionem liquidum est (n. 111). Attamen infantem sub condicione iterum baptizare debuit parochus : prudenter enim timere potest ne valde neglegenter fecerit medicus caerimoniam quam ipse nugis adnumerabat, ac proinde ne aliquid essentiale in materia vel forma omiserit (n. 152).

CASUS II

Elias consilium inierat differendae absolutionis Stephano adulescenti, in peccatis turpibus habituato, quo maiores conatus ad sese emendandum adhiberet. Sed cum paenitens inter plures alios accessisset, existimavit eum esse Lollium, eius fratrem, voce et conscientia simillimum eique absolutionem impertivit. Sed postquam e confessionali egredientem vidit, errorem suum advertit : quare, ne sine absolutione abiret indignusque communicaret, iterum absolutionis formam pronuntiavit.

SOLUTIO. — Valebat absolutio data Stephano, ac proinde frustra eam sub condicione iteravit Elias. Ubi enim duae saltem specie tenus contrariae intentiones eliciuntur, effectum sortitur ea voluntas quae praevalet (Lugo, de Sacr. in gen. Disp. 8. sect. 8). Iam vero in casu praevalet voluntas quam habuit Elias absolvendi paenitentem quem iudicavit absolutione dignum. Priorem enim intentionem differendae absolutionis non elicuit nisi ad bonum maius Stephani procurandum. Illa igitur minime se extendebat ad irritandam absolutionem per se validam in iis adiunctis in quibus irritatio illa in detrimentum eiusdem adulescentis cessisset : quod profecto contigisset si paenitens, existimans se absolutum fuisse, forsan diu in peccato suo mansisset. Cfr. Gury, Cas. II. n. 162.

CASUS III

Athanasius, a secta haeretica ad catholicam unitatem rediturus, declaravit Ambrosio missionario se iam adultum baptizatum fuisse a ministro, qui cetera quidem ad sacramenti valorem necessaria rite peregerat, sed eum expresse monuerat ne crederet baptismum habere ullum effectum in animam, nihil aliud eam caerimoniam esse nisi signum mere externum aggregationis sectae suae. His auditis, Ambrosius declaravit baptismum fuisse nullum atque absolute iterandum esse.

SOLUTIO. — Erravit penitus Ambrosius. Etenim 18 decembris 1872 ad interrogatum a Vic. Ap. Oceaniae Centr. responsum est hunc baptismum non esse dubium " quia non obstante errore quoad effectus baptismi, non excluditur intentio faciendi quod facit Ecclesia „ (Coll. P. F. n. 539). Cfr. n. 111, II.

§ 2. DE REQUISITIS AD SACRAMENTUM LICITE ADMINISTRANDUM

CASUS I

Gorgonius parochus cum, gravi peccato contra castitatem commisso, se ad ecclesiam suam contulisset, Laudes SS^mi^ celebraturus, ex inopinato rogatus est a pia muliere ut ipsius confessionem exciperet. Haesit paululum miser sacerdos ob gravis reatus conscientiam. Non est tamen ausus denegare quod petebatur. Sed audita confessione, ne sacramentum in malo statu conficeret, benedictionem pro absolutione dedit.

SOLUTIO. — Fieri potest ut graviter deliquerit Gorgonius si, contra conscientiae dictamen, ex humano respectu, confessionem audire coepit. Per se tamen nulla gravis culpa in eius agendi ratione reperitur. Non enim confecit sacramentum, letalis culpae

reus, cum sacramentum Paenitentiae tunc tantum proprie conficiatur cum absolutio impertitur (n. 115). Neque gravem iniuriam paenitenti intulit, etiamsi ab initio intendit absolutionis omissionem benedictione dissimulare: praesumere enim poterat piam mulierem non nisi levia peccata abstergere velle, ac proinde non nisi leve detrimentum ex hac dissimulatione passuram esse.

Attamen in his angustiis aliam viam inire debuisset. Optimum consilium fuisset sese excusandi ab audienda confessione, praetextu cuiusdam impedimenti, vel, si mulier urgebat, petendi aliquot momenta ob urgens negotium. Nam si serio per aliquot momenta in sacristia aliove ecclesiae loco contritionem excitare conabitur Gorgonius, Deus non denegabit gratiam perfectae contritionis quae ipsi saltem lato sensu necessaria est tum ad postulatam confessionem audiendam, tum ut aliis similibus officiis, quorum occasio in vita sacerdotali crebro occurrit, rite fungi queat. Quin etiam si confessionem audire coepit antequam gravem culpam deterserit, potuit se per aliquot momenta tacitus colligere antequam absolutionem daret : non est enim longum tempus necessarium ad contritionem eliciendam. Immo hoc ultimum medium omnino adhibendum erat si contra exspectationem suam paenitentem invenit gravi peccato inquinatam : ne eam, dilata absolutione, gravis detrimenti periculo exponeret (n. 114).

CASUS II

Adalbertus parochus, postquam plures menses in statu peccati mortalis vixerat omnesque sacras functiones quas munus pastorale postulat peregerat, tantorum delictorum confessionem instituere paravit. Quare sollicite scripto notare coepit quot infantes baptizasset, quot personis sacram communionem vel extremam unctionem ministrasset, quot paenitentes absolvisset, quot matrimoniis adstitisset, quotiens tamquam diaconus vel subdiaconus ad altare ministrasset, etc.

SOLUTIO. — Pluribus in rebus nimia est Adalberti sollicitudo. Nihil enim cogit, immo vix expedit ut peccatorum venialium numerus accurate determinetur, praesertim ubi rei molestia fere totum hominem postulat vixque mentem satis liberam ad fovendum

dolorem et propositum relinquit. Iam vero saltem probabile est non nisi culpas veniales reperiri in s. communione distributa, in officio diaconi vel subdiaconi gesto in statu peccati mortalis (n. 115). Haec tamen confiteri deberet Adalbertus si forsan persuasum habuerat gravem reatum in iis actibus contineri et cum conscientia ita formata huius modi actiones posuisset, nullo conatu ad contritionem eliciendam adhibito (Vol. I. n. 157). Praeterea non tenebatur Adalbertus ad manifestandum numerum fidelium quibus sacramentalem absolutionem dedisset : satis enim erat indicare quotiens, puta singulis hebdomadis, soleret confessionibus audiendis vacare. Restat igitur tantum ut, quantum moraliter potest, indicet confessario quot infantes baptizaverit vel quot aegrotos inunxerit : haec enim sacramenta vix umquam pluribus subiectis uno tractu continuo administrantur, ac propterea singulae ministrationes totidem numero peccata erunt (n. 115).

§ 3. DE OBLIGATIONE MINISTRANDI SACRAMENTA

CASUS I

Polyphemius neo-parochus audivit fideles in eo loco ad confessionem valde frequentem adductos esse a praedecessore suo qui singulis diebus praesto erat confiteri cupientibus, multos ad sacramenta accedere prima feria sexta mensis in honorem SS. Cordis Iesu vel feria tertia in honorem S. Antonii Paduensis, operarios plures etiam valde sero vel summo mane accedere, etc. Ipse vero, otii amantissimus, coepit non nisi iis diebus et horis quae in Statutis dioecesanis designantur, se conferre ad confessiones audiendas. Hinc factum est ut brevi plurimum minutus sit in illa paroecia sacramentorum usus. Postea translatus ad aliam paroeciam, in qua vix ullus extra tempus Paschale ad confessionem accedebat, penitus omisit ad confessiones audiendas adesse etiam iis diebus qui in Statutis notantur, quia ad inutile nemo tenetur.

SOLUTIO. — 1° Hallucinatur Polyphemius si obligationi suae plene satisfactum esse putat modo confessiones excepturus adsit

iis diebus et horis quae Statutis synodalibus determinantur. Haec enim determinare solent tantum ea tempora in quibus ubique et regulariter confiteri cupiunt fideles, et iubere ne pio eorum desiderio desint qui curam animarum gerunt. Sed praeterea servanda est regula quam Theologi e natura pastoralis muneris deducunt : aures praebendas esse subditis rationabiliter petentibus confitendi copiam (n.119). Iam vero rationabiliter petere censendi sunt fideles qui, pro pio more in multis locis recepto, confiteri volunt ut prima sexta feria cuiusque mensis vel feriis tertiis in honorem SS. Cordis vel S. Antonii communicent et indulgentias lucrentur, vel operarii qui valde sero aut summo mane accedunt, quia aliis horis labore prohibentur. Quare iis praesto esse tenetur Polyphemius, sicut etiam aliis ad confitendum accedentibus iis horis quae nullam specialem molestiam parocho creent. Igitur si tam difficilem se praebet ut inde sequatur notabilis deminutio frequentationis sacramentorum inter paroecianos, graviter peccat, ni inconsideratione excusetur. Non tenebatur tamen Polyphemius ad prosequenda quaecumque fecerat eius praedecessor, si quaedam forsan praestitit quae industriam plane extraordinariam et exquisitam redolebant, utpota totam fere diem praesto esse iis qui confiteri cupiant. Nulla enim daretur proportio inter tantum onus et emolumentum quod parocho praestari solet tamquam laboris compensatio. Cfr. Lugo, de Paen. disp. 22. n. 7.

2° Rarissime licebit parocho ab ecclesia abesse etiam iis diebus et horis quibus per statuta synodalia adesse iubetur. Id contingeret tantum si longa experientia constaret neminem prorsus accedere, etamsi parochus fideles monitos in ecclesia exspectet : in hac enim hypothesi eius praesentia vere inutilis foret. Sed plerumque, licet paucissimi accedant, non erit omnino inutile parochum certis quibusdam horis exspectare oves suas : hac enim praesentia sua tepidos malosve alliciet et iis qui ad meliora quandoque redire velint confitendi opportunitatem praebebit.

CASUS II

Hyacinthus parochus fideles omnes qui infra hebdomadam confiteri cupiebant ad diem usque Sabbati exspectare iubet. Cum autem vidisset, non sine aliquo invidiae motu, paroecianos magno numero tendere ad Protum vicarium

suum, pium sacerdotem et impigrum confessarium, primum conatus est assidua praesentia sua oves ad proprium confessionale allicere : quod cum frustra cecidisset, iam diebus confessionum vix umquam ecclesiam adire coepit.

SOLUTIO. — 1° Licebat Hyacintho ad diem Sabbati vel Dominicam remittere eos fideles quos norat nulla necessitate premi ad confessionem aliis diebus instituendam, prout id cum morali certitudine nosse potest de iis qui saepe ad eum recurrunt ut de solis venialibus confiteantur. Attamen laudabilius etiam eos audiri ubi petunt, nisi numero vel prolixitate confessionum modum excedant, perspicuum est. Minime vero licebat Hyacintho idem agere cum paenitentibus ignotis vel de quibus merito praesumere nequeat eos peccatis mere venialibus maculatos esse : hi enim, si reapse in peccato mortali versantur, molestum et periculosum ducere possunt per plures dies in eodem manere, ac proinde valde rationabiliter petunt ut parochus iis per hebdomadam absolutionem largiatur. Igitur mortaliter peccabit Hyacinthus si ita habitualiter infra hebdomadam subditos rationabiliter petentes audire detrectat (n. 119).

2° Si solam obligationem iustitiae erga subditos spectamus, non peccat Hyacinthus dum vicario suo totum audiendi confessiones munus relinquit. Nullum enim detrimentum ovibus suis infert dum a confessionibus audiendis ipse abstinet, modo iis praebeat (ut in casu) confessarium idoneum (Lugo, de Paen. disp. 22. n. 3). Attamen contra Ecclesiae mentem certe aget parochus qui ita unum e praecipuis muneribus parochialibus a se abdicat : vicarius enim ei datus est ut eum adiuvet, minime vero ut eius locum sumat. Graviter tamen delinquere Hyacinthum non putamus, modo nullum notabile detrimentum paroecianis inferatur hac parochi sui secessione.

CASUS III

Robertus parochus certior factus est Hectorem paroecianum suum eundemque Massonem in imminenti mortis periculo versari, duos vero tresve sodales diu noctuque moribundo adstare ne sacerdos ad eum ingredi posset, qui etiam palam denuntiaverint se parochum pugnis,

calcibus vel etiam sclopeto excepturos esse si nihilo minus Hectoris cubiculum ingredi tentaret. His auditis, secum deliberavit Robertus num moribundo, spreto periculo, succurreret ; nihil tamen egit, ratus parochiale officium non obligare cum tanto incommodo.

SOLUTIO. — Cum Hector in gravi necessitate versetur, Robertus ei saltem Paenitentiae sacramentum cum periculo etiam vitae suae ministrare tenetur (n. 119). Igitur a fortiori minora pericula adire debebat quae in casu occurrebant. Videlicet, cum saepe inani quadam iactantia proferantur minae quae nequaquam ad effectum perducantur ubi fortiter ab adversario repugnatur, debuisset parochus saltem conatum adhibere ut ad moribundum adire posset. In hoc enim conatu non solet esse gravis damni periculum, modo vi praevalenti opportune cedatur. Neque dicas : tantum esse hoc onus ut, si imponeretur, sacerdotes communiter parochiale munus detrectaturi essent (1). Hoc enim onus multo minus videtur quam quod procul dubio parochis imponitur, ministrandi sacramenta, etiam cum vitae periculo, morbo contagioso infectis. Id tamen libenter concedimus : minime obligari parochum ad ingrediendum cubiculum aegroti ubi ipsi constiterit impios satellites ea vi et audacia esse ut frustra se gravibus malis obiceret, cum nemo teneatur se absque spe fructus tantis detrimentis exponere. Atque id valeret, etiamsi forsan constaret aegrotum cupere ut sacerdos ad eum accederet : si enim iam bene dispositus est, minuitur plurimum necessitas in qua versatur, neque levis spes est fore ut seipsum ope contritionis perfectae cum Deo reconciliet. Quandoque etiam parochum a conatibus adhibendis excusabit timor odii quod contra religionem concitaretur si ipse contra moribundi vel consanguineorum, ad quos ex lege civili pertinet, voluntatem, aedes illius ingredi praesumpserit : in hoc enim casu bono communi cederet bonum quod uni moribundo ex iis conatibus speraretur. Quandonam haec adiuncta incidant, e moribus singularum regionum dignoscendum erit. Non excusaretur certe a conatibus illis

(1) Ita videtur sentire Berardi (de Parocho, n. 241) dum negat simpliciter in casu nostro dari obligationem parocho introducendi se in cubiculum infirmi cum vero, fundato et magno periculo ne pugnis et calcibus aut sclopeto eiciatur. Cfr. eius n. 239. Forsan tamen loquitur tantum de casu in quo ita manifeste praevalet sectariorum vis ut omnino frustra pericula illa adirentur.

parochus, si fructum sperare posset, ob exiguam multam vel molestiam quae ipsi personaliter ob legem civilem violatam ferenda esset.

CASUS IV

Nivardus, in amplissimo barbarae regionis districtu missionarius, saepe rogatur ut aegrotantes uno eoque amplius itineris die distantes invisat, seu ad infideles instruendos baptizandosque, seu ad fideles ultimis sacramentis muniendos. Hinc non levia oriebantur incommoda. Quandoque pergendum erat per ingentes pluvias vel urentem solem cum summo sanitatis periculo ; magna fiebat iactura temporis quod utilius invisendis fidelium coetibus hinc inde sparsis impendisset missionarius ; eius valetudo his assiduis itineribus plurimum afflictabatur. Quare secum quaerere coepit Nivardus num sibi liceret interdum ab iis aegrotis adeundis abstinere.

SOLUTIO. — Strictior est obligatio succurrendi infidelibus baptizandis quam fidelibus ultimo sacramentorum subsidio muniendis : hi enim in gravi tantum necessitate, illi autem in extrema vel quasi extrema versantur (Vol. I. n. 117). Igitur a fidelibus moribundis adeundis abstinere potest Nivardus quotiescumque aditus grave incommodum ipsi crearet ob molestiam itineris, morbi contrahendi periculum, latronum insidias etc. Haec tamen de stricta obligatione dicta esse patet : quam longe excedère decet zelantem missionarium, prout reapse omnes excedere solent. Praeterea cavendum est ne, denegato subsidio, a religione catholica deterreantur animi tum fidelium, tum infidelium : quod tamen malum plerumque, exposita rei molestia, satis avertetur, aut, si permanebit, quasi mere pharisaicum scandalum neglegi poterit (Vol. I. n. 233, IV). Infideles vero moribundos adire per se tenetur missionarius, modo spes conversionis aeque certa sit ac periculum mali cui se exponere debeat Nivardus (n. 120). Sufficeret tamen iis succurrere misso catechista aliove satis perito christiano a quo instruantur et baptizentur : nam, etiamsi imperfecte tantum hac ratione instruantur, hunc defectum satis excusant angustiae in quibus versatur missionarius. Quin etiam, si neque per alium mori-

bundis infidelibus succurrere posset Nivardus, ipse vero non posset ad eos pergere sine serio periculo inferendi detrimenti toti fidelium coetui, utputa dum se ipsum morti valde probabili exponit, cum nullus sacerdos ei successurus sit, vel multos fideles undique congressos sine sacramentis dimittere cogeretur, hos moribundos divinae Misericordiae committere posset : bonum enim commune tanti momenti praevalet cuilibet privatae necessitati.

CASUS V

Octavianus parochus in loco Socialistis et Massonibus referto noverat pluries tentasse aliquot nebulones ut ei noctu, occasionem nacti moribundi ultimis sacramentis muniendi, insidias struerent eiusque vitam vel famam aggrederentur. Statuit igitur iam noctu non tendere extra domum nisi ei qui moribundi necessitatem nuntiaret plene fidere posset, vel alium virum tutissimum comitem haberet. Sed cum quadam nocte a viro fere ignoto vocatus esset nullumque socium tutum habens ire recusasset, moribundus absque sacramentis obiit. Hinc plures contra parochum murmurarunt, ipsum vero parochum incessit timor ne coram Deo se reum fecisset.

SOLUTIO. — Nullam iustam causam murmurandi contra parochum habent fideles, neque ulla ratio est ob quam ipse Octavianus angatur. Ubi enim a summa hominum malitia tantum periculum imminet sacerdoti, opus summae charitatis posituro, huic imputari nequit infelix casus, qui potius in Socialistas et Massones reiciatur oportet, tamquam causas periculi quod parochum ab implendo munere suo arceat. Non enim tenetur Octavianus, ob periculum fidelium mere probabile, se ipsum exponere periculo gravium damnorum : quae quandoque etiam, puta ob calumnias impactas parocho in locum infamem ducto, in totam religionem redundarent (n. 119). Si sacerdotes strenui, spretis periculis, nihilo minus ad aegrotos iuvandos tendunt, laudandi sunt, modo ne temere se exponant ubi satis clara deceptio est : sed inde non sequitur ceteris idem necessario faciendum esse.

§ 4. DE OBLIGATIONE DENEGANDI SACRAMENTA INDIGNIS

CASUS I

Smaragdus parochus publice denegat communionem tum Titio, notorio blasphematori et concubinario, tum Sempronio, burgimagistro liberali, qui plurimum favebat scholae publicae neutrae, catholicae vero adversabatur, atque in diario liberali parochum suum tamquam turbulentum et munere sacro ad politicos fines abutentem aggressus erat. Insuper amare conquestus est de Largo, vicino parocho, desperantium refugio, apud quem uterque confessionem paschalem instituere solebat.

SOLUTIO. — 1° Iuxta praxim hodie in plerisque locis receptam, Smaragdus non potuisset repellere Titium qua publicum blasphematorem, nisi e peculiaribus adiunctis praesumendum foret eum (quod non nisi aperte impii facerent) ad S. Mensam nulla praemissa confessione accessisse. Recte eum reppulit si manifeste concubinarius est, saltem si peccatum omnium oculos ferit, dum mulier nullo alio titulo domi servatur vel extra domum alitur et frequenter aditur. Si enim suspicionibus tantum obnoxius est Titius, ex. gr. ob mulierem quam tamquam ancillam, saltem nomine tenus, secum servat, vel nimias familiaritates cum muliere in alia domo habitante fovet, non est ei deneganda communio : non est enim tanta poena imponenda nisi de delicto certo constet. Similiter dicendum de casu in quo concubina alitur quidem extra domum, sed raro aditur (Berardi, de Occas. n. 151) (1).

2° Certe non licebat Smaragdo denegare S. Communionem Sempronio ob articulos in diariis contra se scriptos : haec enim

(1) Idem A. (n. 152) censet probari posse praxim non denegandae communionis concubinario qui ad concubinam in aliis aedibus commorantem etiam frequenter accederet. Hanc sententiam aequo benigniorem putamus : non enim minus videntur scandalizari fideles, quasi sancta canibus darentur, quam si viderent communicare eum qui concubinam domi teneat. Ubi enim manifestum est mulierem extra domum ali vel adiri tamquam concubinam, res moraliter eadem est in opinione fidelium quam si domi teneretur.

non sunt, proprio sensu, peccata scandalosa ; et praeterea diligenter cavendum est parocho ne videatur proprias offensas denegatione sacramentorum vindicare. Neque generatim favor scholis neutris praestitus sufficientem rationem denegandi praebebit nisi, ob indolem prorsus impiam harum scholarum, vehementem oppugnationem catholicarum aliave adiuncta, magistratus communiter censeretur ipsam religionem aperte impugnare. Igitur generatim talibus viris concedenda erit communio, cum ratio denegandi dubia sit. Quod si quando ob specialia adiuncta deneganda videatur, decet ut episcopus consulatur : nam ob magnas turbas quas huius modi homines ciere solent, ubi offensi fuerint, talis denegatio adnumeranda est negotiis maioribus in quibus decet parochum ad episcopum recurrere, quo securius procedat. Cfr. Berardi, de Parocho, n. 192.

3° Temere obloquitur Largo Smaragdus : multae enim rationes esse possunt quibus ille iustificetur. Fieri enim potest ut Titius condicionem suam reticuerit vel non nisi imperfecte explicuerit aut praescriptam a confessario reparationem ante communionem omiserit, ut Sempronius gravem reatum non perceperit in iis quae contra scholas catholicas clerumve egerit, aestu politico (ut fit) obcaecatus, etc.

CASUS II

Nicasius parochus, acerrimus dignae potius quam frequentis communionis propugnator, dolens videbat plurimas mulieres devotas, apud vicarium suum confiteri solitas, cotidie aut fere cotidie S. Mensae assidere. Quare saepe ubi huius modi feminae communicare volebant, tantas moras nectebat ut taedio victae sine communione recederent ; immo etiam unam alteramve, quae ipsi minus ob morum levitatem probabatur, praeteribat ubi ceteris S. Communionem porrigebat.

SOLUTIO. — Cum ad confessarium, minime vero ad parochum spectet determinare fidelibus quotiens ad S. Communionem accedere possint (n. 197, III), perperam agit Nicasius dum se immiscet minuendae frequentiae communionum earum mulierum quae apud vicarium confiteri solebant. Speciatim dum longas moras nectit

ubi eaedem hora opportuna (ut supponitur) communicare cupiunt, deest officio suo sacramenta ministrandi suis rationabiliter petentibus. Maiorem quoque culpam admittit ubi ob quandam externam levitatem, fallax utique interioris conscientiae indicium, denegat S. Communionem quibusdam, quasi publicae peccatrices forent. Quod si alterutrum habitualiter faceret vel etiam semel denegaret communionem alicui mulieri coram multis, ita ut ipsa inde notabilem confusionem pateretur vel magnum dolorem conciperet, gravis peccati reus fieret. Cfr. Berardi, de Parocho, n. 193.

CASUS III

Wenceslaus parochus certior factus est mulierem quandam, quae cum massonibus relationes fovebat, ad ecclesiam suam venisse ut S. Hostiam acciperet, quam postea profanandam ad sectarios deferret. Quam cum iterum in ecclesia vidisset, monuit sacerdotem qui S. Communionem daturus erat, ut ei sacramentum denegaret, si iterum peteret.

SOLUTIO. — Laudabiliter egit Wenceslaus, modo moralem certitudinem pravae intentionis qua mulier illa duceretur habuerit : poscit enim honor sacramenti ut qui publice eum aggrediantur repellantur (n. 123, IV), etiamsi mulier illa ob nullum publicum scelus infamis sit. Caveat tamen diligenter parochus ne facile credat levioris ingenii hominibus horrendum huius modi sacrilegium alicui adscribentibus : non enim minus errat qui scelus illud crebrum esse censet quam qui illud numquam occurrere asserit.

CASUS IV

Nicostratus sacerdos paenitenti cuidam suae, quacum turpe peccatum commiserat, benedictionem loco absolutionis impertivit ; alias vero, cum infelix mulier confiteri ausa non esset et tamen aegre a S. Communione abstinere posset, cum eadem convenit se ei porrecturum esse hostiam non consecratam. Cum autem publicus quidam peccator ei

minatus esset maximam diffamationem et consanguineorum oppressionem nisi ipsi S. Communionem porrexisset, publice petenti e metu concessit.

SOLUTIO. — 1° In benedictione quae pro absolutione datur non habetur nisi simulatio improprie dicta. Praeter violatam legem ecclesiasticam de absolutione complicis (n. 354), habetur in casu deceptio mulieris, quae, cum monita non fuerit, se rite absolutam esse iudicare poterit : qui error si protrahitur, facile eam notabili gravis damni periculo exponet (n. 124, 2°).

2° Perperam et sacrilege egit Nicostratus dum hostiam non consecratam, quasi consecrata foret, porrexit. Si quaedam vero urgens ratio, puta communio ab omnibus familiae membris simul instituenda, urgeret, ita ut communio absque magno incommodo ab illa muliere omitti non posset, liceret Nicostrato cum eadem convenire ut externe ageret quasi S. Hostiam eius linguae imponeret (n. 124, 3°).

3° Non est vituperandus Nicostratus ob S. Hostiam e metu datam, modo concurrant hae duae condiciones : altera, ut publicus ille peccator id non petierit in contemptum rerum sacrarum, sed ad vitandam infamiam vel ad simile commodum proprium ; altera, ut minae illae proficiscantur ab homine qui verisimiliter eas possit et velit ad effectum perducere (n. 122).

CAPUT III

DE SUBIECTO SACRAMENTORUM

CASUS I

Zeno missionarius non raro de baptismi a neophytis collati validitate dubia concipit. Sic occurrit illi quidam indigena qui ei declaravit se non nisi metu eri sui consensum dedisse ut baptizaretur, nunc tamen libenter se in christiana religione manere. Alias vero interrogans hominem

qui nuper a catechista, gravi morbo correptus, baptizatus fuerat, repperit eum ne ea quidem scire quae de necessitate medii sunt, praesertim mysterium SS^ae^ Trinitatis. Utrumque sub condicione iterum baptizavit.

SOLUTIO. — 1° Prior indigena interrogandus erat utrum animo plane repugnante an revera consentiens ad iram eri sui vitandam consenserit. In priore casu, invalidus fuit, in altero valuit baptismus (n. 125). Practice, cum distinctio illa sat subtilis sit, vix erit possibile cum certitudine rescire ab homine rudi utro modo res acta fuerit. Quare probandus est Zeno qui indigenam sub condicione rebaptizavit.

2° Talis ignorantia fundare potest prudentem suspicionem indigenam omnino nescivisse quid in baptismo ageretur ; quo in casu, cum de eius intentione dubitare possit, esset sub condicione baptizandus. Sed si constat indigenam habuisse intentionem recipiendi baptismi, non est cur iterum sub condicione baptizetur. Etenim nulla fides ad valorem baptismi requiritur (n. 127, IV) (1). Sane quam diu non creduntur quae de necessitate medii credenda sunt, baptismus effectus suos producere nequit, cum sine tali fide numquam detur iustificatio adultis (Vol. I. n. 191). Sed quam primum illa fides adveniet, sacramentum reviviscet (n. 129).

CASUS II

Isidorus adulescens solebat confessionem instituere apud Chrysanthum sacerdotem quem noverat in statu peccati mortalis versari ob impuros nexus quibus implicitus vivebat : iuvenem delectabat brevitas et benignitas Chrysanthi. Postea cum, negotiorum causa, sedem posuisset in

(1) P. Bucceroni (Cas. Consc. I. n. 35), a quo hunc casum fere desumpsimus, docet ad validatem baptismi non esse necessariam fidem proprie dictam, necesse tamen esse ut credantur ea quae sunt de necessitate medii. Sed haec videtur confusio inter valorem baptismi et eius efficaciam actualem. Omnes AA., quatenus scio, atque ipsa S. Sedis documenta absolute docent actum fidei requiri tantum ad recipiendum fructum baptismi. Cf. ex. gr. Lehmkuhl, II. n. 73 ; Instr. S. Off. 6 iun. 1860 (Coll. P. F. n. 589). Deinde quo iure negabitur fidem earum veritatum necessariaram esse fidem proprie dictam ?

quadam Imperii Russiaci civitate, deficiente catholico sacerdote, apud schismaticum confessionem instituit et ab eodem S. Communionem accepit.

SOLUTIO. — 1° Isidorus, modo non suspicetur Chrysanthum tanta uti brevitate vel benignitate ut officio suo graviter desit, non nisi leviter peccabit si sacerdotem illum tamquam confessarium adire pergit. Quod si aliquam, etiam non gravem, causam habet pergendi in hac consuetudine, ne levem quidem culpam admittet. Talis autem causa crebro occurret, ex. gr. sat magna repugnantia ad mutandum confessarium, defectus alius idonei sacerdotis cui facile conscientia detegatur etc. (Vol. I. n. 233, V).

2° Nisi bona fide excusetur, Isidorus, dum sacramenta illa a ministro schismatico accepit, graviter laesit praeceptum non communicandi cum schismaticis (n. 130, V). Cfr. Vol. I. n. 198. Neque ullam necessitatem inducit praeceptum Paschale : siquidem Ecclesiae praeceptum nequaquam urget in iis adiunctis in quibus confessio et communio institui nequeunt nisi contra eius prohibitiones. Atque haec vera sunt, etiamsi nullum scandalum timendum sit, quia ex. gr. omnia peraguntur occulte : positiva enim prohibitio universalis est.

CASUS III

Valerianus sacerdos, cum vehementibus tentationibus contra castitatem noctu vexatus fuisset, visus est sibi, saltem probabiliter, iis consensum dedisse. Nihilo minus cum, ex altera parte, ob quosdam conatus contra tentationem adhibitos, ob semi-somnum in quo se turpiter tetigerat etc., etiam probabiliter se a gravi culpa immunem existimaret, ad celebrandum accessit, nullo vel non nisi exiguo conatu ad contritionem eliciendam praemisso.

SOLUTIO. — Liquet laudabilius acturum fuisse Valerianum si diligenter conatus esset se ad perfectam contritionem excitare, ut ita maiore cum animi puritate et securitate augustissimum Eucharistiae sacramentum reciperet, vel etiam, si copia dabatur, ad confessionem accessisset. Nihilo minus stricta obligatione non premebatur neque confitendi (n. 291), neque eliciendi actus contritionis perfectae (n. 131).

TRACTATUS XII

DE BAPTISMO

CAPUT I

DE MATERIA ET FORMA BAPTISMI

§ 1. DE MATERIA REMOTA

CASUS I

Meletius parochus, cum in Sabbato sancto nondum haberet oleum in praecedente feria V^a^ consecratum, benedictionem fontis distulit donec S. Oleum allatum fuisset. Interim, cum infans baptizandus ad ecclesiam delatus esset et parentes urgerent ne sacramentum differretur, baptismum contulit aqua vetere quam in hunc finem servaverat.

SOLUTIO. — 1° Meletius vel praevidit ex ordinarie contingentibus baptismum alicui conferendum esse antequam recentia olea sacra afferrentur, vel contrarium opinatus est. Si prius, perperam egit : debuisset enim, iuxta resp. S. C. R. 31 ian. 1896 (n. 134), in ipsa benedictione sollemni vetera olea infundere ; si posterius, non fuisset, iuxta idem responsum, differenda fontis benedictio, sed statim peragenda erat sine sacrorum oleorum infusione, quam

postea privatim opportuno tempore faceret. Prius generatim faciendum erit ubi impedimentum recipiendi sacra olea sat diu durat, ut contingit in locis missionum ; posterius plerumque conveniet locis in quibus parochiae multae sunt et non nisi ad breve tempus exspectandum erit, unde verisimiliter nullus baptismus conferendus erit antequam sacra olea advenerint.

2° Si Meletius benedictionem fontis omisit et nihilo minus occurrit baptizandi necessitas, rectius videtur uti aqua vetere, si servata fuerit, quam aqua recens benedicta cui nondum s. olea infusa fuerint : maioris enim momenti est haec s. oleorum permixtio quam determinatio temporis quo consecrata fuerit. Profecto si parentes facile obtemperaturi sunt, potius iubendi sunt exspectare donec nova olea allata et infusa fuerint. Sed quandoque, sive ob morbum vel debilitatem infantis, sive ob malam parentum voluntatem, exspectari non posse indubium est.

CASUS II

Leonardus missionarius, ubi sat longum iter conficere debet ad baptismum alicui infideli ministrandum, non solet curare de aqua baptismali secum deferenda : nimium enim hoc onus reputat, cum iam plura alia impedimenta, sive ad Sacrum celebrandum, sive ad victum comparandum, secum vehere debeat. Quondam, cum nullam aliam materiam puero baptizando repperisset quam aquam baptismalem quae pessime olebat et corrupta videbatur, atque aquam naturalem omnino faeculentam, hanc adhibuit.

SOLUTIO. — 1° Quotiescumque Leonardus in deferenda aqua baptismali speciales molestias experitur, utputa ob itineris durationem, quia eam alio in loco quaerere debeat etc., ita ut delatio sine gravi incommodo fieri non possit, minime peccat dum eam secum ferre omittit. Si vero nullas alias molestias experitur quam quae omnibus missionariis huius modi itinera aggredientibus sunt communia, transgreditur Ecclesiae legem, quae obligationem deferendi aquam baptismalem missionariis, in communibus adiunctis, imponit (n. 134). Graviter delinqueret si, nulla speciali molestia excusatus, hanc legem posthaberet : leviter, si quam pateretur molestiam, sed minime gravem.

2° Recte praetulit Leonardus aquam naturalem faeculentam aquae baptismali de qua timebat ne corrupta foret. Praeferenda enim est materia quantumvis illicita, sed certo valida, materiae probabiliter invalidae : nam, cum sacramenta sint propter homines, valor magis curandus est quam quilibet alius respectus. Attamen poscebat reverentia sacramenti ut aqua illa, quantum fieri poterat, faecibus purgaretur.

§ 2. DE MATERIA PROXIMA

CASUS I

Clodoaldus missionarius arte sua medica utitur ad animas salvandas. Saepe enim invitatur tamquam medicus, ad opem ferendam infantibus ethnicorum qui eos nullatenus baptizari vellent. Ubi cernit parvulos periculose aegrotare, neque parentum oculis se subducere potest, iis baptismum ministrat sub specie balnei vel lotionis capitis, oculorum, vulnerum etc., simul pronuntiata formula sacramentali. Apud eos vero parentes qui cautissime eius actionibus invigilant, adhibet aquam cui aliquam substantiam admiscuerit qua alium colorem odoremque nanciscatur.

SOLUTIO. — 1° Laudabiliter saluti parvulorum hac innocenti arte consulit Clodoaldus. Duo tamen, quatenus potest, caveat : unum, ut aqua vere fluat super aliquam exteriorem partem corporis ; alterum, ut illa exterior pars sit caput, vel, si id nullatenus fieri potest, aliud e membris principalibus baptizandi (n. 135).

2° Etiam in hac altera pia fraude laudandus est Clodoaldus : praestat enim, in hac extrema necessitate, baptismum conferre materia quae per se foret illicita, immo et dubia, quam omnino omittere baptismum. Attamen cavere debet ne eam substantiam aquae addat quae eam, iuxta communem aestimationem, substantialiter mutaret (n. 133). Id contingeret si, post additionem, iam haberetur verum medicamentum, quod ab aqua nomine et proprietatibus distingueretur ; aqua vero certo maneret si quasdam tantum

guttas alterius substantiae admisceret quantitati aquae relative magnae (1).

CASUS II

Marcus medicus infantem quendam in casu necessitatis baptizaverat, accurate servans quaecumque ad materiam remotam et formam spectant. Sed pro ablutione crucis signum in fronte baptizandi fecit pollice madefacto. Quod cum forte audivisset Silvanus parochus : « O miser, ait ! quid fecisti ? Baptismus ille est plane invalidus et iterandus. »

SOLUTIO. — Nimis fidenter pronuntiat Silvanus baptismum illum fuisse invalidum. Videndum enim est qua ratione hoc crucis signum in fronte infantis duxerit Marcus. Si exiguum signum fecit digito forsan vix madefacto, potius invalidus erit baptismus : haec enim potius unctio vel contactus quam vera ablutio censenda est. Si vero pollicem per notabilem frontis partem egit, praesertim si aquae guttae decurrerunt, baptisma valere opinamur (n. 135, 1°). Practice, cum vix constare possit qua praecise ratione res peracta sit, nihil restat quam ut sacramentum iterum sub condicione iteretur, sicut S. Off. faciendum edixit 14 dec. 1898 de iis quos parochus quidam baptizaverat per modum unctionis in fronte cum pollice in aqua baptismali madefacto.

CASUS III

Dionysius, sacerdos Regularis, a Melania, quam a Protestantismi erroribus ad catholicam veritatem adduxerat, rogatus est ut ipsam iterum per baptismum Christo gigneret. Facultate obtenta, sacram caerimoniam peregit bonus sacerdos, sed rei novitate perturbatus, aquam baptismalem effudit super densos puellae capillos, nec satis cavit ut ad

(1) Casum hunc fere totum cum sua solutione habes in resp. S. Off. ad Mission. Loangi et Kagongi (Africae) 8 nov. 1770. (Coll. P. F. n. 502).

ipsam cutem pertingeret. Postea vero, ab aliis admonitus, dubitare coepit num iterum sub condicione Melaniam baptizare deberet.

SOLUTIO. — Quamquam theoretice de valore baptismi a Dionysio collati dubitandum non sit, regulariter tamen, propter dubium ab aliis motum, iterandus erit sub condicione (n. 135, 2°). Haec tamen iteratio omitti posset si sat magnam aquae copiam Melaniae capillis, frontem tegentibus, infudisset : sic enim vix dubitari posset quin aqua pervenisset ad cutem puellae, ac proinde ipsa vere abluta fuisset. Liquet sacramentum nullum fuisse si crines, quibus aquam infudit Dionysius, ad puellam pertinerent solo iure proprietatis, nisi forsan nihilo minus ad cutem usque pertransisset aqua baptismalis.

§ 3. DE FORMA BAPTISMI

CASUS I

Nicomedis missionarius ad Ecclesiae sinum reduxit Flaccum qui in secta schismatica Chaldaeorum baptizatus fuerat. Iam vero in Rituali huius sectae vox *baptizo* exprimitur verbo *eemdat* quod significationem habet praesentis imperativi *(baptizare talis)* vel praeteriti *(baptizatus est talis)*. Similiter reduxit Florentinum inter schismaticos Armenos baptizatum cum hac forma : « Baptizat (vel baptizet) nunc manus mea in nomine Patris, baptizat nunc manus mea in nomine Filii, baptizat nunc manus mea in nomine Spiritus Sancti. » Hinc dubitare coepit Nicomedis num Flaccus et Florentinus sub condicione rebaptizandi essent.

SOLUTIO. — 1° Baptismus cum hac formula collatus certo valet, ideoque nihil etiam sub condicione repetendum est. Id concludere licet e responso S. C. de P. F. 27 mart. 1631 (Coll. P. F. n. 519), quae de hoc casu interrogata fuerat. Nam licet directe valorem baptismi non doceat, eas ponit regulas quae ad hanc conclusionem ducunt. Nempe (ad 3^{um}) valet baptismus " quando minister utens verbo

indifferenti, nihil cogitans de praeterito vel de praesenti, virtualem autem intentionem haberet utendi illo verbo eo meliori modo quo potest, etiamsi crederet vocem significantem vel exprimentem actum qui per ministrum exercetur esse praeteriti temporis, retenta tamen intentione faciendi quod Christus instituit vel observat Ecclesia christianusque populus, et non alligandi formae significationem suae privatae credulitati. „ Et (ad 4^{um}) : " Si baptizans uteretur verbo praeteriti temporis ad significandum actum qui per ipsum ministrum exercetur quando baptizat, ceteraque requisita adessent, esset baptismus, si apud nationem illam vel clerum esset usus accipiendi vocem illam praeteriti ad significandam actionem praesentem. „ Iam vero huius modi rectam intentionem foveri a schismaticis qui omnia sacramenta sedulo retinere solent, indubium est, Quare S. C. Chaldaeis unitis non prohibuit absolute usum talis vocis, sed commendavit ut " si velint uti verbo indifferenti ad praeteritum et praesens, accipiant illud in significatione praesentis. „

2° Baptismum ab Armenis sub hac formula administratum valere declaravit S. Off. 8 sept. 1633 (Coll. P. E. n. 520).

CASUS II

Rosa obstetrix declarat parocho se duos infantes baptizasse in casu necessitatis. Interrogata qua forma usa esset respondit : « Prima vice erravi dicens : « Ego te baptizo in nomine Dei Patris, et Dei Filii, et Dei Spiritus Sancti. » Sed altera vice rectius dixi : Si vis baptizari, ego te baptizo in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti. »

SOLUTIO. — Uterque baptismus valet, ideoque supplendae sunt tantum baptismi caerimoniae. Priorem formam dubiam esse censet Gury (Cas. I. n. 191) " quia unitas divinae essentiae non satis exprimi videtur „. Sed haec ratio inanis est, quia unitas satis indicatur singulari voce " in nomine „ (1). Neque, ut merito asserit

(1) Eandem rationem affert Gury (l. c.) ut dubiam dicat formulam : " Ego te baptizo in nomine Patris et in nomine Filii et in nomine Spiritus sancti „ quam tamen S. Off. 11 ian. 1882 implicite validam declaravit dum valere respondit : " Ego te baptizo in nomine Patris, ego te baptizo in nomine Filii, ego te baptizo in nomine Spiritus Sancti „ (Coll. P. F. n. 530).

Bucceroni (Cas. II. n. 37), quicquam de hac formula habet S. Alph. n. 108, qui a Gury citatur quasi rem ut controversam exhiberet. Quare deest quaevis vel intrinseca vel extrinseca ratio ob quam prudenter de valore illius formulae dubitaretur. Alteram formam valere diserte respondit S. Off. 12 iun. 1850 (Coll. P. F. n. 527), addens tamen hanc condicionem in posterum omnino omittendam esse. Ac revera plane otiosa est; sed cum infans saltem interpretative consentit in rem quae ipsi plane profutura sit, verificatur quatenus voluntatis usus in infante supponi potest.

CASUS III

Ad veram fidem amplectendam accessit Titius qui in secta quadam Anglicana baptizatus fuerat sub hac forma : « Te baptizo in nomine Patris nostri, et Filii et Spiritus Sancti. » Ratio autem ob quam Anglicani non simpliciter *Patris* sed *Patris nostri* expresserant, desumebatur ex idiomate barbaro in quo illa formula proferebatur ; nulla enim vox in ea lingua dabatur qua Pater in sensu generico designaretur, sed semper cum aliquo possessivo coniunctum usurpabatur, ita ut significaretur pater meus, pater tuus etc. (1)

SOLUTIO. — Opinamur baptismum sub hac forma ministratum valere, quia cum Anglicani tantum propter impossibilitatem exprimendi conceptus generici in lingua neophytarum Deum Patrem vocarent Patrem nostrum, primam personam SS. Trinitatis designabant ea qua poterant claritate. Deinde ex usu per explicationes catechisticas inducto et per appositionem vocis *Filii*, satis patebat hic non designari Deum tamquam unum Creatorem omnium, sed primam personam. Alii tamen (Bucceroni, Cas. II. n. 37) hanc formulam dubiam esse opinantur, quia additum *nostri* determinat vocem *Patris* ad significandum Deum Creatorem sine personarum distinctione. Unde practice, sic baptizati, ubi ad catholicam unitatem redeunt, rebaptizandi sunt sub condicione.

(1) Hunc casum expositum habes a Vic. Ap. Nyanzae 27 ian. 1892 in Coll. P. F. n. 2160. Nullam directam casus solutionem dedit S. Officium.

CAPUT II

DE MINISTRO BAPTISMI

CASUS I

Donatus, suscepto diaconatu, feriarum tempus inter suos agebat. Interea, cum eius soror infantem enixa esset, mater parochum rogavit ut a fratre suo sollemniter baptizaretur parvulus : quod libenter piae familiae concessit pastor. Brevi post, dum parochus tres quattuorve dies infra hebdomadam aberat, rogaverunt parentes quidam Donatum ut infantem sibi recens natum baptizaret. Restitit paululum diaconus, sed, urgentibus parentibus, mox acquievit.

SOLUTIO. — 1° Non licebat parocho vices suas committere Donato unice ut piae familiae desiderio morem gereret : haec enim ne lato quidem sensu necessitas erat, cum facultas petita, sine ullo incommodo, denegari potuisset, allegata Ecclesiae lege (n. 139, II).

2° Cum Bucceroni (Cas. II. n. 38) contra Gury (Cas. II. n. 200) opinamur recte egisse Donatum ubi, urgentibus parentibus, parvulum illum sollemniter ministravit. Probabile enim est sufficere presbyteri consensum rationabiliter praesumptum, cum vi ordinis sui, ad baptizandum destinetur diaconus. Necessitas autem quae requiritur ut iste consensus supponatur, eadem profecto est quae necessaria est ut presbyter praesens suas vices committere possit. Iam vero absentia parochi ad tres quattuorve dies, praesertim cum instantibus precibus parentum coniuncta, saltem aeque gravem necessitatem inducit quam multae occupationes quibus parochus praesens detineretur (n. 139, II).

CASUS II

Rigobertus parochus amare conquestus est de Sabino, sacerdote Regulari, quasi is iura parochialia violasset,

baptizata sub condicione muliere quadam quae ex Anglia ad duos tresve menses in hunc locum venerat. Neque minus vehementer invectus est contra Sophronium, vici pluribus leucis distantis parochum. Quare ? Audi eius scelus. Cum Martha, eius paroeciana, in paroecia Rigoberti rusticans, infantem peperisset, eam hortata erat ut parvulum quantocius referri curaret in locum domicilii ut a proprio parocho baptizari posset : cui consilio mater obtemperaverat.

SOLUTIO. — 1° Sabinus nequaquam iura Rigoberti violaverat : utpote quae nulla erant. Nam cum mulier illa tantum duos tresve menses in loco degeret, mox in patriam reversura, nullum acquirebat quasi domicilium (Vol. I. n. 100). Igitur, tamquam peregrina, poterat baptizari in ea ecclesia quam malebat. Sed, si nullam facultatem ab Ordinario petiit Sabinus, violavit praescriptum Ritualis Romani, et forsan etiam Statuta synodalia loci (n. 139, III).

2° Neque maiore iure videtur Rigobertus in Sophronium invehi ; Marthae enim integrum erat deferre infantem suum ad alterutrum parochum (n. 139, III). Verum quidem est AA. (ex. gr. La Croix, l. 6. p. 1. n. 275 ; S. Alph. l. 6. n. 115) facultatem referendi infantem ad pagum proprium restringere ad casum quo pagus iste parum distet, v. gr. duabus aut tribus horis. Huius tamen restrictionis nulla alia ratio esse videtur quam ne infans longi itineris periculis exponatur vel etiam nimis procrastinetur baptismus. Quare si hodie via ferrea duabus tribusve horis ad parochiam, etiam valde distantem, sine ullo serio periculo referri potest parvulus, non apparet quare id fieri non liceat.

CASUS III

Lucia infantem quem vix ediderat, magno in periculo mortis versari animadvertit : « Cura, ait ad maritum, cura ut quamprimum infans baptizetur ». Statim iussit Lucianus, eius maritus, ut parochus qui prope habitabat mandaretur. Martianus vero, Luciae frater, Seminarista minoribusque ordinibus initiatus : « Urget tempus, ait. Ego, tamquam clericus, infantem baptizabo. » Interim vero

Catharina obstetrix iam manum operi admoverat ; paucis autem post momentis, anima infantis baptismi candore splendida ad caelos evolabat.

SOLUTIO. — Maximam laudem meretur Catharina quae, ceteris disputantibus, tacita manum operi admovit : raro sane sexus sui exemplo. Etenim cum verum periculum immineret (prout postea morte parvuli innotuit), nullatenus erat exspectandus parochus : melius enim est ut haec positivi iuris determinatio posthabeatur quam ut animae salus periclitetur. Idem a fortiori dicendum de postposito Martiano : si enim res adeo urgebat, timendum erat ne, rei novitate perturbatus, haereret tempusque pretiosum tereret. Tandem, etiam sine speciali ratione, potest mulier se infantis patri praeferre, iuxta Rituale Rom. (n. 140, IV) Cfr. Gury, n. 199 ; Bucceroni, n. 38.

CASUS IV

Eusebia mulier catholica Callisto protestanti nupserat. Ubi primogenitum peperit, maritus spreto pacto nuptiali uxorisque fletu, infantem ad ministrum sectae suae baptizandum ferri iussit. In his angustiis, mater voluit filium suum pertinere quam primum ad Ecclesiam catholicam : quare eum clam baptizavit antequam ad ministrum deferretur.

SOLUTIO. — Praepostero zelo abrepta est Eusebia. Etenim quamvis detestandum sit mariti facinus, nihil nocere poterit parvulo baptismus a ministro haeretico collatus, siquidem per eum legitimae omnium fidelium matri, Ecclesiae catholicae, filii gignuntur. Per se igitur male egit Eusebia dum occasionem praebuit ob quam infans bis baptizaretur. Attamen cum plerumque in iis adiunctis constare nequeat num in baptismo ministri haeretici nihil ad valorem requisitum defuturum sit, debebit postea infantem sub condicione rebaptizandum clam ad parochum mittere, vel si hoc facere nequeat, per se vel per alium domi baptizare. Quod si maritus pravam intentionem suam enuntiaret, sed diu exsequi differret, neque infantem clam ad parochum mittere posset, deberet eum domi absolute, per quemvis idoneum catholicum aut etiam per se ipsam, baptizare (n. 140). Cfr. Gury, Cas. II. n. 202.

CAPUT III

DE SUBIECTO BAPTISMI

§ 1. DE BAPTIZANDIS FETIBUS IMMATURIS

CASUS I

Gudula, pia mulier, quondam apud Bernardinum confessarium conquesta est quod adeo crebro abortum pateretur. — « Curasne huius modi fetus abortivos baptizare ? » rogavit Bernardinus. — « Nequaquam, Pater. An tam exigui fetus animam continent ? » — « Omnino, respondit confessarius. Cura in posterum ut eos baptizare ne omittas. » His dictis, ad alia properavit.

SOLUTIO. — Sapienter egit Bernardinus ubi paenitentem rogavit num fetus quos abortu amittebat baptizaret : nimis enim communis est error quem in Gudula repperit (n. 141). Quin etiam amplius urgenda fuisset mulier, abortibus valde obnoxia, ut nihil quod ex utero prodiret et vel minimum indicium vitae aut humani fetus similitudinem gereret saltem sub condicione baptizaret, neque a sacramento abstineret ob foetorem aliave mortis indicia. Nulla mentio inicienda est fetus acardiaci vel molarum (n. 142). Practice enim haec rudi mulieris menti explicare impossibile est, neque ullum detrimentum in eo erit quod interdum sub condicione baptizet quod fetus non sit, dum magna immortalis animae iactura fit si vel unum fetum absque baptismo proiciat. Praeterea edocenda fuisset Gudula quomodo fetum baptizare deberet. Si enim sibi permittetur, valde timendum erit ne aquam tantum super membranam, qua involutus edatur infans, effundat, atque ita invalide baptizet (n. 141, nota).

CASUS II

Sabina infantem a septem mensibus gerebat cum in gravem morbum incidit. Nicolaus autem medicus, qui ei curam impendebat, declaravit tum de matre, tum de prole actum esse nisi infans chirurgica operatione e matris utero extraheretur. Detrectante operationem Sabina, Nicolaus adiit Eustachium, eius confessarium : quem rogavit ut in conscientia obligaret Sabinam ut operatione parum periculosa prolem suam temporali et spirituali vita donaret, se ipsam vero servaret marito pluribusque liberis in tenera aetate constitutis, quos matris obitus subsidio educationis maxime necessario privaret.

SOLUTIO. — Eustachius, si sapit, respondebit se usurum esse tota auctoritate quam in Sabinam habeat, ut eam adducat ad operationem acceptandam ; utrum vero sit strictam obligationem paenitenti denuntiaturus an nudum consilium daturus, in ambiguo relinquet. Medici enim in huius modi casibus aegerrime caperent rationes sive e rei natura, sive e conscientia aegrotantis oriundas, ob quas confessarius strictum praeceptum imponere omittat.

Quid autem aegrotanti declarabit ? Non nisi consilio eam impellet. Etenim ad subeundam operationem, qua saltem probabiliter mortis periculum inducatur, prout esse solent operatio caesarea, laporotomia etc. non tenetur Sabina neque ratione infantis (n. 144), neque ad propriam vitam servandam neque ad bonum familiae tuendum (Vol. I. n. 364, II). Ad eam subeundam teneretur tantum, potissimum ob praevalens bonum familiae cui eius obitus summum detrimentum afferret, si moraliter certus foret felix operationis successus. Id autem in his magnis operationibus, saltem hucusque, non contingit, quamquam iam plurimum earum periculum minutum est. Si enim 20 % vel 30 % ex operatione moriuntur, manet prudens dubium infelicis exitus. A fortiori a praecepto imponendo abstinere deberet confessarius si operatio peragenda esset a medico qui non esset simul chirurgiae valde peritus iisque instrumentis rite instructus quae ad magnas operationes necessaria sunt. Sed, etiamsi quis opinaretur in casu dari strictam obligationem talis operationis subeundae, generatim non

expediret Sabinam urgere sub gravi ad hoc officium implendum : nisi enim cognosceretur tamquam obsequentissima confessario eiusque mandatis certo paritura, periculosum foret eam sub gravi obligare ad rem quam summopere horreret et nullis forsan fidei rationisve momentis exsequi auderet (n. 144).

CASUS III

Pantaleon medicus Ambrosio confessario suo narrat se nuper vocatum fuisse ad mulierem sexto mense praegnantem, quae in subitum morbum incidisset ; quam cum repperisset paucis momentis antequam adveniret mortuam, omnia parasse ad infantem extrahendum et baptizandum ; a consilio vero suo prohibitum esse a marito in rebus religiosis omnino indifferenti. « At, inquit Ambrosius, ubi proximus in extrema necessitate versatur, sicut infans ille, omnia sunt tentanda : si qua similis occasio iterum occurrit, nihili facere debes mariti aliorumve propinquorum contradictionem. »

SOLUTIO. — Recte respondit Ambrosius. Etenim cum in casu ageretur de matre quae fetum iam sexto mense gereret et subita vel fere subita morte correpta esset, probabile erat infantem adhuc in utero materno superstitem mansisse atque inde vivum extrahi posse. Tenebatur ergo medicus ad eum extrahendum, ut vitae eius tum spirituali, tum temporali consuleret : quippe qui solus utramque servare posset (n. 145). Neque dissensu mariti ab hoc caritatis officio implendo excusabitur Pantaleon : nullum enim vel exiguum incommodum ex illius contradictionis contemptu medicus patietur, siquidem nemo improbabit eum quod tentaverit contra irrationabilem parentis dissensum tueri eius infantis vitam. Excipe casum in quo forsan, ob speciales rationes e matris morbo vel aliis condicionibus desumptas, plane absimile duceret medicus infantem adhuc vivum reperiri posse : quo in casu saltem consulendum esset ut vel extraheretur vel in sinu matris, ope siphunculi, condicionate baptizaretur (n. 143).

CASUS IV

Mathildis, quinto iam mense gravida, morte fere subita correpta fuerat. Enixe rogavit Bonifatius parochus, qui ad lectum morientis advolaverat, ut, aperto defunctae utero, infans baptizandus extraheretur. Sed neque maritus defunctae consensum dare, neque medicus qui aderat operationem exsequi voluit. Indignabundus Bonifatius novaculam sumpsit infantemque euh ! iam mortuum e matris sinu extraxit.

SOLUTIO. — Quibusdam in adiunctis probandum, in plerisque vero vituperandum videtur Bonifatii audax facinus. Probari posset si parochus saltem aliquas notiones anatomiae et chirurgiae haberet quibus in salebrosa illa operatione duceretur. Neque obstaret lex civilis quae forsan poena plecteret eos qui, cum nec medici sint, nec medici assistentia dirigantur, cadavera aperiant. Nihil enim impedit quominus Bonifatius sequatur illorum sententiam qui operationem caesaream in iis adiunctis caritate praecipi autumant, etiam clericis, ac proinde legem civilem, tamquam legi divinae oppositam, nihili faciat (Marrès, de Iust. l. 2. n. 285). Attamen etiam in iis adiunctis nulla alia obligatione premi Bonifatium putamus quam ut defunctae marito assistentique medico obligatio sua declaretur, si qua spes datur fore ut eandem impleant (n. 145). Sed plerumque imprudenter operationem huius modi parochus ipse exsequetur. Rarissimi enim sunt sacerdotes qui eam cognitionem eamque dexteritatem habeant quae ad sectionem cadaveris cum spe successus peragendam requirantur. Iam vero, si moraliter certum est fetum non nisi mortuum extrahi posse, imprudenter sacerdos se ipsum exponet irae quam defunctae maritus concipiet ob actionem quam velut iuris sui violationem habiturus est, malevolorum dicteriis quibus ipse et totus ordo clericalis impetentur quasi civium iura invadant vel etiam sub praetextu religionis turpibus passionibus indulgeant, et forsan poenae a tribunali civili imponendae.

§ 2. DE BAPTIZANDIS INFANTIBUS

CASUS I

Sixtus dolens advertit in paroecia, cuius curam nuper assumpserat, invaluisse morem ut infantium baptismus pluribus hebdomadis differretur : nimirum multi e civibus honestioris condicionis exspectabant donec mater plene restituta convivio baptismali praeesse vel patrinus civitati extraneus commode advenire posset. Abusum illum eradicaturus, Sixtus in contione declaravit graviter peccare parentes qui infantium suorum baptisma differrent ultra octo dies : quem terminum apponebant Statuta synodalia loci.

SOLUTIO. — Laudandus neo-parochi zelus, sed minus laudanda eius contio : Etenim etiamsi Statuta synodalia terminum octo dierum praefigunt, non sequitur hanc localem praescriptionem urgere sub gravi. Videndum ergo erit num in ipso huius statuti tenore Ordinarius clare suam voluntatem exprimat imponendae gravis obligationis (Vol. I. n. 107). Per se enim talis neglegentia non est certo gravis (n. 146, I). Deinde, etiamsi gravis culpa e verbis statutorum : *Graviter mandamus, graviter conscientiam parentum oneramus,* vel similibus constaret, raro prodesset eam in publica contione proclamare. Nam cum talis neglegentia admitti non soleat nisi a parentibus valde tepidis in praxi religiosa, timendum est ne publica denuntiatio peccata eorum augeat, non corrigat, dum peccata materialia in formalia mutabuntur acresque murmurationes contra clerum insurgent. Praestaret igitur gravibus verbis commendare pro contione statutum dioecesanum eiusque rationes explicare, gravis autem reatus timore in privatis colloquiis eos tantum parentes agitare qui monitis obtemperaturi sperentur.

CASUS II

Saturninus missionarius comperit infantes regionis in qua Evangelium praedicabat summis periculis, tum ob

aeris intemperiem, tum ob parentum infidelium socordiam et inopiam, obnoxios esse, ita ut fere duae tertiae eorum partes ante rationis aetatem moriantur. Quare iudicavit moraliter in periculo mortis versari quotquot aegrotare inciperent, atque omnes aliquo morbo etiam non periculoso infectos per se vel per catechistas, quotiens poterat, baptizabat, etiamsi sub genitorum potestate mansuri erant.

SOLUTIO. — Erravit Saturninus, falsa pietate delusus. Quotiescumque enim sub parentum infidelium potestate relinquendi sunt parvuli, baptizandi non sunt nisi in proprio certoque mortis periculo versentur (n. 146, II). Ita quoque hunc casum sibi a Vic. Ap. Sutchuen. propositum solvit S. Off. 4 maii 1853 (Coll. P. F. n. 586).

CASUS III

Tiburtius missionarius baptismum contulit quibusdam pueris parentum infidelium vel haereticorum, qui eos in infidelitate vel haeresi educaturi praevidebantur, sed simul quoque sperabantur postea eos traditurі missionario ut in eius scholis ea qua volebat ratione instituerentur, prout a multis aliis huius regionis incolis factum erat. Quae cum audisset, Vicarius Apostolicus rem tamquam S. Sedis decretis contrariam vetuit.

SOLUTIO. — Ut Tiburtii agendi ratio probetur, necesse est ut crebro parentes infideles vel haeretici in ea regione liberos suos catholice educari siverint, neque specialis ratio, puta zeli ad errores suos profitendos, appareat ob quam idem denegaturi putentur parentes quorum liberi baptizentur: ita enim vere fundata spes catholicae educationis affulget. Si vero pauci tantum parentes ita egerint, non est haec sufficiens ratio ob quam idem de quibuslibet speretur (n. 147). Ceterum si Vicarius Apostolicus aliter quam Tiburtius iudicaret de hac spe probabili (res enim est delicata valde), missionarius ab huius modi infantibus baptizandis abstinere deberet. Est enim certe penes Ordinarium huius modi quaestiones facti pro sua regione dirimere iudicio cui omnes eius subditi conformentur necesse est. Ita etiam S. Off. in responso

anni 1867 (Coll. P. F. n. 592) de casu huius modi commendat ut missionarii audiant, si fieri possit, Vicarium Apostolicum. Insuper ad baptizandos infidelium infantes consensus patris vel matris vel alius auctoritatem paternam in eos participantis necessarius est (n. 146, II).

CASUS IV

Iulius et Macrina matrimonio mere civili iuncti, quamquam ambo in catholica religione nati et educati fuissent, adeo ab ea alienati erant ut prolem a se susceptam baptismo non obtulissent. Rosa vero, bona puella quae iis famulabatur, Theophilum parochum adiit petiitque ut infantem, a se in domum ferventis cuiusdam catholici deferendum, clam baptizaret ; se invigilaturam esse ut, rationem adeptus, in catholica religione educaretur. Libenter assensit Theophilus.

SOLUTIO. — Baptismum merito a Theophilo collatum censemus si parentes eum pro infante petere omiserunt tantum ob neglegentiam et levitatem, spes vero affulget fore ut postea, instantibus forsan consanguineis religioni addictis vel ipso parocho, sinant eum doctrina christiana imbui. Sed si aperte et pertinaciter impii sunt Iulius et Macrina veroque odio (ut non pauci infeliciter hodie occurrunt) religionem prosequuntur, erravit Theophilus ubi eorum proli baptismum contulit. Non sufficit enim Ecclesiam habere plenum ius in eorum prolem : nam idem habet in haereticorum filios, quos tamen baptizari a catholico ministro prohibet, etiam ubi a parentibus offeruntur, quotiescumque deest spes probabilis catholicae educationis. Hanc autem spem, in casu parentum aperte religionem aversantium, ubi reperiet parochus ? Profecto non in propria vigilantia : nam, etiamsi urbane cum eo agunt huius modi homines, nullatenus eum sinent liberis suis inculcare principia religiosa quae ipsi, tamquam deliramenta, derident. Frustra quoque innitetur Rosae promissis. Nam etiamsi in ea familia permaneat ancilla donec infans rationis aetatem attigerit (quod plane incertum, immo plerumque absimile est), non poterit efficaciter huic educationi incumbere : quam primum enim res patri matrique innotescet (et quomodo latebit ?), ancillam dimittent.

Neque maiorem spem facit catholica facies loci in quo omnes, saltem nomine tenus, ad veram religionem pertineant. Lugenda enim experientia in hoc catholico Belgio nostro novimus externum illum apparatum verae religionis oculos quidem ferire, sed animum nequaquam penetrare puerorum qui in familia impia et scholis religioni infensis educantur. Hanc conclusionem confirmari putamus ea regula quam Ecclesia cum filiis haereticorum servari iubet, etiam in regionibus catholicis (n.148) : horum enim educatio minus animum a catholica veritate alienare solet quam quae hodie inter catholicos dari solet a parentibus et magistris, putido materialismo vel scepticismo infectis. Tandem, cum hodie in magnis praesertim civitatibus infeliciter multiplicentur parentes qui, prae aperta impietate, infantes baptismo privant, si passim parochi eos clam baptizarent, impossibile foret ut ipsi eorumve successores iis catholica educatione donandis curam sufficientem impenderent, et quandoque etiam, propalata hac apparente violatione iuris parentum, odia in religionem increscerent (1).

CASUS V

Adeodatus missionarius infantem sibi a parentibus haereticis oblatum, primum baptizare renuit, quia nolebant se obligare ad eum catholice educandum ; postea vero baptizavit, consentientibus parentibus ut catholicus patrinus adhiberetur.

SOLUTIO. — Per se illicite egit Adeodatus, siquidem regulariter in iis adiunctis deficit fundata spes educationis catholicae, quae omnino requiritur. Neque solutionem mutat consensus parentum in patrinum catholicum : haec enim circumstantia ex natura rei semper adesse debet, cum haereticus in patrinum adhiberi nequeat, et nihilo minus S. Off. 26 aug. 1885 prohibuit ne filii haereticorum, extra casum necessitatis, baptizentur si parentes declarant nolle se obligare ad eos catholice educandos. Quare omnino deserendam putamus contrariam solutionem quam dat Gury (Cas. II. n. 215), quem hoc et alia responsa similia S. Sedis (n. 148)

(1) Cfr. eundem casum propositum a Bucceroni (Cas. II. n. 43), cuius tamen solutionem plane probare non possumus.

latebant. Per accidens quandoque probari posset Adeodati benignitas, nempe si parentes consentirent in patrinum catholicum qui tanta apud eos valeret auctoritate ut sperari posset eum efficaciter munus suum procurandae catholicae educationis exsequi posse : sic enim parentes implicite revocarent suam denegationem educandi catholice infantem suum. Sed raro talem fore patrinum satis liquet.

§ 3. DE BAPTIZANDIS ADULTIS

CASUS I

Florianus parochus vocatur ad sacramenta ultima ministranda homini qui, dum per paroeciam transibat, subito morbo correptus est. Invenit hunc alienigenam sensibus destitutum. Unus autem ex assistentibus parochum monuit moribundum, quatenus eum norat, esse Iudaeum, bonum tamen virum et qui numquam catholicae religioni detraheret. His auditis, Florianus moribundum sub condicione baptizavit et (cum de eius religione dubium maneret) etiam sub condicione absolvit. Sensibus restitutus viator se reapse Iudaeum esse fassus est, baptismum tamen sibi datum esse libenter audivit.

SOLUTIO. — Prudenter egisse opinamur Florianum : quippe qui, inter varia dubia, ea qua potuit meliore ratione moribundi saluti consuluerit (n. 150) Neque deerat in casu aliqua tenuis spes intentionis sufficientis ad baptismum suscipiendum : cum Iudaeus ille (si tamen Iudaeus erat) a religione catholica minime alienus videretur. Vix autem resciri poterit num valuerit baptismus moribundo collatus, nisi hic (quod raro continget) postea testetur sibi fuisse absolutam firmamque voluntatem baptismi ante mortem recipiendi (n. 126). Practice igitur fere semper erit iterum sub condicione baptizandus, si, sensibus restitutus, volet omnia catholici hominis officia suscipere et sufficientem institutionem in doctrina christiana assequetur.

tem dederit, vel si ibi servari solet praescriptio Ritualis ut ad illorum baptismus, ubi commode fieri potest, ad episcopum deferatur (n. 139, III). Januarius debebat casum deferre ad Ordinarium eiusque sententiae morem gerere. Etenim, etiamsi forte iudicaret episcopum immerito facultatem denegare utriumque externis difficultatibus teneri, non licet inferiori iudicium Superioris posthabere ubi non est plane manifestum hunc errare : quae certitudo non habebitur in casu difficili, in quo multae rationes, praesertim e bono communi desumptae, impedire possunt ne fiat quod singulis magis prodesset (n. 102, III). Si vero nulla lex in loco vigens urget ut ad Ordinarium recurratur vel si hic rem definiendam Ianuario reliquit, ipse sedule despiciat quid magis prosit ad bonum tum privatum baptizandae puellae, tum commune. Etenim iuvabit differre baptismum si experientia constat puellas illas ubi in familiam suam redeunt facillime relabi in haeresim, cum catholicae religionis dedecore. Cavendum tamen ne plus exigatur quam necesse sit : absonum enim esset baptismum differre quia quaedam puellae misere a fide susceptа defecerunt dum aliae plures perseverant, cum nullatenus requirenda sit certitudo, sed tantum probabilitas perseverantiae. Similiter differendus esset baptismus si ex eo suscepto timeretur magna parentum ira et vindicta. Nam, etiamsi solam puellam spectes quae baptismum petat, ei saepe magis proderit cum sola probabilitate baptismi olim suscepti manere in educatione catholica, ob quam cotidie altiores radices in eius animo agat fides vera, quam receptam in Ecclesiae sinum revocari in sinum familiae heterodoxae, cuius influxus forsan brevi eam ad apostasiam duxat. Neque multum iuvabit Ianuarium secretum quo involvit administrationem : id enim facile propalabitur, saltem si puella tot fere contingit feriarum tempore ad familiam redit. Multo magis differendus erit baptismus si eius collatio communibus detrimentis ortum daret, ex. gr. si propterea Protestantes passim contra catholicos, tamquam iura parentum invadentes, exardescerent vel si multi parentes puellas suas quas sub sedula monialium cura paulatim ad Ecclesiae lumen procedunt, e conservatoriis revocarent (n. 151).

CASUS IV

Palemonem missionarium adibat quandoque adulescens, Xantippus nomine, e patre gentili natus, qui tenta studii-

tate erat ut dubitaret missionarius num amentibus accensendus esset. Frustra eum praecipua mysteria fidei nostrae docere conatus erat : nihil intellegere videbatur. Neque ulla spes dabatur obtinendi consensum parentum, utpote idolis addictissimorum, in filii sui baptismum. Quare quondam Palemon adulescentem secreto baptizavit, medicinalis lotionis praetextu.

SOLUTIO. — Cum dubia esset amentia, neque ulla necessitas urgeret, Palemon baptismum differre debuisset donec plene ei constaret de perpetua Xantippi amentia, vel, si iuvenis sui compos erat, parentum consensum obtinuisset. Postquam vero satis certum erit Xantippum numquam rationis usu sufficienti praeditum fore ut gravis peccati reatum incurrere possit, licebit eum baptizare : nullum enim est perversionis periculum, neque laeditur ius parentum qui perpetuo amentem nullatenus dirigere valebunt (S. C. P. F. 17 Aug. 1777 ; Coll. P. F. n. 571). Videndum utrum aliqua necessitas urgeat ad baptizandum Xantippum an commode exspectari queat donec ampliorem eius cognitionem obtinuerit missionarius. Si prius, utputa quia in locum dissitum perrecturus sit Palemon vel adulescentis pater, statim baptizare licet ; in dubio enim inclinandum est in favorem fidei christianae et spiritualis salutis baptizandi. Si posterius, exspectandum est donec amplior experientia docuerit utrum Xantippus sit vere et perpetuo amens an rationem adeptus vel adepturus sit. Postquam constiterit eum numquam sufficienti rationis usu praeditum fore ut gravis peccati reatum incurrere queat, licebit eum baptizare : nullum enim est periculum perversionis, neque laeditur ius parentum, quippe qui nihil de perpetuo amente quoad vitam moralem et intellectualem disponere valeant. Si rationem iam adeptus est, non erit baptizandus nisi satis instructus et consentiens. Tandem si eam adepturus speratur, exspectandum erit donec more adultorum ratione praeditorum baptizari queat, nisi urgeat mortis periculum. Haec solutio, quae satis e principiis theologicis constat, traditur quoque in prolixo responso S. C. de P. F. 17 aug. 1777 (Coll. P. F. n. 571).

CASUS V

Daria, viri cuiusdam praepotentis uxor, clam Eusebium missionarium adiit ut baptismum ab eo peteret. Haesit ali-

quandiu Eusebius : siquidem praevidebat magna detrimenta passuram esse in iis locis Ecclesiam catholicam, si eius desiderio acquiesceret. Maritus enim Dariae, erroribus suis simul atque uxori suae addictissimus, nihil non moliretur ut vindictam de hac conversione sumeret. Nihilo minus, ratus se non posse baptismum enixe petenti et optime dispositae mulieri denegare, sacramentum ministravit.

SOLUTIO. — Cum magna damna communia rei christianae e baptismo Dariae timenda essent, potuisset Eusebius tuta conscientia eum differre donec iam timor ille evanuisset. Etenim utrimque agitur de bono spirituali maximo : ac proinde cedere debet privatum publico. Consonat Instructio S. C. de P. F. 17 aug. 1771 (Coll. P. F. n. 571) iuxta quam baptismus infantium omitti potest, etiam ubi in mortis articulo versantur, si absque scandalo conferri nequit : ergo, a fortiori, licebit omittere baptismum adultorum qui postea baptizari poterunt, interim vero sibi iam consulere possunt, elicito actu perfectae contritionis. Quod si ita baptismum distulisset Eusebius, curare tamen debuisset ut quam primum induceretur Dariae maritus ad tolerandum uxoris baptismum, vel ipsa, ab eo separata, religionis exercendae libertatem assequeretur et iam statim in doctrina christiana instrueretur.

§ 4. DE BAPTIZANDIS SUB CONDICIONE

CASUS I

Hieronymus, seminarii cuiusdam praeses, enixe rogatus est a duobus candidatis SS. Ordinum ut eos sub condicione rebaptizaret. Prior, Hermannus nomine, dubitabat quia, cum quaesitum fuisset testimonium de baptismo suscepto, nomen eius in paroeciae registris repertum non fuerat, neque parentes aliive testes collati sacramenti supererant ; posterior, cui nomen Iudocus, quia baptizatus fuerat ab obstetrice valde rudi, cuius testimonio fiderat parochus qui socordia sua famosus in paroecia sua fuerat. Utriusque

postulationibus diu obstitit Hieronymus, sed tandem, scrupulosam eorum anxietatem miseratus, acquievit.

SOLUTIO. — Quod ad priorem adulescentem attinet, in denegatione sua perstare debuisset Hieronymus ; nihil enim ab illo ad iterandum baptismum allegabatur nisi levis suspicio inanisque scrupulus (n. 152, III). Etenim si quis natus est e parentibus non tantum nomine, sed vitae ratione catholicis, etiamsi parum ferventes erant, moraliter certum est non fuisse ab iis omissum quod nemo e catholicis, nisi plane impius, omittit, nempe infantes ad baptismum deferre ; omissio autem collati baptismi in parochiali registro facile per aliquam oblivionem parochi explicatur. Ut scribebat S. C. de P. F. 30 sept. 1848 ad Vic. Ap. Cocinc. Occid. (n. 652), inhaerens iugi doctrinae SS. Congregationum : " Eos qui a parentibus christianis nati et ab iis christiano more educati sint, baptizatos omnino fuisse praesumendum. „ Validiorem rationem Iudocus afferre videtur. Optime quidem fieri potest ut mulier valde rudis formam baptizandi, utpote simplicissimam, calleat. Ac propterea S. C. de P. F. litteris mox citatis prohibuit ne sub condicione iterum baptizaretur ordinandus qui de valore baptismi sui dubitabat ob notam inscitiam et neglegentiam catechistae aliusve christiani a quo baptismum acceperat. Sed ubi simul fit ut baptizans sit valde rudis et parochus socordia famosus, iam ratio quaedam adest positive dubitandi utrum baptismus sit rite collatus an secus. Proinde non dicendus est scrupulis Iudoci indulsisse Hieronymus dum eius annuit petitioni.

CASUS II

Silvanus, in magna quadam civitate parochus, licet noverit crebro baptizari infantes ab obstetricibus, nihil de hac re interrogat parentes qui eos ad ecclesiam baptizandos deferunt ; vicarios quoque suos idem facere iubet. Rationem affert : numquam deveniri posse ad moralem certitudinem baptismi valide collati, cum plures fideles moleste interrogationes ferant quae in hunc finem faciendae sunt, medici vero et obstetrices, utpote numero multi et magnam partem in praxi religiosa tepidi, examinari nequeant vel maxime neglegentes sint in ritu baptismali complendo.

SOLUTIO. — Graviter peccat Silvanus dum omnes infantes, nulla facta quaestione vel indagatione, indiscriminatim absolute baptizat. Ipsum enim Rituale (t. II. c. 1. n. 53) monet : " Interroget... an sit domi baptizatus, et a quo, et quam rite. „ Neque sufficeret de his tribus rebus interrogare, eos vero omnes qui domi baptizati fuerint, indiscriminatim baptizare sub condicione. Id enim manifeste pluribus S. Sedis effatis repugnat (n. 152, III). Gravem autem esse hunc reatum omissi diligentis examinis de singulis casibus vel etiam quibuslibet interrogationibus, patet e natura rei, cum gravem iniuriam inferat sacramento non iterabili qui illud temere confert, nihil investigans num effectum producere queat. Idem patet e gravibus monitis quibus S. Sedes urget sacerdotes ne baptismum sub condicione iterent nisi diligenti examine de singulis casibus praemisso. Ita legimus in epist. encycl. S. C. de P. F. ad Vic. Apost. Indiarum 8 sept. 1869 (Coll. P. F. n. 658) : " Quamvis haec A. T. haud latere probe noverit S. C., nihilo minus haud supervacuum duxit iterum iterumque in Domino hortari, ut pastoralem omnem vigilantiam adhibere pergas, ne temere ab huius modi definitionibus evangelici operarii umquam recedere audeant, ac meminerint illis tantum permitti baptismum condicionate administrari, de quibus, diligenti praemissa perquisitione, grave ac rationabile iuris factive dubium relinquatur, an sacramentum alias rite susceperint. „ Ex his sponte fluit non posse vicarios in hac re morem gerere Silvano : iniquum enim esset oboedire parocho magis quam Romano Pontifici vel potius ipsi Deo, cum decreta S. Sedis in hac re tantum declarent ius naturale divinum. Quod si parochus forte urgeat, existimans hunc esse inanem neo-sacerdotum scrupulum, recurrant ad Ordinarium.

At quid proderit interrogare vel examinare, si certitudo de baptismo valide collato numquam obtineri potest? Rarius eam obtineri posse in magna civitate quam ruri, ubi late serpit incredulitatis labes quam ubi pacifice regnat fides, libenter assentimur ; eam tamen numquam vel fere numquam obtineri posse, prorsus inficiamur, modo parochus rationabilem laborem, quem ipsi procul dubio imponunt S. Sedis praescriptiones, non refugerit. Ad hoc enim sufficeret instruere de ritu baptizandi medicos atque obstetrices religioni addictas simulque admonere ne baptismum (ut contingit) conferant ubi nullum urget mortis periculum. Praeterea, si qua persona parocho nota tamquam pia et religionis amans testatur se cuidam parvulo baptismum ministrasse, interroganda erit qua ratione sacramentum confecerit. Tandem si in loco viget abusus

haud infrequens assecurandi infantes sine vera necessitate, parochus contionibus monitisque suis paroecianos suos ad saniorem praxim reducere conetur. Haec si praestiterit Silvanus, iam rarius occurrent infantes domi baptizati, iis vero qui a catholicis illis beneque instructis medicis, obstetricibus aliisque piis fidelibus baptizati fuerint, tantum caerimonias supplebit ; reliquos fere omnes domi baptizatos sub condicione rebaptizare licebit, quia reapse, ob malam voluntatem eorum qui interrogandi essent, examen illud fieret moraliter impossibile, vel certo pateret, ante omne examen, ad plenam securitatem de valida collatione deveniri non posse.

CASUS III

Honorina obstetrix, cum mulieri cuidam in partu difficillimo periclitanti assisteret, infantem in sinu matris, siphunculi ope, baptizavit, deinde iterum super brachium quod infans extra uterum protenderat aquam baptismalem effudit. Tandem totus infans emissus est, sed vix spiritum ducebat. Quare, ne ullum dubium maneret, tertio eundem aqua baptismali lustravit. Sed quartus baptismus prolem hanc portentosam manebat. Parochus enim, parum confisus Honorinae, iterum sub condicione baptismum contulit.

SOLUTIO. — 1° Laudanda est Honorina quod infantem cum matre periclitantem baptizaverit, saltem sub condicione : *Si capax es* (n. 143).

2° Pariter laudanda Honorina quod infantem in brachio baptizaverit : ita enim certius attactus est aqua baptismatis quam ubi adhuc totus in utero materno latebat. Iam vero, quamquam neque hac ratione ad plenam certitudinem devenitur, eo quod in membrum tantum secundarium aqua funditur, maior securitas inde oritura sufficit ut sacramentum tam necessarium iteretur.

3° Probandus quoque est tertius baptismus ab Honorina collatus : nam e duobus primis certitudo nondum habebatur et urgebat necessitas. Consonat Rit. Rom. (t. II. c. 1. n. 16) : " Si aliud membrum (quam caput) emiserit, quod vitalem indicet motum, in illo, si periculum impendeat, baptizetur ; et tunc si natus vixerit, erit sub condicione baptizandus eo modo, quo supra dictum est : *Si non es baptizatus, ego te baptizo in nomine Patris*, etc.

4° Generatim etiam laudandus esset parochus qui infantem quarta vice baptismo ablueret. Plerumque enim mentis trepidatio, qua huius modi mulieres inter pericula matris infantisque corripiuntur, adeo eas perturbat ut de ritu sacramentali plene observato aliquis fundatus timor maneat. Excipiendus tamen foret casus in quo parochus sciret mulierem illam esse extraordinarie peritam suique compotem. Cfr. Gury, Cas. II. n. 211.

CASUS IV

Eustachius missionarius lugenda experientia didicerat indigenas, quibus ministerium suum impendebat, atque ipsos catechistas suos, facillime et quasi ob solam mentiendi libidinem falsa proferre. Statuit igitur iam sub condicione rebaptizare eos omnes qui a catechistis suis baptizati essent, quantumvis isti nihil essentiale omissum fuisse testarentur.

SOLUTIO. — Eustachii consilium non est per se vituperandum : maxima enim quarundam gentium levitas in rebus etiam gravissimis rationabili dubio obnoxia facit testimonia, praesertim singularia. Attamen vix fieri potest ut nullae occurrant exceptiones in quibus, vel ob extraordinariam ipsius catechistae probitatem vel ob plurium testium integritatem, nullus rationabili dubio locus supersit. Quae circumstantiae si inciderint, Eustachius certe a baptismo condicionate iterando abstinere debebit. Proderit quoque securitati baptismorum consulere tum subiecta crebro examini peritia catechistarum, tum commendata baptizaturis praesentia duorum testium qui de ritu baptizandi probe docti fuerint, quemadmodum S. C. de P. F. commendavit Litt. encycl. 8 sept. 1869 (Coll. P. F. n. 658).

CASUS V

Decius in Indiis missionarius ad catholicam unitatem reduxerat Pompeium in secta Anglicana natum. Quem cum interrogasset de baptismo in infantia suscepto, nihil aliud extundere potuit quam parentes fuisse satis religioni suae addictos, nec dubitare se quominus infantem ad ministellum

detulissent. His auditis, Decius dubitare coepit num sub condicione rebaptizandus esset Pompeius, utpote baptizatus in secta cuius Rituale hoc praescribit.

SOLUTIO. — Si nihil amplius de baptismo quem Pompeius infans receperit constare poterit, censemus eum esse iterum baptizandum. Etenim licet in ordine ad matrimonium in tali casu praesumendus sit baptismus (S. Inqu. 1 aug. 1883 ; Coll. P. F. n. 662), manet tamen rationabile dubium tum de facto collati baptismi, tum praesertim de diligentia quam ministellus fecerit ad implendas sui Ritualis praescriptiones. Certe S. Off., 21 febr. 1883 interrogatum num solum factum quod ministellus baptizans pertinuerit ad sectam Anglicanam sufficiat ad praesumendam baptismi validitatem et excludendum baptismum condicionatum, directe noluit respondere, sed remisit ad normam generalem quam dederat 20 nov. 1878 (Coll. P. F. n. 661). Cfr. nostrum n. 153, IV.

CASUS VI

Margarita, in America a parentibus protestantibus nata, in Europam venerat et, nescio quo bono fato, per aliquod tempus in conventu quodam monialium substiterat. Ibi mox ad veritatem catholicam redire cupiit. Maximinus vero, monialium director, plurimum dubitavit utrum eam statim sub condicione baptizare posset an litteris parentes aliosve de baptismo olim collato consulere teneretur. Margarita vero instabat ut statim, in Ecclesiae sinum recepta, iter in Americam inchoare posset ; varia incommoda sibi e protracta mora inter Europaeos oritura esse.

SOLUTIO. — Non tenetur Maximinus baptismum Margaritae differre donec litterae ab America petitae et remissae fuerint. Etenim investigatio de baptismo suscepto facienda est quatenus moraliter seu absque nimia difficultate fieri potest (Lehmkuhl, II. n. 19, nota) : hic autem adiuncta difficillimam reddunt aliam investigationem quam diligentem ipsius neophytae interrogationem. Adde exiguam spem affulgere ut litteris missis receptisque obtineatur illa moralis certitudo de baptismo valide collato. Si enim (ut ple-

rumque in tali casu contingit) tota Margaritae familia in secta Protestantium vivit, vix sperari potest unus testis omni fide dignus, qui de baptismo rite peracto testari possit. Nam e protestantibus illis alii respondere detrectabunt, alii, ne sectae suae ministris detrahant, omnia rite peracta esse temere respondebunt, vix ullus umquam sincere et accurate testimonium dabit. Iam vero minores conatus profecto adhibendi sunt ad quaestionem propositam dirimendam ubi tam parum veri simile est posse acquiri illam moralem certitudinem sine qua semper sub condicione rebaptizandum est.

CASUS VII

Victorinum missionarium iam dudum enixe rogabat quidam vir ethnicus ut se baptismo ablueret : qui tamen, ob varia indicia, videbatur unice spe obtinendi novam vestem aliave munuscula baptizatis dari solita impelli. Tandem in morbum satis gravem incidit neophyta : tunc Victorinus semper dubius de hominis dispositione eum baptizavit, sed sub condicione : *si tu es dispositus*.

SOLUTIO. — Misere erravit Victorinus dum condicionem apposuit rei quae tantum requiritur ad fructum baptismi recipiendum, atque ita infirmum exponit periculo ut nunc invalide baptizetur, postea vero numquam ad baptismum admittatur (n. 153, V). Atque ita casum solvit S. Off. 6 iunii 1860 (Coll. P. F. n. 589). Post factum, nisi e neophytae testimonio manifeste constet affuisse non tantum intentionem suscipiendi baptismi, sed dispositiones quae ad eum fructuose suscipiendum requirantur, baptismus, utpote plane dubius, iterandus foret sub condicione.

CAPUT IV

DE CAERIMONIIS BAPTISMI

CASUS I

Matthaeus, missionarius, cum multis laboribus detineatur, ubi adultus baptizandus est, brevioribus caerimoniis baptismi infantium uti solet ; quandoque insuper exorcismos aliasque nonnullas preces vel interrogationes omittit. Quondam cum ad distantiam unius leucae se contulisset ut infantem baptizaret in sacello in quo aqua baptismalis servabatur, advertit se sacrum chrisma oleumque catechumenorum domi reliquisse. Nihilo minus baptismum contulit omissis unctionibus, nec quicquam postea supplevit.

SOLUTIO. — 1° Letaliter peccat Matthaeus ubi, nullo privilegio donatus vel privilegii limites excedens (1), talem mutationem facit. Haec enim valde notabilis est : siquidem ritus baptismi parvulorum est multo brevior et pluribus in partibus ab altero discrepat (n. 154, I). Excipiendus foret casus rarissimus in quo instarent gravissima negotia, puta moribundum ultimis sacramentis munire, quae ob caerimoniarum prolixitatem omittenda forent.

2° Pariter grave peccatum admittit Matthaeus dum exorcismos omnes simulque nonnullas preces vel interrogationes omittit : haec enim est iterum pars notabilis caerimoniarum quas Ecclesia sacramento conferendo adiunxit. Levis tantum culpa foret si quaedam, neque duratione neque significatione adeo notabilia, omitte-

(1) Quandoque facultas adhibendi formulam parvulorum pro adultis restringitur ad quosdam casus speciales. Sic testatur P. Sica (Cas. Conse. de Bapt. c. IV) eam in missione Nankinensi S. I. concessam fuisse " dummodo adulti baptizandi numero sint saltem decem „.

ret, utputa solam benedictionem salis, vel *Credo* et *Pater noster* cum patrinis recitanda (n. 154, I ; Gury, Cas. II. n. 229).

3° Non videtur carpendus Matthaeus quod baptismum infanti contulerit omissis unctionibus, modo ceteras caerimonias adhibuerit : grave enim incommodum esset vel baptismum differre vel iterum duas horas itineri impendere ad s. olea domi quaerenda. Hoc conforme videtur responso S. C. de P. F. 21 Ian. 1789 (C. P. F. n. 611) declarantis causam legitimam omittendi baptismi sollemnitates esse " quamcumque rationabilem et gravem (causam) quae impediat earundem sollemnitatum administrationem. „ Attamen postea, ubi tempus et occasio opportuna affuerint, debuisset Matthaeus omissas unctiones in ecclesia vel oratorio supplere, prout additur in cit. responso.

CASUS II

Metellus parochus Missam in sacello quodam rurali, summa hieme, celebraverat, cum ei oblatus est infans sat debilis quem parentes ad ecclesiam parochialem integra leuca distantem ferre non ausi erant. Rogantibus enixe parentibus ut baptismus diutius non differretur, cum adhuc duos fere menses hiems saevitura esset, Metellus parvulum aqua lustrali abluit, caerimonias tempore verno in ecclesia suppleturus.

SOLUTIO. — Opinamur Metellum non esse vituperandum quod baptismum, in iis adiunctis, infanti contulerit extra ecclesiam parochialem. Etenim hic habemus casum, utique rarum extra loca Missionum, in quo eaedem rationes pro baptismo extra ecclesiam conferendo militant quae ad eum extra illam conferendum in locis Missionum, probante S. Sede, sufficiunt (n. 154, II, 4°). Quare in regionibus catholicis licitum putamus, per modum casus transeuntis et extraordinarii, quod in aliis per modum regulae generalis permittitur. Neque dicas cum Gury (Cas. II. n. 227) : nullum esse periculum in mora, et superveniente postea periculo, posse advocari parochum, vel infantem, parocho deficiente, ab alio rite edocto baptizari. Etenim haec probant non esse in casu illam absolutam necessitatem in qua laicus baptizare possit, minime vero (quod probandum foret) non posse baptismum conferri extra ecclesiam

ob necessitatem aliquam minus stricte dictam, quae ad magnum incommodum redit.

Minus approbandum est quod Metellus statim baptizaverit, adhibita pro aqua baptismali aqua lustrali, omissisque unctionibus olei catechumenorum et s. chrismatis. Nulla enim necessitas videtur affuisse ut statim, his omnibus Ecclesiae ritibus omissis, procederetur. Nullum enim notabile incommodum excusabat Metellum quominus eodem vel uno e proxime sequentibus diebus se conferret ad infantis domum, allatis aqua baptismali et s. chrismate. Debuisset igitur, quamprimum commode posset, infantem baptizare domi vel in eodem sacello rurali, omissis caerimoniis quae baptismum praecedunt : quas suppleturus esset ubi infans absque nimia difficultate ad ecclesiam parochialem deferri posset (n. 155, II).

CASUS III

Caecilia, passionis aestu abrepta, matrimonium mere civile inierat cum Othone, Ecclesiae osore acerrimo. Hic susceptam prolem baptizari prorsus renuit. Absente vero marito, Caecilia Eudorum parochum clam in aedes suas introduxit ut baptismum infanti conferret. Itaque Eudorus parvulum abluit, omissis iis caerimoniis quae baptismum praecedunt, ceteris adhibitis.

SOLUTIO. — Rectius omnes caerimonias in casu adhibuisset Eudorus. Etenim, cum Otho sit adeo infensus fidei osor, verisimillimum est infantem, sicut nunc ad ecclesiam ferri nequivit, ita etiam diutissime et quasi indefinite prohibitum iri quominus ad eam deferatur. Tale autem impedimentum, in re morali, censetur perpetuum. Cfr. n. 347, de impedimento perpetuo quaerendae absolutionis a reservatis. Habemus ergo hic casum infantis qui praevideatur numquam deferri posse ad ecclesiam ad supplendas caerimonias : quae proinde statim omnes conferantur oportet.

CASUS IV

Raphael parochus a Sergio, nobili viro, qui magnificam villam in paroeciae territorio incolebat, rogatus est ut

infantem ipsius domi baptizaret, caerimonias sollemniter suppleturus post duos menses, cum Brennus, vir conspicuus, qui negotiis magni momenti alibi detinebatur, advenisset, patrinum acturus. Cum multa beneficia pro ecclesia sua et pauperibus a Sergio accepisset Raphael et maiora in dies speraret, petenti nobili viro morem gessit.

SOLUTIO. — Dupliciter Ecclesiae legem laesit Raphael : prius, quia baptismum sine necessitate extra ecclesiam contulit ; deinde, quia pariter sine necessitate ritum essentialem baptismi a caerimoniis separavit. Peccatum hoc per se grave est, cum notabiliter infringantur leges ecclesiasticae (n. 154, seq.). Quid ergo agendum fuisset Raphaeli? Debuisset se apud nobilem virum excusare quod res petita eius facultates superaret, cum Ecclesiae legi adversaretur in qua solus episcopus dispensare posset. Casus ergo ad Ordinarium quantocius deferendus erat. Qui quidem, si absque ullo incommodo poterat, debebat Sergium a propositio dimovere, suaviterque impellere ut Brennus vices suas alii personae praesenti deferret, tamquam procuratori per quem parvulum teneret in baptismo statim conferendo. Si tamen res difficultatem pateretur, seu quia consuetudo in dioecesi vigeat talem disiunctionem caerimoniarum a sacramento concedendi, seu quia Sergius se graviter offensum aestimaturus et pia beneficia in posterum negaturus sit, posset Ordinarius petitam facultatem facere (n. 115, nota). Monendus tamen Sergius ut, antequam baptismus conferatur, curet Brennum sibi constituere procuratorem : secus enim nonnisi nomine patrinus erit (n. 157, III).

CASUS V

Gratianus parochus saepe dubius haerebat ubi patrini aliquod nomen rarum vel mirum infanti imponere volebant. ex. gr. *Horace*, *Ivan*, *César*, *Napoléon*, *Sadi*, *Carmen*, etc. Timebat enim ne haec minime essent Sanctorum nomina. Quare ubi patrini talibus nominibus mutandis non consentiebant, infantem semper Josephum vocabat. Quondam cum patrinus acriter instaret ut infans Garibaldi vocaretur, indignabundus totum comitatum ex ecclesia eiecit.

SOLUTIO, — 1° Frustra seipsum aliosque adeo torquet Gratianus ne infantibus ullum nomen imponat quod non sit alicuius Sancti. Sufficit ut vitet, iuxta Rit. Romanum, nomina obscena, fabulosa, ridicula, inanium deorum vel impiorum ethnicorum hominum. Si ii qui afferunt infantem pii sunt, iuvabit sane eos suaviter admonere ne nomen imponi velint de quo non constet esse alicuius Sancti. Si vero durae sunt cervicis, ut consilium piaque consuetudo adhibendi nominis Sanctorum servetur, sufficit huius modi nomen addere iis quae in Martyrologio non reperiantur.

2° Perperam egit Gratianus dum innocentem infantem ob patris vel patrini stultitiam baptismo privavit. Profecto, si patrinus nomen Garibaldi imponere vellet infanti tamquam impietatis protestativum, nullo pacto posset Gratianus illud admittere vel baptizando pronuntiare. Sed fere semper tales viros mirantur coluntque propter quaedam facinora quae falso tamquam praeclara habent, nullatenus vero eorum conatus contra Ecclesiam laudare intendunt : quare, donec contrarium constet, licebit proferre nomen optatum, addito submissa voce alicuius Sancti nomine (n. 155, IV). Postquam vero imprudenter baptismo privatus erat infans, tenebatur Gratianus irae suae detrimenta, quantum poterat, reparare.

§ 2. DE PATRINIS SINGILLATIM

CASUS I

Mauritius, ostentationis amans, infantem suum cum duobus patrinis unaque matrina baptismo obtulit. Protestari primum Damianus parochus instanterque petere ut, pro more recepto, unus tantum patrinus unaque matrina infantem susciperent. Sed frustra. Tandem mulier quae matrinam actura erat : « Si duo tantum infantem suscipere possunt, inquit, ego loco cedam. » Hac cessione pax Mauritium inter et Damianum stabilita est (1).

(1) Cfr. Gury, de Bapt. cas. 17.

SOLUTIO. — Illicite huic pacto acquievit Damianus : legi enim ecclesiasticae minime satisfit adhibitis duobus eiusdem sexus patrinis. Attamen si infans erat masculus, non nisi levis inordinatio in admittendis duobus patrinis eiusdem sexus reperiebatur, cum ita minus infringeretur finis legis (n. 136, I). Quare ad vitandum incommodum sat grave, puta ne Mauritius a sacramentorum usu recederet vel notabiles molestias afferret parocho, hic potuisset utrumque patrinum admittere. Sed forsan difficultates illas vitasset parochus si ab initio non reppulisset absolute unam e tribus personis quae sponsorum munus gesturae erant, sed declarasset unum tantum et unam, iuxta Ecclesiae leges, posse baptizandum tangere, nihil vero obstare quominus alter patrinus proxime adstaret socio suo, tamquam testis authenticus baptismi suscipiendi.

CASUS II

Maglorius parochus quondam tamquam patrinum a patre infantis missum vidit Flosculum, undecim annorum puerum, qui hoc ipso anno ad primam communionem admissus fuerat : « Quid est hoc ? ait indignatus. Patrinum agere non est ludus parvulorum. » His dictis, aedituum iussit patrinum agere.

SOLUTIO. — Laudabiliter curat Maglorius ne Flosculus tamquam patrinus baptismo adstet, cum Rit. Rom. (tit. II. c. 1. n. 24) dicat maxime convenire ut patrinus aetatem pubertatis, seu quattuordecim annos completos pro masculis, attigerit. Attamen modum excedit dum eum tamquam incapacem repellit, cum verba Ritualis nullam strictam prohibitionem contineant pro iis qui ratione utuntur et animo munus patrini gerendi praediti sunt (n. 157, III). Adde : nullum serium incommodum ex hac minore aetate patrini in casu aliquo particulari oriri, praesertim ubi nullum dubium est quin parentes sobolem suam christiane educaturi sint. Quod si forte in paroecia regnaret abusus ut adultos omnes puderet patrini munus gerere, parochus, iuxta directionem Ordinarii, prudenter curare deberet ut abusus ille exstirparetur. S. C. R., 23 aug. 1713 de tali consuetudine interrogata, respondit (Coll. P. F. n. 601) : " Ad mentem ; et mens est quod Archiepiscopus, attentis locorum et personarum circumstantiis, moneat, dispenset et licentiam concedat, prout suae prudentiae visum fuerit. „

CASUS III

Anatolius parochus saepe mutat patrinos a parentibus designatos : interdum quia tardius ad ecclesiam accedunt, interdum quia semi-ebrii veniunt, quandoque etiam quia a multis annis ad sacramenta non accesserunt. Quondam aedituum iussit patrinum agere, quia, dissidentibus de electione patre et matre, hoc ius ad se devolvi autumabat.

SOLUTIO. — 1° Peccat, et quidem per se graviter, Anatolius, si, patrino moram trahente, sed brevi (ut speratur) adventuro, statim alium designat (n. 157, III). Si vero sat diu exspectatus non comparet, nolimus vituperare parochum quod alium eligat : parentes enim nequeunt rationabiliter inviti esse quominus parochus ius exerceat quo ipsi forsan imprudenter usi sunt, designato homine neglegente. Excipe si parochus nosset eos, ob speciales rationes, aegerrime laturos esse alium designari, neque ipsi magnum incommodum e dilatione baptismi oriturum esset. Hac distinctione rectius solvi casum existimamus quam fit a Gury (II. n. 233), qui universe parochum gravis peccati arguit.

2° Semi-ebrium patrinum repellere merito potest Anatolius tum ob irreverentiam sacramento irrogandam, tum ob periculum ne male officio suo fungatur. Neque possunt rationabiliter conqueri parentes : utpote qui hominem sui impotem, ac proinde saltem actualiter ineptum, miserint (n. 157, IV).

3° Immerito reppulit Anatolius eos qui omiserunt, etiam crebro, confessionem et communionem Paschalem. Excipe si speciale statutum dioecesanum eos repelli iuberet vel praeterea ob aliud publicum peccatum, puta ob notorium concubinatum, publice infames essent (n. 157, 3°).

4° Dissidentibus parentibus de patrini electione, parochus eum admittere debet quem pater, utpote familiae caput, designaverit (n. 158, III).

CASUS IV

Nazarius parochus, rogatus a praepotenti familia ut Isidorum protestantem, Ecclesiae catholicae amicum, tamquam patrinum admitteret, recusare ausus non est, tum ne

familia illa eius parochiam minus liberaliter tractaret, tum ne Isidori animus a catholica Ecclesia, tamquam intolerante, averteretur. Eadem benignitate usus est erga Maglorium, notorium massonem, a quo graves molestias timebat si recusaretur : quamobrem acerrime a quibusdam sacerdotibus increpatus est.

SOLUTIO, — 1° Erravit Nazarius ubi Isidorum protestantem patrinum agere permisit. Etenim imprimis incommoda quibus territus fuit plerumque facile averti possunt, declarata suaviter sed fortiter lege Ecclesiae atque heterodoxo tamquam teste admisso. Inanis praesertim est ille timor ne protestans Ecclesiam, tamquam intolerantem, aversari incipiat. Etenim ut ad eam reducatur, plane necessarium est ut eam tamquam unice veram apprehendat : ad quem finem minime iuvaret haereticum admittere tamquam patrinum et partes praecipuas agentem in sacra caerimonia, quasi Ecclesia admitteret illum funestum errorem, inter Protestantes adeo communem, indifferentismi erga varias christianae fidei communiones. Deinde si quod incommodum serium timendum est, non licet ad illud declinandum transgredi legem Ecclesiae. Hoc enim prohibuit S. Off. 3 maii 1893 (n. 158, 2°), etiam in casu, qui in Hungaria acciderat, mulieris quae propter recusatum patrinum haereticum a vera Ecclesia defecerat.

2° Massones notorii a munere patrini per se repellendi sunt, tamquam minime idonei procurandae, si opus fuerit, educationi christianae filiorum spiritualium (Instr. S. Off. ad Ordinarios Brasil. 5 iul. 1878 ; Coll. P. F. n. 1863). Attamen si vere grave damnum ex hac recusatione timetur, consulendus est Ordinarius : qui videtur permittere posse ut toleretur (n. 158, 3°). Minus enim severe tractandi sunt mali catholici quam heterodoxi, seu haeretici, prout ex rei natura fluit (Vol. I. n. 198) et deducitur e resp. 3 maii 1893, quo S. Off. renuit iis applicare tolerantiam quam S. Paenit. 10 Dec. 1860 admiserat pro catholicis qui publice censuram incurrerant.

CASUS V

Linus a sacro fonte levaverat Andream, tepidissimorum catholicorum filium. Hi semper magis ab avita religione

digressi sunt, ita ut adulescentem Andream ad scholam nomine neutram, re impiam miserint, nullatenus vero neque per seipsos, neque per parochum ea quae christianus scire debet docuerint. Haec maerente sollicitoque animo considerans, Linus a confessario suo petiit num ipse, tamquam pueri patrinus, teneretur parentes officii sui admonere vel aliter filioli animae providere.

SOLUTIO. — Per se tenetur Linus curare ut Andreas christiana doctrina imbuatur, cum parentes hic non magis eam rem curent quam si infideles forent (n. 157, IV). Debebit ergo hoc officium suum implere omnibus mediis quae non sint cum nimia difficultate coniuncta. Quare si Andreae parentes aliquatenus ab eo pendent, propter commercium, hereditatis spem etc., ac proinde sperari potest eos consilio obsecuturos esse, debebit eos admonere ut christiane instituant puerum, curando ut saltem ad catechismum mittatur atque ad primam communionem praeparetur. Non tamen teneretur adhibere media extraordinaria, qualia forent puerum suis expensis ad scholas catholicas mittere vel pecuniam parentibus in hunc finem dare. Sed saepe in talibus casibus nihil tentandum erit, saltem e stricta obligatione : quia parentes adeo in impietate vel indifferentismo firmati certo praevidentur monita suasionesque patrini spernere vel irritos efficere, funesto influxu suo, exiguos conatus quos ille per seipsum facere posset, suppeditatis ex. gr. libris de religione tractantibus vel orali institutione.

TRACTATUS XIII

DE CONFIRMATIONE

CAPUT I

DE MATERIA ET FORMA CONFIRMATIONIS

CASUS I

Anacletus missionarius, facultate confirmationis conferendae a S. Sede donatus, cum diutius quam solebat exspectare debuisset S. Chrisma eodem anno consecratum, chrismate veteri in confirmandis neophytis uti coepit. Quondam vero cum se ad locum dissitum contulisset ut Confirmationem sollemniter pluribus indigenis conversis conferret, advertit se oleum infirmorum pro chrismate secum sumpsisse. Sed aegerrime tulissent neophytae qui undique accurrerant, si absque confirmatione discedere debuissent. Anacletus igitur oleo infirmorum eos inunxit, ratus sacramentum non necessarium cum mera probabilitate administrari posse.

SOLUTIO. — 1° Licite vetus chrisma adhibuit Anacletus, si quaedam causa satis urgens obstabat quominus diutius differretur confirmatio, ex. gr. si plures neophytae ad eam suscipiendam rite praeparati fuerant, ipse vero ad tempus sat longum discessurus erat ut illa praeparatio fere evanuisset quando redux foret.

Graviter vero peccavit si absque notabili incommodo recens chrisma exspectare potuisset, ut plerumque contingit (n. 159). Cfr. Gury, Cas. II. n. 238.

2° Erravit et per se graviter peccavit Anacletus ubi oleo infirmorum usus est ad confirmandum. Ut enim adhibeatur materia dubia requiritur necessitas multo strictior quam illa quae ex aliqua offensione neophytarum oriatur in casu (n. 116, IV). Irreverentiam enim in sacramentum committit qui, ob causam parum urgentem, eius ritum adhibet cum probabili nullitatis periculo. Adde incommodum oriturum ex dubio quod de valore sacramenti collati remanebit et scandalum quod passuri sint neophytae si postea ad iterandam confirmationem vocentur (Cfr. casum sequentem). Idem liceret in casu verae necessitatis, puta si missionarius, ad moribundum vocatus, audiret eum numquam confirmatum fuisse, solum autem oleum infirmorum penes se haberet (n. 159).

CASUS II

Ugolino episcopo, confirmationem in quadem ecclesia parochiali conferenti, Theodosius parochus oleum catechumenorum pro S. Chrismate obtulit : neque errorem advertit caecutiens episcopus. Verum, inunctis iamque dimissis centenis pueris qui e locis vicinis confluxerant, Theodosius advertit ampullam pene exhaustam oleo catechumenorum fuisse plenam. Obstupescit, de errore monitus, Ugolinus ; quid facto opus sit, anxius secum quaerit. Tandem, cum sacramentum probabiliter valuerit multaeque molestiae in revocandis iterumque inungendis pueris subeundae sint, statuit rem Deo committere.

SOLUTIO. — Per se iteranda fuisset sub condicione Confirmationis administratio : minister enim sacramenti, nisi notabili incommodo excusetur, tenetur conari ut nihil ex eius parte desit ad validam administrationem, praesertim ubi confertur sacramentum quod non nisi semel in vita recipi potest ideoque, invalide susceptum, iugiter privat subiectum charactere sacro gratiaque eiusdem propria (n. 118). Attamen cum sacramentum confirmationis non sit ad salutem necessarium, non tenetur episcopus

quodlibet incommodum subire ut reparet errorem quo illius valorem dubium effecit. Iam vero, in casu, incommodum grave subeundum erat. Molestissimum enim erat centenos pueros, e variis locis congressos, revocare. Praeterea, ubi multi sunt increduli vel tepidi catholici (sicut hodie pluribus in locis contingere dolemus), non leve periculum est ne, confirmatione iterata, Ugolini persona ipsumque sacramentum irrideantur. Prudenter ergo egisse videtur Ugolinus dum in his adiunctis difficillimis rem Deo commisit. In eundem sensum respondit 22 nov. 1899 S. Off. interrogatum de casu simili, in quo episcopus, dum confirmationem ministrabat in publica ecclesia centenis pueris, ex errore ultimam tertiam eorum partem unxerat oleo catechumenorum. Responsum enim est : " Sileat „. Secus dicendum foret si similem errorem admisisset Ugolinus in paroecia in qua non nisi pueros loci confirmasset vel in collegio aut seminario : in his enim adiunctis generatim sine nimia molestia et sine periculo iterum congregari atque sub condicione confirmari possunt pueri. Liquet talem iterationem posse fieri in loco profano et absque mitra baculove pastorali, si episcopus iudicaverit expedire ad scandalum vitandum (n. 165).

CASUS III

Dum Nicodemus episcopus sacramentum confirmationis administraret, contigit ut puer quidam petulantissimus, ubi iam episcopus pollicem sancto Chrismate tinctum fronti admoveret, subito se averteret atque in maxilla unctionem reciperet. Alia die, cum vulnerato brachio dextero uti nequiret, sinistro pollice unctiones peregit.

SOLUTIO. — 1° Dubius est valor unctionis quae in maxilla pro fronte facta sit : est igitur sub condicione iteranda (n. 160).

2° Licite sinistram manum pro dextera adhibuit Nicodemus. Etenim cum probabilius sub levi tantum obliget lex Ecclesiae qua episcopus dexterum pollicem adhibere iubetur (n. 160), sufficit causa rationabilis ut sinistra manu ungantur confirmandi. Cfr. Gury (Cas. II. n. 243), qui tamen necessitatem requirit ut hanc manus inversionem faciat episcopus : eo quod legem illam sub gravi urgere opinatur.

CAPUT II

DE MINISTRO ET SUBIECTO CONFIRMATIONIS

CASUS I

Cyrillus infans, e patre catholico et matre schismatica natus, primum a sacerdote catholico baptizatus est ; deinde a matre, quae schismati vehementer addicta erat, oblatus est sacerdoti schismatico, a quo iterum baptizatus etiam S. Chrismate unctus est. Postea catholice educatus, ubi decimum annum attigit, iterum ab Athanasio, catholico episcopo, sub condicione confirmatus est.

SOLUTIO. — Ut definiatur utrum recte an perperam egerit Athanasius ubi Cyrillum iterum sub condicione confirmavit, imprimis videndum est num forsan in ea regione expresse ablata fuerit a S. Sede presbyteris schismaticis confirmandi facultas. Si ita factum est, (prout res se habet in Bulgaria, Cypro, Italia insulisque adiacentibus, atque inter Maronitas Libanenses), manifeste debuisset Athanasius absolute conferre chrismationem Cyrillo (S. Inqu. 3 iul. 1853 ; Coll. P. F. n. 674). Si vero eadem facultas ibi non fuit expresse revocata, generatim improbanda, in quibusdam tamen circumstantiis laudanda est ratio agendi quam Athanasius tenuit. Nempe servanda est regula practica quam pro huius modi casu dedit S. Off. 14 ian. 1885 iterumque inculcavit 5 iul. 1886 (Coll. P. F. n. 679 seq.) : " Non expedire ut confirmati de quibus in casu, iterum ab episcopo inungantur, nisi ad tonsuram et ordines promovendi sint, vel ipsi aut eorum parentes id petant, ac nisi facta inquisitione circa modum collationis confirmationis, reperiatur penicillum adhibitum fuisse, quibus in casibus confirmationis sacramentum secreto conferatur et sub condicione „. Quod si dubium manet de revocatione facultatis a S. Sede in hoc loco vel de ipso facto confirmationis datae, recurrendum erit ad S. Sedem, prout S. Off. edixit 3 iul. 1853 et 5 iul. 1886 (Coll. P. F. n. 674 et 680).

CASUS II

Onesimus, postquam iam primam communionem instituerat et confirmationem acceperat, dubium de valore baptismi sui concepit, eo quod audivit se a parocho baptizatum fuisse pollice tantum madefacto. Quare ut iterum sub condicione baptizaretur et confirmaretur enixe flagitavit.

SOLUTIO. — Baptismum, utpote strictissimae necessitatis sacramentum, iterum sub condicione recipere tenetur Onesimus, prout a S. Off. 14 dec. 1898 responsum est (n. 135). Nec quicquam prohibet quominus iterum sub condicione confirmetur (n. 117), cum prioris confirmationis valor dubio rationabili subiaceat. In rigore tamen non tenetur denuo accipere confirmationem, etiam in sententia eorum qui obligationem huius sacramenti suscipiendi generatim vigere existimant (n. 164). Etenim iam satisfecit probabiliter legi (Vol. I. n. 80). Cfr. Gury, Cas. II. n. 249.

CAPUT III

DE CONFIRMATIONIS NECESSITATE ET CAERIMONIIS

CASUS I

Cyprianus confessarius audit Iustinam puellam magnis scrupulis torqueri quia tardius ad confirmationis caerimoniam accesserat, peracta iam prima manuum impositione : cui suasit ut episcopum adiret, iterum secreto confirmanda. Brevi post Francisca iam annos triginta nata ei declaravit se, cum post primam communionem in urbem venisset, numquam fuisse confirmatam : hanc iussit, quolibet spreto pudore, confirmationem suscipere ubi primum illud sacramentum in civitate daretur.

SOLUTIO. — 1° Praeposterum consilium Iustinae dedit Cyprianus : nulla enim datur sufficiens ratio, in casu, ut confirmatio iteretur (n. 160).

2° Cum probabilis sit opinio in qua nemo ullam strictam gravemque suscipiendae confirmationis obligationem habeat (n. 164), perperam egit Cyprianus qui Franciscam iussit sacramentum illud suscipere, quasi de obligatione constaret (Vol. I. n. 79). Suaviter tamen eam impellere debuisset ad confirmationem petendam. Ut autem nullo pudore praepediretur, addere potuisset : verisimiliter episcopum consensurum ut in loco a pueris separato et secreto confirmaretur (n. 165).

CASUS II

Didacus missionarius, facultate confirmandi donatus, interdum tamquam matrinas adhibuit Sorores Instituti Annuntiatarum Caelestium, quia nullos fideles reperiebat qui dotes in matrinis requisitas haberent. Quondam vero cum confirmandus esset infans moribundus, neque ulli alii fideles praesto essent quam confirmandi parentes, ipse patrinum egit.

SOLUTIO. — 1° Rite egit Didacus ubi Sorores illius Instituti tamquam matrinas adhibuit,, deficientibus aliis fidelibus idoneis. Sic et ipsa S. C. R. 15 febr. 1887 (Coll. P. F. n. 641) respondit Praef. Apost. Bengalae Centr. de Sororibus a Caritate. Quin etiam vix apparet quare de adhibendis talibus Sororibus in matrinas dubitaretur. Etenim prohibitio stricta non protenditur ad instituta votorum simplicium (qualis supponenda est, ex nomine suo, congregatio Annuntiatarum Caelestium). Horum membra *decet* utique a munere matrinae suscipiendo abstinere, cum iis aliquatenus conveniat ratio ob quam lex in religiosos stricte dictos lata sit (n. 158, 4°), sed liquet decentiam evanescere prae necessitate.

2° Nullatenus debuisset Didacus patrinum agere : quod tolerandum non esse respondit S. C. de P. F. 21 sept. 1843 (Coll. P. F. n. 691). Debuisset potius patrem vel matrem infantis, pro conformitate cum infantis sexu aliisque dispositionibus, ad hoc munus adhibere : qui tunc cognationem spiritualem non contra-

hunt prout S. Off. 15 sept. 1869. respondit (Zitelli, Appar. Iur. eccl. p. 309). Quodsi nullum fidelem idoneum praesto habeat Didacus, administret sacramentum sine patrino, prout edicitur in Instr. S. C. de P. F. in Appendicem Ritualis relata.

CASUS III

Hermannus parochus Blasium parochianum suum monebat ut Philippum filium suum postridie ad ecclesiam mitteret, ab episcopo confirmandum : « Domine paroche, ait Blasius, filius meus iam primam suam communionem fecit : hoc sufficit. In officina mea cras laborare debet ». Instabat Hermannus, sed incassum. Tandem sollemniter Blasium monuit : « Si cras non mittis filium tuum ad confirmationem accipiendam, mortale peccatum committes, neque te absolvere potero antequam promiseris te huic gravi obligationi tuae satisfacturum esse ».

SOLUTIO. — Etiamsi (ut quidam opinantur) gravis esset culpa parentum qui de liberis suis confirmandis non curent, generatim imprudenter ad hanc gravitatem provocasset Hermannus. Plerumque enim huius modi neglegentia ab iis tantum parentibus committitur qui in rebus religiosis sint valde leves et incuriosi : unde fiet ut solus effectus monitionis sit peccatum materiale in formale mutari vel etiam animos magis a religione alienari. Sed probabilius, sicut non est grave peccatum illius qui confirmationem suscipere neglegit (n. 164), ita neque gravis erit culpa illius qui de altero confirmando e caritate vel pietate curare debet. Cfr. dicta in re simili n. 422. Saepe tamen parentes qui de confirmandis liberis non curant, graviter peccabunt ob notabilem neglegentiam quam in universa eorum educatione religiosa et morali admittent. Quandoque etiam possent mortaliter peccare ob contemptum sacramenti. Id tamen regulariter non contingit in iis qui, sicut Blasius noster, ob minimam molestiam subeundam pueros ad episcopum confirmantem mittere renuunt : hi enim non magis contemnunt confirmationem quam alia Sacramenta et alia officia religiosa, etiam plane obligatoria, a quibus ob tepidam fidem et pietatem abstinent.

TRACTATUS XIV

DE EUCHARISTIA

SECTIO I. — DE EUCHARISTIA QUA SACRAMENTUM EST

CAPUT I

DE MATERIA ET FORMA EUCHARISTIAE

§ 1. DE MATERIA

CASUS 1

Tatianus parochus numquam dubitaverat de genuina confectione hostiarum quibus ad celebrandum utebatur, cum audivit multos molendinarios huius loci multae damnatos fuisse ob sophisticatam farinam. Hinc consilium coepit investigandi a quonam molendinario Arsacius, qui hostias conficiebat, farinam sibi compararet, et qua ratione eas conficeret. Quantus fuit boni viri stupor ubi pistorem

hunc audivit declarantem se, quo suavior foret panis eucharisticus, lacte pro aqua uti in eodem conficiendo !

SOLUTIO. — 1° Valde imprudenter egit Tatianus si pistori cuilibet confidit tum quoad seligendam hostiarum materiam, tum quoad modum eas praeparandi : id enim facere nequit nisi norit hominem esse eximiae probitatis, satis sollertem ut sciat hodie multam farinam sophisticatam vendi (n. 169, nota), utque ab iis dolis caveat, tandem rite instructum de modo quo hostiae conficiendae sint. Eos ergo qui hostias conficiunt, seu pistores, seu moniales, doceat Tatianus farinam non emere nisi a molendinario qui sit perspectae probitatis, et si quod dubium vel de homine vel de merce inciderit, farinam emptam, analysi chemicae subiciendam, viro perito tradere. Ne tamen nimium se torqueat Tatianus, seu quoad Missas iam celebratas, seu quoad celebrandas, advertat saepe mixtiones gypsi, farinae pomorum terrestrium, etc. cum farina triticea ita fieri ut minor sit substantiae alienae quantitas, ac proinde materia illicita quidem fiat, sed valida maneat.

2° Panis lacte paratus materia est dubia (n. 169). Cfr. Miss. Rom. de defect. III, n. 2 : " Si sit confectus (panis) de aqua rosacea, vel alterius distillationis, dubium est an conficiatur „. Theoretice talem panem valide consecrari opinamur, cum vulgo haberi et dici soleat simpliciter panis, neque adeo multum a pane aqua composito discrepet quoad gustum, aspectum, etc.

CASUS II

Cosmas missionarius dubitare coepit num hostiae in missione sua rite conficerentur. Plerumque enim, deficiente farina Europaea, panis conficitur ex granis tritici contritis et per aliquot horas in aqua infusis : quae deinde manibus comprimuntur donec materiam albam suppeditent ; ex hac autem, ope ferri calidi, panis eucharisticus conficitur. Ratio praecipua dubitandi erat, substantiam illam albam potius amidi quam farinae similem esse.

SOLUTIO. — De tali praxi interrogatum S. Off. 25 iun. 1852 (Coll. P. F. n. 701) respondit eam licitam esse, sed addidit : " Curet tamen, si fieri possit, Vic. Ap. ut frumentum ex quo panis eucha-

risticus conficitur, non contundatur solummodo, sed apto instrumento in farinam redigatur, quae deinde cribro exacte purgetur, et panis ex eadem conficiatur, modo in Europa usitato. „ Videlicet, nulla erat solida ratio ob quam de valore talis materiae dubitaretur, cum nihil aliud quam triticum adhiberetur ultimusque terminus huius imperfectioris processus haberet omnes panis dotes. Nullo autem iure quis contenderet essentiale esse pani ut fieret proxime e materia quae ordinariam farinae speciem haberet, non autem illam ementitam amidi faciem. Quare igitur praefatam commendationem addidit S. Officium ? Si quid opinor, tantum quia reverentia sacramento debita postulat ut e pane mundissimo riteque parato conficiatur : quod profecto non assequetur qui manibus suis, non autem mola utitur, neque cribro farinam purgat.

CASUS III

Damianus missionarius quandoque nullum panem ad celebrandum habet nisi vetustissimum et quasi mucidum. Alias ex Europa accepit farinam quam agnovit aliqua gypsi quantitate mixtam esse. Utroque in casu, cum meliorem materiam non haberet, eam quae suppetebat in Missa adhibuit.

SOLUTIO. — 1° Graviter peccavit Damianus si panis ille adeo vetustus mucidusque erat ut dubitandum foret num adhuc valeret : quod sane contingeret si mucoris maculae nudis oculis cernerentur (n. 184, V). Nefas enim est materiam dubiam ad conficiendam Eucharistiam adhibere (n. 116, IV). Si vero moraliter certum est panem vetustissimum nondum esse corruptum, et grave incommodum in omittendo Sacro occurrit, puta necessitas abstinendi a celebratione, multorum fidelium coetus undique coadunatus, timor offensionis populi, etc., Damianus licite egit (n. 169, 7°).

2° Similiter distinguendum de farina gypso mixta. Si gypsus magna copia mixtus est ita ut timendum sit ne in quibusdam saltem partibus praeponderet tritico, numquam talis panis adhiberi potest, utpote qui dubii valoris sit. Secus dicendum, urgente necessitate, si constat gypsum tam exigua copia mixtum esse ut de valore nullus sit ambigendi locus. Gravis enim causa videtur sufficere ut removeatur irreverentia quam usus materiae mixtae per se habet (n. 169, 6°).

CASUS IV

Lysias sacerdos Belga, cum peregrinationem in Oriente perageret, nunc in ecclesiis ritus latini, nunc in ecclesiis ritus graeci celebravit, Adhibuit autem in singulis panem seu azymum, seu fermentatum, prout clerus ipsius ecclesiae adhibere solebat. Ita applicat axioma suum : « Romae si fueris, Romano vivito more ».

SOLUTIO. — Mancam regulam secutus est Lysias. De celebratione in pane azymo nulla est difficultas : hunc enim ubique adhibere potest latini ritus sacerdos. Verum ut in pane fermentato celebret, non sufficit ut Missam in ecclesia ritus orientalis peragat. Praeterea inquirere debuisset num daretur in loco (oppido vel pago) ecclesia ritus latini, et, si daretur, eam adire, ut in ea in pane azymo celebraret. Quod si in eo loco nulla ecclesia ritus latini esset, posset ecclesiam ritus graeci adire et in ea pane fermentato uti. Idem videtur licitum, si ecclesia latini ritus in loco exstat sed non nisi cum gravi incommodo adiri potest : lex enim servandi proprii ritus cum hoc incommodo cessat. Cfr. Const. *Orientalium dignitas* 30 nov. 1894, qua similis facultas fidelibus fit communicandi sub specie panis ritus alieni, si ecclesiam proprii ritus adire nequeant " nisi cum gravi incommodo „ (n. 170, III).

CASUS V

Gerontius sacerdos quondam, dum celebraret, valde turbatus est : ad Offertorium enim animadvertit vinum in urceolo positum turbidum esse pelliculisque natantibus plenum, neque aliud in ecclesia haberi a ministro edoctus est. Processit igitur anxietate plenus. Sine ullo autem scrupulo adhibuit in Missa vinum aliquod generosum, quod a mercatore fidissimo coemerat, nihil tamen determinans utrum ad mensam an ad altare adhibendum foret. Putavit enim vinum maximi pretii certe sophisticatum non esse. Alias vero visus est sibi e gustu dignoscere vinum quod in

Sacro adhibebat tamquam e vinis passis confectum. Existimans autem tale vinum non posse adhiberi nisi deficiente eo quod ex ipso uvarum succo exprimitur, aliud vinum adhibere coepit.

SOLUTIO. — 1° Nihil erat cur a prosequendo Sacro abstineret Gerontius eo quod vinum turbidum erat (n. 171, nota). Sed pelliculas quae interdum lagenae adhaerent in qua diu vinum servatum est, quantum poterat, a materia consecranda separare debebat ; haec enim pura esse debet, neque mixta substantiae non consecrabili. Quare si commode fieri potest, tale vinum per linteum mundum fundatur oportet. Sed, si sacerdos iam vinum in calicem fudit atque vinum prorsus purum aut nullatenus aut aegre habere potest, licebit pergere : materialem enim irreverentiam, quae in consecranda tali materia habetur, satis excusabit necessitas.

2° Erravit Gerontius dum putavit vinum valde pretiosum a sophisticationibus immune esse. Contrarium potius contingit, quia hominum cupiditas maiorem copiam talium vinorum postulat quam ipsa natura suppeditat, maiusque lucrum e talium fraude speratur quam e sophisticatione vinorum quae minoris veneunt. Neque fidissimi mercatores semper suppeditant vina quae celebranti conveniant : alias enim dotes postulat vinum eucharisticum, alias vinum mensae apponendum (n. 171, 3°).

3° Nihil neque e natura rei, neque e responsis S. Sedis colligi potest quo usus vini ex uvis passis confecti restringatur ad casum in quo deficiat vel aegre haberi possit vinum ex uvis recentibus expressum, modo e colore, gustu etc. genuinum vinum appareat. De valore autem talis materiae nullum dubium esse potest : secus enim, ne in casu quidem necessitatis adhiberi posset (n. 171, 7°).

CASUS VI

Nicodemus, cum de genuina qualitate vini quod in Sacro celebrando adhibebat dubitaret, virum adiit chemiae peritum : qui, analysi instituta, respondit in hoc vino omnia et sola optimi vini elementa reperiri. Omne igitur dubium exuit Nicodemus. Attamen, ad saporem nimis acrem temperandum, paululum sacchari singulis lagoenis immisit.

SOLUTIO. — 1° Chemica analysis quandoque revelabit vinum non esse aptum sacrificio, vid. si elementa continet quae in vino genuino non reperiuntur. Sed si nulla huius modi sophisticatio reperta fuit (ut in casu contigit), nequaquam inde concludi potest idem vinum habere omnes dotes quae ad validum licitamque Eucharistiae materiam requiruntur. Sic suppone alcool additum fuisse e canna saccharina vel aliis plantis (*betteraves*), chemia id minime deteget. Nicodemus igitur plenam securitatem e chemica analysi sumere non debuisset, sed potius investigare num mercator a quo vinum illud emat sit vir omni fiducia dignus et qui perspecta habeat quaecumque in vino eucharistico prae ceteris vinis requirantur (n. 171, nota).

2° Illicitum est vino quod iam penitus confectum est saccharum immittere : haec enim substantia addita manebit vino immixta tamquam substantia distincta (n. 171, 4°), ideoque vinum non omnino purum adhibebitur. Acer ille vini sapor potius mixtione cum alio vino suaviore temperandus erat.

CASUS VII

Laurentius parochus in sacello rurali celebraturus secum tulit vini lagoenam. Ubi vinum effundere coepit, advertit se ex errore sumpsisse vinum Portuense *(vin de Porto)* loco vini Turonensis *(vin de Tours)* quod adhibere solebat. Sed cum vinum Portuense magnam contineat alcoolis proportionem, timuit Laurentius ne materia esset invalida vel saltem illicita, ideoque eo uti ad celebrandum non est ausus.

SOLUTIO. — Licite vino Portuensi, praesertim alio vino deficiente, usus fuisset Laurentius. Etenim licet vinum Portuense et alia quae dicere solemus vina liquoris *(vins de liqueur)* maiorem spiritus vini proportionem contineant, sunt tamen, ex origine et compositione, verum vinum de vite. Neque vinum esse desinunt addita aliqua alcoolis quantitate, nisi haec additio esset enormis : quod statim e gustu innotesceret, neque fieri solet (n. 171, 8°) (1).

(1) Quaedam vina naturaliter tantum 5 o/o vel 6 o/o alcoolis continent, dum vinum Portuense aliaque huius modi (*Sherry, vin du Cap*, etc.) 18 o/o ad 21 o/o alcoolis habent. Attamen, licet haec ultima propter maiorem

Poterat alia ratio dubitandi occurrere Laurentio : nempe multa vina *liquoris* non esse genuina, sed composita ex ordinario vino albo additis alcoole et saccharo. Non putamus tamen hanc rationem satis stringentem esse ut Laurentius ab eo vino adhibendo, ubi melius deficeret, prohiberetur, praesertim si vinum illud Portuense a fido mercatore emit et congruo pretio. Licet enim non esset hoc vinum genuinum Portuense, probabilissimum est eas additiones quae factae sint non impedire quominus habeamus materiam validam, sed tantum adversari iis legibus quas Ecclrsia dedit ut valor magis in tuto collocaretur. Iam vero non censemus has leges cum tanto rigore obligare ut a celebrando abstinendum sit ubi nulla peculiaria argumenta materiam sophisticatam esse probant, sed habetur tantum aliquis timor vagus, sophisticandi consuetudini innixus. Sic aequo durius videtur a celebrando prohibere sacerdotem cui deesset vinum illud quod speciatim in usum sacrificii emerit, ea tantum ratione quod cetera vina possint esse sophisticata, quamquam nulla specialis ratio huic suspicioni faveat. Vid. aliud est sacerdotem teneri ad specialem diligentiam circa vinum quo habitualiter utatur ad sacrificium, aliud eum nullatenus uti posse in casu particulari vino quod bonum videatur, sed pro cuius idoneitate non fuerint adhibitae speciales cautiones.

CASUS VIII

Wenceslaus, conventus cuiusdam in Belgio Superior, vineas multas plantaverat, ut ex earum fructibus vinum certe genuinum ad Missam celebrandam conficeret. Sed, cum saepe uvae saccharo parum abundarent vel etiam ad plenam maturitatem non pervenirent, rogavit doctum Theologum ut sibi indicaret quantum sacchari vel alcoolis uvarum suarum succo addere liceret, ne vinum maneret acre vel nimis tenue.

alcoolis proportionem et inde natam similitudinem cum liquore alcoolico dicantur *vins de liqueur*, plurimum adhuc distant a liquoribus alcoolicis proprie dictis. Hi continent a 36 % ad 55 % alcoolis et plerumque inter 40 % et 50 % versantur. Cfr. von Olfers, Pastoralm. p. 197 ; Conservations Lexicon, Allgemeine Real Encyclopädie (1875), vo *Branntwein*.

SOLUTIO. — Si ea elementa quae Wenceslaus additurus est a vite originem trahunt, qualis est spiritus e succo uvarum extractus, nullus apparet limes ponendus nisi ut quantitas totalis alcoolis non superet 12 % (S. Off. 30 iul. 1890). Si vero aliam originem habent elementa quae adduntur, qualia sunt alcool e saccharo cannae saccharinae vel plantae quae dicitur *betterave*, saccharum e pomis terrestribus vel frumento eductum, etc,, imprimis id faciendum non est nisi quaedam, saltem lato sensu, necessitas cogat, ut patet e resp. S. Off. 5 aug. 1896 iubentis ut ad vinum conservandum addatur potius spiritus vini quam saccharum e canna saccharina. Deinde cavendum ne saccharum vel alcool quod additur superet illud quod a vite originem ducat. Nam si eae substantiae quae vino suas dotes tribuerunt, puta saccharum et alcool, maiore ex parte aliunde quam e vite provenirent, materia iam foret invalida vel saltem dubia : non enim apparet quo iure hoc vinum dici possit *de vite*. Aliter dicendum videtur de aqua quae in multis vinis inter 89 % et 90 % occupat : quia non tribuit vino suas dotes proprias. Id eruendum ducimus e responsis Romanis quibus vinum ex uvis passis approbatur, siquidem in eo aqua profecto e vite non desumitur. Tandem supponendum est omnes illas additiones fieri quando vinum est valde recens : ita ut vino conficiendo iuvent, non autem vino iam confecto imperfecte admisceantur.

§ 2. QUAE CONDICIONES AD MATERIAM CONSECRATIONIS REQUIRANTUR

CASUS I

Michael celebraturus a Silvino ministrante rogatus fuerat ut parvam hostiam in eius gratiam consecraret. Annuit, parvam hostiam secum ad altare tulit, sed postea nihil de ea cogitavit donec audiret Silvinum *Confiteor* recitantem. Quaerit ubique parvam hostiam : tandem eam sub corporali latentem reperit ! Aliquantulum cunctatus, eandem ministrantis ori imposuit.

SOLUTIO. — Cum Michaele arbitramur parvam illam hostiam fuisse consecratam, siquidem intentionem illius consecrandae

habuit, neque ulla ratione retractavit. Quamquam sub corporali latebat ideoque nullo sensu a sacerdote consecrante percipiebatur, manebat tamen eidem physice praesens, haud secus ac paucae hostiae in ciborio clauso latentes, ad quas sacerdos, tempore consecrationis, nullatenus attendit. Nihilo minus Michaeli non assentimur quoad communionem cum hac parva hostia datam : hic enim plena certitudo habenda est, quae deficit quando plures AA. graves contrariùm opinantur (n. 173, 4° ; 175, III).

CASUS II

Quadratus sacerdos post consecrationem advertit parvam hostiam super corporale iacere : interrogatus minister respondet eam a se appositam fuisse ut sub Sacro communicaret. Statim Quadratus formam consecrationis panis super parvam hostiam condicionate repetit, pergit ubi steterat, et suo tempore ministrantem communione donat.

SOLUTIO. — Per se graviter peccavit Quadratus dum verba consecrationis etiam sub condicione iteravit (n. 175, III), peracta iam valide utriusque speciei consecratione. Quid autem de effectu prioris consecrationis in parvam illam hostiam sentiendum ? Per se *transsubstantiationem* illius non est operata, cum Quadratus nihil de eiusdem appositione sciverit. Si vero generalem intentionem antea elicuisset idem sacerdos consecrandi quicquid consecrabile super corporali vel altari reperiatur, verba prioris consecrationis implicite etiam ad hanc parvam hostiam protendebantur : haec ergo ministranti dari potuisset (n. 174, 5°). Quotiescumque non constat de hac generali intentione, huius modi parva hostia vel a celebrante ante purificationem calicis sumenda est vel servanda in loco decenti ut in alio Sacro sub condicione consecretur cum alia hostia quae certo nondum consecrata fuerit. Numquam vero talis hostia esset reponenda simpliciter inter non consecratas : nimis enim incertum est quousque intentio celebrantis se protenderit quam ut nulla eius efficaciae ratio habeatur.

CASUS III

Caelestinus ab aedituo rogatus fuerat ut hostias in ciborio super altare positas censecraret. Sed iam de illa

petitione non cogitavit donec sacras species sumpsit. Tunc advertit ciborium extra corporale positum. Cum danda esset plurimis fidelibus S. Communio aliaeque hostiae consecratae deessent, ciborio usus est ad communionem impertiendam. Alia die, in eo erat ut verba prioris consecrationis proferret, cum aedituus exanimatus accurrit petitque ut ciborium quod afferebat consecrare vellet « Tardius venis, ait Caelestinus, iam non licet. »

SOLUTIO. — 1° Caelestinus, quamquam merito (ut videtur) hostias in ciborio positas tamquam consecratas habuit, eas tamen distribuere prohibebatur ob gravium AA. et imprimis S. Alphonsi (l. 6. n. 217) dissensum (n. 174, 4°).

2° Aeditui petitionem merito recusavit Caelestinus si nulla urgebat consecrandi necessitas. Si vero certum vel probabile erat, dilata consecratione, plures fideles communicare cupientes dimittendos fore, severius quam par erat egisse dicendus est (n. 175, V).

CASUS IV

Hilarion, sacerdos Regularis, in privato sacello cum uno ministro devote celebrabat. Eius devotionem perturbavit ministrantis vox *Confiteor* recitantis statim postquam S. Hostiam sumpserat celebrans. Interrogavit ministrum cur exomologesim recitaret cum nulla parva hostia apposita esset. Responsum fuit : eam ab aedituo apponi solitam esse. Sed frustra eam in corporali quaesivit Hilarion. Quid in his angustiis aget ? Vir eminenter industrius statim medium invenit quo ministrantis voto satisfaceret. Prudenter e vino consecrato extraxit particulam hostiae quam in calicem miserat eamque communicaturo tradidit.

SOLUTIO. — Prorsus improbanda est Hilarionis industria. Etenim duplicem Ecclesiae legem violavit, eamque graviter obligantem. Altera lex est qua sacerdos iubetur in Missa sumere vinum consecratum cum particula S. Hostiae, quam eidem antea cum variis caerimoniis immisit : quae S. Liturgiae verba actiones-

que inania fiunt si particula non sumitur a sacerdote, sed alii datur. Alteram legem violavit qua soli sacerdotes celebrantes, in Ecclesia latina, sub utraque specie communicare iubentur (n. 206, III) : vere enim sub utraque specie communicavit minister, qui hostiae particulam vino consecrato madidam accepit. Neque ulla gravis necessitas (qualis esse posset necessitas S. Viatici dandi) excusabat ab his legibus transgrediendis : perperam enim talis censeretur exigua molestia quam minister e dilata ad aliam horam aliamve diem communione passurus fuisset.

§ 3. DE FORMA EUCHARISTIAE

CASUS I

Damasus sacerdos, multis distractionibus obnoxius, interdum incepto Canone dubitat num iam consecraverit. Hinc plurimis anxietatibus torquetur. Si enim pergit nihil repetens, toto tempore Sacri timet ut consecratas species ante se habeat ; si formam repetit, a confessario suo graviter carpitur, quasi augustissimum sacramentum irreverenter tractet.

SOLUTIO. — Si dubia illa Damaso oriuntur dum eam partem canonis recitat quae consecrationem subsequitur, poterit interdum ministrantem (si hic satis idoneus sit, neque scandalum ex hac quaestione passurus videatur) interrogare num iam elevationem fecerit : qui si affirmaverit, profecto consecrationem iterare non licet. Neque eandem iterare licet si dubium mere negativum habet, quin distincte recordetur consecrationem omissam esse : habetur enim moralis certitudo ob locum orationum ad quem pervenit. Si eadem dubia sacerdotem vexant dum recitat eas orationes quae consecrationem praecedunt, praesumendum erit eam nondum peractam esse : nisi forsan sciret se interdum in eas orationes relabi e distractione atque, interrogato ministro, audiret elevationem factam esse. Tandem fieri posset ut dubitare inciperet Damasus quando plane nescit quo pervenerit. In hac tertia hypothesi, si nihil certi ope ministrantis rescire queat, non est vituperandus Damasus quia formam sub condicione repetat : tale

enim dubium non est prorsus inane, ac proinde sufficit ut saltem liceat iterare formam. Immo plerumque, nisi Damasus sciret se facilius quam par est dubia concipere, consecratio iteranda foret : habetur enim dubium quod Missale vocat *valde probabile* (n. 177, IV). Hinc patet nimis severe cum Damaso egisse confessarium : nisi paenitens simul scrupulosus foret et creberrime dubia conciperet, quae tantum ex animi anxietate orirentur. Optimum consilium daret confessarius si iuberet paenitentem numquam memoriter Canonis orationes recitare, sed semper accurate libri folia vertere eaque oculis percurrere.

CASUS II

Leonidas sacerdos, indole haesitabundus, saepe verba consecrationis iterat. Ex ipso enim timore ne omnia non rite pronuntiet, crebros errores seu maiores seu minores admittit. Ita quondam consecrationem sub condicione iteravit quia dixerat : « Hoc est enim calix sanguinis mei », alia die quia omiserat verba « mysterium fidei », tertio, quia nimis festinando dixerat *sanguis* pro *sanguinis* in eadem forma consecrandi vini ; quarto, quia pronuntiatis verbis usque ad vocem *sanguinis*, steterat, prae timore ne in malo statu versaretur, atque actum contritionis elicuerat.

SOLUTIO. — In quattuor illis occasionibus erravit Leonidas dum verba consecrationis iteravit. Etenim : 1° Ubi dixit : " Hoc est enim calix etc. „ formam minus latinam, sed eundem prorsus sensum habentem ac formam rubricalem pronuntiavit. Idem fere est ac si substituas synonyma (n. 110, 3°). -- 2° Omissio verborum " mysterium fidei „ nullam iustam rationem praebet ob quam de valore consecrationis dubitetur. Sane si tota pericopa . " novi et aeterni testamenti... peccatorum „ omissa fuerit, opinamur (n. 176, II) formam esse repetendam. Id tamen statuimus tantum ob rationem extrinsecam ex auctoritate magnorum DD. desumptam. Sed si pericopa illa moraliter integra pronuntiata fuerit, paucis verbis omissis, frustra quis ad hanc auctoritatem appellaret, cum de integra omissione tantum DD. illi egerint. Quare libenter consentimus Lehmkuhl (II. n. 129) opinanti, ob talem exiguam omissio-

nem, ne licitam quidem esse consecrationis iterationem. — 3° Ubi *sanguis* pro *sanguinis* pronuntiatur, nullus novus sensus formulae affunditur. Liquet hic agi de mero lapsu linguae, neque alium sensum intendi a sacerdote quam genuinum (n. 110, 3°). — 4° Liquet moram a Leonida factam in media consecratione et actum contritionis interpositum ad ineptias scrupulosorum pertinere. Neque timendum erat ne verba addenda non unirentur moraliter cum praecedentibus : si quidem unius alteriusve momenti mora, qualem solent facere scrupulosi, non est satis diuturna ut unio impediatur (n. 110, 3°). Adde magnam probabilitatem consecrationis iam peractae, antequam verba omissa pronuntiarentur (n. 176, II).

§ 4. QUAM DIU CHRISTUS MANEAT IN EUCHARISTIA

CASUS I

Clodoaldus sacerdos, valde sollicitus ne minima S. Hostiae particula neglegatur, patenam, ubi ad communionem pervenit, per plura momenta super corporale trahere et digito abstergere ipsumque digitum lambere solet. Hunc irridet Menippus collega, qui contendit frustra digito colligi particulas tam exiguas ut nudo oculo perspici nequeant, cum Christus desinat esse praesens ubi particula desinit esse sensibilis.

SOLUTIO. — 1° Immodica est Clodoaldi cura in colligendis minimis particulis. Ei certe non suffragatur rubrica quae dicit tantum : " Colligit fragmenta *si quae sint* „ (Ordo Missae). Aliter omnino loqui debuisset Ecclesia si voluisset sacerdotem sollicitum esse de colligendis particulis quae nudo oculo perspici nequeant : quales ex hostia numquam non decidere manifestum est. Neque pro Clodoaldo stat ratio : nam praeterquam quod satis ridicula et indecens est actio radentis decies patenam digitumque lambentis, reverentiae sacramento debitae non consulit qui (quod vitari non poterit) in S. Sanguinem proiecit exigua fila vel cerei fragmenta. Potius censendus est Christus Dominus, ubi mirabile hoc sacramentum instituit, consensisse in eas mere materiales irreve-

rentias quibus particulae minimae, ministrorum suorum curam etiam mediocriter diligentem effugientes, exponantur necesse est.

2°In extremum oppositum abiit Menippus. Etenim carpendi non sunt sacerdotes qui leviter digito patenam radunt ut eas particulas colligant quas forte primo aspectu non perspexerint. Crebro enim fieri potest ut in patena maneant particulae quas visu mediocriter acuto et mediocri diligentia usus homo percipere queat. Neque profecto necessarium est ut sacerdos eas a tenuissimis particulis fili ceraeve distinguere queat: talis enim aptitudo nequaquam requiritur ut aliquid sensibile maneat; quam diu autem tale manet, habebimus realem praesentiam, immo etiam, iuxta communem theologorum sententiam, quam diu particula manet sensibilis cum aliis coniuncta (n. 178, I). Hinc patet temere applicuisse Menippum particulis, quae adhuc sola vel cum aliis sensibiles maneant, id quod procedit tantum de re quae nullo pacto percipi possit.

CASUS II

Radbertus parochus pro contione docet oves suas gravi irreverentia offici Eucharistiam ab iis qui, antequam gratiarum actionem per horae quadrantem instituerint, ecclesiam relinquunt, quia Christum in se praesentem, sine ullo honore, ad loca profana deferunt; acriter etiam invehitur in devotulas quae per plura momenta S. Hostiam in ore servent easque affirmat incurrere periculum amittendi omnes gratias sacramentales. Ipse autem solet magnam vini copiam consecrare quo diutius Christum praesentem servet uberioresque gratias consequatur.

SOLUTIO. — 1°Rectus est finis Radberti dum oves suas hortatur ad reverenter gratias agendum post acceptam sanctam communionem. Sed caveat ne excedat modum in exhortationibus suis. Peccati, praesertim gravis, non potest arguere eos qui actionem gratiarum non perducant ad quartam horae partem: cum, secluso contemptu, gravis peccati ne ille quidem esset reus qui fere statim ex ecclesia post communionem abiret. Vacare autem per quadrantem actioni gratiarum consuetudo est probanda sed non obligans. Ratio vero quam affert Radbertus non urget, nam valde dubium est Christusne post quadrantem iam cesset esse praesens.

2°In parem rationis defectum incurrit, ubi praxim illam devotarum increpat. Ne iis statuat esse peccatum quod potius ex inconsiderata devotione oritur, neve eas terreat periculo amittendi gratias, si sacra hostia in ore corrumpatur. Id enim falsum est : ex sensu hominum iam manducaverunt panem hunc, cuius manducationi gratiarum collatio alligatur. Atque, cum consiliis bene rexerit oves suas parum vel nimium devotas, ipse, quamvis pia sit persuasio, quo diutius Christus praesens maneat, eo uberiores, si actus devotionis interea faciamus, gratias nos colligere, tamen ne putet augmentum hoc fructus spiritualis per se proportionem habere cum quantitate vini consecrati.

CAPUT II

DE MINISTRO EUCHARISTIAE

§ 1. QUIS SIT MINISTER EUCHARISTIAE CONFICIENDAE ET MINISTRANDAE

CASUS I

Hubertus a Georgio, qui nuper facultatem erigendi sacelli domestici obtinuerat, rogatus est ut in eius domo Sacrum celebraret. In eo erat ut ad altare conscenderet cum a Sabina, piissima Georgii coniuge, rogatus est ut parvam hostiam communicaturae dandam consecraret. Petiit Hubertus num in Indulto Apostolico contineretur facultas distribuendae S. Communionis. et, cum nihil de hac re petitum concessumve fuisse audiisset, negavit se posse Sabinae votis annuere.

SOLUTIO. — Hubertus respondit iuxta communem sententiam : quamquam utiliter poterat addere non fore necessarium

novum recursum ad S. Sedem ut optata facultas obtineretur, sed sufficere Ordinarii licentiam. Attamen, si nulla expressa prohibitio in ea dioecesi facta est (quae sat raro fieri solet) quominus S. Communio a sacerdotibus in sacello domestico celebrantibus distribuatur, poterat etiam, opinioni probabili nixus, morem gerere Sabinae (n. 181, III).

CASUS II

Marcellinus parochus, tempore Paschali, vetuerat ne Leonardus, eius vicarius, vel alius quilibet sacerdos S. Communionem in ecclesia parochiali distribueret. Sed cum saepe moras necteret et fideles plures aegre tam diu exspectarent, non raro Leonardus prohibitionem parochi transgressus est. Sed et alia iurgiorum causa parochum inter et vicarium orta est. Hic enim, ad altare B. M. V. de Lourdes celebraturus, S. Communionem tribuebat quibusdam personis, ad illud altare ex devotione communicare cupientibus. Qua de re certior factus Marcellinus novum usum, tamquam corruptelam, prohibuit, Leonardo frustra allegante pro se Tridentinum (Sess. 22. c. 6) usumque Urbis Romae.

SOLUTIO. — 1° Per se iure suo usus est Marcellinus dum sibi Paschalem communionem reservavit, ac proinde graviter peccaret Leonardus si eius prohibitionem violaret quam diu inde nullum notabile detrimentum fidelibus oriretur (n. 181, III). Quid autem si, ut in casu, fideles quidam magnam molestiam patiuntur ob nimias moras parochi ? Censemus Leonardum minime carpendum esse si, praesumpta licentia parochi vel (si hic irrationabiliter dissentiret) Ordinarii, communionem distribueret, parocho vero rationes suas cum debita reverentia exponeret. Etenim non est censenda Ecclesia ius parocho tam artum tribuere ut nemo urgente necessitate illud infringere queat, ne fideles iure suo ad communionem praesertim Paschalem frustrentur, vel detrimenta communia enascantur dum quidam impatientia abrepti communicare omittant. Attamen si Marcellinus crebro tales moras necteret ac proinde saepe cogeretur Leonardus tardi pastoris vices supplere, res esset ad Ordinarium deferenda. Ius enim parochi non

est impetendum ab inferiore sacerdote, etiam quando Superior iure suo abutitur, si per tempus licet ad altiorem potestatem recurrere.

2° Iure suo prohibet Marcellinus ne ii, qui Sacro in quolibet altari celebrato affuerint, ibi communionem a celebrante percipiant. Etenim rationes a Leonardo allegatae probant quidem talem usum posse laudabiliter a parocho introduci, minime vero eundem esse necessario permittendum. Tridentinum enim, dum optavit ut fideles (Sess. 22. c. 6) communicarent quotiens Missae assisterent, nequaquam determinavit utrum ex hostiis praeconsecratis an ex hostiis nunc primum a celebrante consecratis communicare exoptaret. Usus autem qui Romae reapse viget, ut ad altare quodlibet in quo celebratur, petentibus detur S. Communio, probat hunc usum laudabilem esse, minime vero eum esse ubique introducendum. Igitur si Marcellinus timuit ne rei novitas (ut fit) ad abusus ducat, puta dum devotulae singulae ad confessarium aliumve sacerdotem cui afficiuntur, concurrant, ceteris obloquentibus vel irridentibus, non est improbanda prohibitio Leonardo imposita. Quid autem si nullum incommodum rationabiliter timetur, ut sane contingere potest si Leonardus est vir prudens et specialis ratio eius consilio favet ? Irrationabiliter egisset Marcellinus ; Leonardus vero ei parere deberet, tamquam legitimo Superiori, cum hic de mera devotione, non de stricta necessitate agatur.

CASUS III

Sabellius parochus Desiderio diacono, qui tempore feriarum in sua familia degebat, permisit ut S. Communionem matri suae aliisque fidelibus simul accedentibus ministraret, quamvis ipse nullo impedimento a communione distribuenda prohiberetur. Quamobrem vehementer increpatus est a Mario, qui inter collegas suas insignis theologi nomen gerebat ; ipse vero se tueri conatus est allegata huius regionis consuetudine.

SOLUTIO. — Si a consuetudine praescinditur, Mario consentimus : requiritur enim hodie, ut diaconus S. Communionem distribuat, necessitas saltem late sumpta, qualis non est nuda ratio fovendae maioris devotionis sensibilis in matre Desiderii (n. 181, IV).

Attamen si reapse in illa dioecesi vel provincia ecclesiastica a decem saltem annis passim solet talis facultas concedi diaconis, ob quodlibet motivum rationabile, etiam praesente sacerdote, Sabellio astipulamur : hanc enim consuetudinem rationabilem esse indubium est, siquidem cum primaevo diaconorum munere congruit. Sed cavendum est ne forte in consuetudinem dioecesis erigatur praxis paucorum parochorum vel quidam pauci casus e mera ignorantia orti (Vol. I. n. 126).

CASUS IV

Primitivus parochus, aegritudine prohibitus quominus celebraret, cum alius sacerdos deesset, sibimetipsi ex devotione S. Communionem dedit. Alia die, cum podagra constrictus iaceret, iussit aedituum ad se afferre ciborium ut ita communicare posset posteaque ad mulierem in articulo mortis positam deferre.

SOLUTIO. — 1° Primitivus recte egit ubi sibimetipsi communionem dedit, deficiente alio sacerdote (n. 182, V). Quid autem si forte diaconus in paroecia versabatur? Etiam in hac hypothesi eum improbandum non esse opinamur. Nec dicas cum Gury (Cas. II. n. 267) : ita iam desinere necessitatem ob quam licitum sit sacerdotem seipsum communicare, cum non desit alius sacramenti minister. Diaconus enim, in praesenti Ecclesiae disciplina, non est communionis minister nisi in casu necessitatis : quare ei committere facultatem dandae communionis est medium extraordinarium, aeque ac communicare seipsum. Censemus ergo sacerdoti fas esse eligere utrum medium maluerit. Id etiam probabilius censet, cum Suarez, La Croix, l. 6 p. 1. n. 481.

2° Probandum non est quod Primitivus commiserit aedituo ut ciborium ad se deferret : talis enim delatio laicis committi nequit nisi in casu necessitatis, quae nulla erat, cum de communione ob solam devotionem ageretur. Quod vero communionem ab aedituo ad moribundam deferri iusserit, per se non est improbandum, modo nullus alius sacerdos vel diaconus haberi posset qui tempore opportuno Viaticum ministraret (n. 181, IV). Attamen cum bonum commune privato praevaleat, non esset talis ministratio committenda laico si non nuda admiratio ob factum extraordi-

narium, sed verum scandalum timeretur, utputa minor reverentia vel etiam contemptus S. Eucharistiae, oblocutiones contra parochum, etc.

CASUS V

Nicasius, sacerdos Regularis, audita in die Resurrectionis confessione alicuius mulieris Anglicae, quae ad quasdam hebdomadas in Belgio versabatur, rogatus est ut ipsi S. Communionem daret. Negavit Nicasius id sibi fas esse ; urgere coepit paenitens ; tandem haec mussitans ad ecclesiam parochialem perrexit. Idem, cum eadem die Sacrum celebrasset in publico quodam monialium sacello rogatusque esset ut quibusdam S. Communionem porrigeret, prohibitionem Regularibus factam opposuit.

SOLUTIO. — 1° Frustra molestias movit Anglicae mulieri Nicasius. Nam paenitens peregrina erat ac proinde legi non suberat (n. 182, VI). Si forte timebat ne alii eadem occasione usi communionem peterent, poterat ei (deficiente sacello domestico in quod admitti valerent mulieres) ad altare remotum ducere. Quandoque tamen, ob incommoda illa extrinseca, petitionem paenitentis reicere posset sacerdos.

2° Perperam prohibitionem, quae ad solas Regularium ecclesias spectat, ad sacella monialium extendit Nicasius, praesertim ubi (prout res se habet in Belgio) moniales illae vota tantum simplicia emittunt. Lex enim de casu ad casum aliquatenus similem extendi non potest (Vol. I. n. 112, 3°). Neque in iis sacellis habetur ea necessitas quae RR. PP. induxit ut iuberent semel in anno ius parochorum in memoriam revocari plurimis fidelibus qui ad ecclesias illas confluunt. Fieri tamen potest ut Ordinarius prohibuerit vel iugis consuetudo obstet ne communio in die Resurrectionis distribuatur in eodem sacello : in utroque casu, Nicasius abstinere debuisset.

§ 2. QUA RATIONE EUCHARISTIA SIT CUSTODIENDA VEL AD INFIRMOS DEFERENDA

CASUS I

Tarasius singulis hebdomadis in sacello cuiusdam Congregationis Marianae quam moderatur celebrat, ut Sanctissimi benedictio sodalibus coadunatis dari possit. Generatim hostiam consecratam sequenti mane inter celebrandum consumit ; interdum tamen, si impedimenta quaedam oriuntur, eam per tres quattuorve dies, vel etiam usque ad sequentem Congregationis coetum in sacello illo omnibus clauso relinquit.

SOLUTIO. — Supponimus (quod fere semper contingit) nullum haberi S. Sedis privilegium ut S. Eucharistia in hoc sacello conservetur (n. 182. I). Non licebit igitur eam in hoc loco servare nisi ad breve tempus, quatenus praecise necessitas id postulat. Hos limites observat Tarasius dum uno mane consecrat, altero species consecratas consumit. Aegre autem excusari poterit S. Eucharistiae asservatio per tres, quattuor, immo et octo dies. Hoc enim spatium temporis notabile est, ac proinde cadit sub prohibitionem asservandae Eucharistiae sine indulto Apostolico. Deinde ipsa reverentia augustissimo sacramento debita postulat ne sine necessitate solum relinquatur in sacello clauso, etiamsi nullum est violationis periculum et regulae ecclesiasticae de custodia Sanctissimi, puta de lampade accensa, religiose observantur. Constat e responso S. C R. 15 nov. 1890 (Coll. P. F. n. 2165) : " Cum in pastorali visitatione Archiepiscopus (Compostellanus) deprehenderit in multis filialibus ecclesiis seu oratoriis alicuius paroeciae SS. Eucharistiam asservari, ubi Missa celebratur tantummodo vel Dominicis, vel quando sacrum Viaticum ad aegrotos ferendum desumitur, reliquum vero temporis spatium nemo illuc accedit, praeter sacristam ad alendam lampadem, ianuis clausis ceteroquin manentibus: hinc quaeritur : An SS. Eucharistiae sacramentum in iisdem ecclesiis servandum permitti possit. R. Negative, nisi per aliquot diei horas aditus pateat fidelibus SS. Eucharistiam visitare

cupientibus. „ Raro autem in magna civitate catholica, sat magnum incommodum occurret in celebratione Sacri ut vera necessitate excusetur huius modi asservatio SS^mi per tres, quattuor et praesertim octo dies. Certe sufficiens causa excusans non foret quod Tarasius personaliter impeditus alium sacerdotem celebraturum quaerere deberet vel quod ipsi molestum foret tam crebro ad hoc sacellum tendere, celebrandi causa.

CASUS II

Placidus, Superior Regularis, a quodam subdito suo monitus est quod clavis tabernaculi diu noctuque in mensa altaris, sub mappa recondita, maneret ; sed monitum nihili fecit, ratus nullum violationis periculum imminere ob magnum fidelium concursum ad ecclesiam monasterii. Similiter de sacris speciebus renovandis non curat, sed rem totam prudentiae aeditui laici Regularis committit. Quondam cum hostiae consecratae uno alterove mense in tabernaculo sacelli domestici ex oblivione remansissent, eas ad ecclesiam ferri populoque distribui iussit.

SOLUTIO. — 1° Saltem legem positivam (n. 183. II) violat Placidus dum sciens volens sinit aedituum clavem tabernaculi relinquere sub altaris mappa : qui locus *tutissimus*, qualem requirit Bened. XIV, dici profecto nequit. Immo etiam iam gravis neglegentiae reum se fecerat Placidus (nisi inadvertentia excusetur), quando nullam vigilantiam adhibuit ut resciret num regulae canonicae de custodienda tabernaculi clave ab aedituo servarentur : nam hanc clavem per alium custodire nequit nisi certus sit eum hoc tanti momenti officio rite fungi, quod non constabit nisi ipse hominem interdum inspiciat vel interroget. Inanis autem est excusatio Placidi : removeri quodlibet periculum iugi piorum fidelium praesentia. Hi enim saltem noctu non adsunt ; interdiu autem deesse vel astutia stupenda furum decipi possunt. Sed ponamus etiam casus contingere in quibus absit quodlibet serium profanationis periculum. Non est tamen in cuiusque sacerdotis arbitrio omittere cautelam quam RR. PP. universim omnibus ecclesiarum praefectis praescripserunt : secus numquam effectum suum obtineret lex

providentissima, quam crescens impiorum audacia civiliumque legum apostasia, sublatis sacrilegorum poenis, in dies magis necessariam reddunt.

2° Placido incumbit obligatio (nisi alius sacerdos tamquam ecclesiae praefectus vel sacrista fuerit constitutus) curandi ut quae de frequenti ss. specierum renovatione statuta sunt diligenter observentur (n. 184, V). Igitur aedituo laico, etiam Regulari, fidere nequit nisi norit eum de his statutis rite edoctum esse et officio suo diligenter fungi. Quod si de utraque illa condicione inquirere omittet, graviter vel leviter peccabit, prout ex adiunctis aeditui plus minusve prudentis et diligentis, aeris sicci vel humidi, ex numero maiore vel minore communicantium, etc. verisimiliter timendi sunt minores maioresve abusus.

3° Licite egit Placidus dum sacras species ab uno alterove mense consecratas populo distribui iussit, modo constet eas ab omni corruptione esse immunes : quod arbitrari licet si locus in quo servatae sunt siccus erat, neque ulla corruptionis signa in hostiis ipsis cernuntur. Nam nulla lex prohibet tales hostias certo valide consecratas distribuere, postquam lex quae frequentem ss. specierum renovationem praescribit scienter vel advertenter laesa fuerit. Si vero quaedam signa corruptionis, puta mucoris maculae in hostiis consecratis apparent, graviter illicitum erit eas fidelibus distribuere, cum dubia evadat praesentia Christi (n. 184, V). Hae igitur species essent sumendae a celebrante ante ablutiones, vel reponendae in tabernaculo, donec penitus corruptae in sacrarium proicerentur (n. 185, VII).

CASUS III

Anastasius parochus, dum gratiarum actionem post Sacrum instituit, quandoque a Turribio, timoratae conscientiae aedituo, admonetur remansisse in patena aliquas hostiae particulas. Ad eas igitur colligendas tendit collectasque in ciborium reponit cum ceteris hostiis consecratis. Quondam etiam integram hostiam super mappam altaris iacentem indicavit Turribius, eo die quo ss. species consecraverat populoque distribuerat. Hanc quoque in ciborium reposuit Anastasius, cum minime dubitaret quominus e ciborio elapsa esset dum ipse communionem porrigeret.

SOLUTIO. — 1° Fere semper dubium erit utrum eae particulae albae quae super patenam, in corporali etc. reperiuntur, sint pars decisa ab hostia consecrata an particula hostiae non consecratae, filum, etc. Rei enim exiguitate generatim prohibebitur sacerdos quominus hoc dubium dirimat. Quare perperam huius modi particulas hostiis consecratis immiscuit Anastasius (n. 185, VII). Si Sacrum ab alio sacerdote celebrandum manebat, hic particulam illam, super eandem patenam relictam, ante ablutionem sumere poterat. Si vero nullum Sacrum eodem mane celebrandum erat, videtur licitum Anastasio eam particulam absumere, quamvis non sit ieiunus : nam maxime veri simile est eam particulam non esse consecratam, cum vix aliqua sensibilis hostiae pars remanere possit in patena postquam mediocrem diligentiam adhibuit sacerdos ad eam abstergendam, ac proinde id quod ab aedituo timorato sacerdoti indicatur potest sumi a non ieiuno sicut, absolute loquendo, liceret de eadem non magis curare quam de particula lini vel chartae.

2° Recte hostiam integram ab aedituo repertam tractavit Anastasius, modo nullum prudens dubium exsurgere posset quominus e ciborio iam consecrato decidisset. Sed caveat ne citius quam par est ita concludat : nam si ciborium multis hostiis refertum erat, facile contingere poterat ut una elaberetur in mappam, dum ciborium ad offertorium vel ante consecrationem discooperiretur. Si tali dubio locus erat, hostia illa vel in alio Sacro sub condicione consecranda, vel ante ablutiones sumenda, vel tandem in tabernaculo reponenda erat donec corrumperetur, vasi distincto inclusa (n. 185, VII).

CASUS IV

Apuleius, parochus, sacras vestes, Sacro celebrato, exuerat cum ab aedituo certior factus est aliquam hostiae particulam in altaris mappa remansisse. Statim, stola et superpelliceo indutus, ad altare rediit particulamque reverenter deglutivit. Alia die, ab eodem aedituo admonitus parvam hostiam in altari iacere, cum nesciret utrum consecrata foret necne, eam in sacrarium proiecit.

SOLUTIO. — 1° Perperam egit Apuleius, ubi iam exutis sacris vestibus hostiae particulam, quam consecratam putabat,

sumpsit : debebat enim eam patenae vel ciborio impositam in tabernaculum reponere, eamque sequenti die ante ablutiones sumere vel curare ut alius sacerdos idem faceret. Excipe si forsan factum contigisset in sacello in quo nullum Sacrum brevi celebrandum esset, neque decenter servari posset S. Eucharistia, ut fit in oratorio rurali vel domestico : in his enim casibus merito praesumere potest Ecclesiae consensum ut eandem particulam sumat non ieiunus (n. 185, VI). Cfr. Gury, Cas. II. n. 274.

2° Graviter quoque defuit Apuleius reverentiae quam Sanctissimo debebat, ubi hostiam dubie consecratam in sacrarium proiecit. Quid agendum fuisset in hoc dubio, dictum est ad casum praecedentem. Atque ita agendum erit etiamsi levis tantum ratio appareat existimandi hostiam consecratam esse : summa enim dignitas sacramenti postulat ne ulli etiam dubio periculo irreverentiae exponatur, praesertim ubi illud sine magna molestia certo removeri potest.

CASUS V

Marcus in magno quodam districtu parochus, ubi S. Eucharistia occulte deferri potest iuxta Ordinarii statuta, interdum vehiculis publicis *(tramway)*, interdum velocipedio utitur. Tempore autem hiemali, aurae frigidae afflatum maxime reformidans, quotiescumque debacchatur Aeolus, caput auresque densissimo involucro tegit.

SOLUTIO. — 1° Non videtur probandus Marcus quod S. Eucharistiam defert curru publico vel velocipedio, nisi quando necessitas ad alterutrum medium adhibendum cogeret, ex. gr. si aegrotus Viatico muniendus tam procul distaret ut, nisi celeriter ad eum adveheretur sacerdos, timendum foret ne sine sacramentis decederet, vel magnae itineris molestiae curru utendum esse iuberent. Etenim indecorum est sacerdotem S. Eucharistiam inferre confabulantibus in curru publico. Velocipedii autem usus ad eundem effectum, saltem pro moribus regionis nostrae, haud satis conveniret cum extrema gravitate quae sacerdotem Sanctissimum gerentem decet : facilius tamen quam prior modus, probandus videtur, si mores regionis non obstant et periculum lapsus abest, cum equus ille ferreus per se non magis dedeceat sacerdotem quam animalis (n. 186, IX).

2° Si raro tantum, atque ubi speciale incommodum ex aeris inclementia timet, Marcus cooperto capite S. Eucharistiam defert, carpendus non est, cum iusta epikeia utatur (n. 186. X). Neque indecorum est, in tali necessitate, etiam aures tegere, ut patet e concessione quam S. Sedes sacerdotibus dioecesis Coloniensis fecit cooperiendi etiam aures inter delationem Viatici, si necessitas urgeat (Lehmk. II. n. 140). Si vero (qui potius casus propositus videtur) tam vehementer Aeoli vim reformidat Marcus ut crebro et quasi per modum consuetudinis, hiemali tempore, Viaticum capite cooperto deferat, facultatem ab episcopo postulare debebit : is autem ad hunc finem indultum S. Sedis postulabit, vel, si de paroecia rurali agitur, opinione probabili, quae ipsi hoc ius agnoscit, utetur.

CASUS VI

Sophia pia mulier, diuturna infirmitate lecto affixa, vehementer dolebat quod numquam S. Eucharistia refici poterat : tanta enim bibendi necessitate premebatur ut numquam ieiuna manere posset usque ad horam valde matutinam qua ad reliquos aegrotos Sanctissimum quandoque deferri solebat. Eius lacrimas miseratus, Sergius parochus S. Eucharistiam ad eam tulit brevi post mediam noctem, occulte tamen, ne populi admirationem excitaret.

SOLUTIO. — Benignam Sergii industriam probandam esse ducimus, modo raro ad eam recurrat, puta iis tantum diebus quibus solet ad omnes paroeciae aegrotos deferri S. Eucharistia, neque speciale statutum dioecesanum iubeat ut dispensatio ad ferendum Sanctissimum noctu ab episcopo postuletur (n. 186, XI). Attamen si Sophiae infirmitas, in iisdem adiunctis, diu duratura videtur, praestabit pro ea a S. Officio postulare facultatem ut aliquotiens per annum non ieiuna communicare valeat (n. 202). Deinde nulla sufficiens ratio apparet ob quam Sergius Sanctissimum occulte ad Sophiam detulerit, saltem si adeo occulta fuit ea delatio ut ne unus quidem clericus vel aedituus cum lumine accenso comitatus fuerit : non enim apparet quare posthabenda sit lex Ecclesiae, honorificam delationem praescribentis, ut vitetur admiratio quae forsan ob factum insolitum excitabitur, sed nullum spirituale detrimentum post se trahet.

§ 3. QUA RATIONE EUCHARISTIA SIT DISTRIBUENDA

CASUS I

Thraseas parochus, cum matrona quaedam tardius ad communicandum venisset et iam discessisset aedituus, nullam aliam vestem sacram invenit quam stolam violaceam in confessionali relictam : hac igitur indutus, neque ullo cereo lucente, S. Communionem piae feminae dedit. Alia vero die, cum indice vulnerato uti non posset, sacram speciem, in celebrando et communione distribuenda, inter pollicem et medium digitum sumpsit.

SOLUTIO. — 1° Laudandus est Thraseas quod S. Communionem dederit, sola stola violacea indutus ; adest enim causa iusta omittendi usus superpellicei et stolae quae colori festi respondeat, nempe molestia quaerendi aeditui vel repellendae piae feminae. Excipe si forsan tam prope abesset aedituus ut sine ulla mora vel molestia claves sacristiae haberi possent. Rarius aderit eadem difficultas accendendi duos cereos : si tamen adesset, luminis defectus eodem modo excusaretur (n. 187, I).

2° Pariter vituperandus non est Thraseas quod pro indice medium digitum adhibuerit, etiamsi fideles e sola devotione communicarunt, ipse autem e sola devotione celebravit : sufficit enim probabiliter iusta causa ad hanc rubricalem praescriptionem omittendam (n, 187, I et 252, IV).

CASUS II

Lycius confessarius, mane diei Parasceves, ad se venientem videt Barnabam, iuvenem ruricolam, qui rite confessus, declarat se nondum satisfecisse praecepto Paschali in paroecia e qua discesserat, sequenti autem die iter arrepturum esse summo mane in Australiam : cupere igitur ut sibi hoc ipso mane S. Communio porrigeretur.

Negavit Lycius fas esse hoc die S. Communionem dare : quare Barnabas tristis abiit, neque ante sequens Pascha ad S. Mensam accessit.

SOLUTIO. — Opinamur rectius egisse Lycium, si occulte communionem Barnabae tribuisset. Etenim prohibitio distribuendae S. Communionis in die Parasceves (n. 187, II) non videtur servanda cum tanto rigore ut eadem denegetur iis fidelibus qui, ob adiuncta prorsus extraordinaria, alia die Paschale praeceptum implere non possent. Accedit, in casu, periculum mortis quod Barnabae, e longa maritima navigatione, imminet. Hoc enim, licet iam non sit tam probabile ut inducat singulis navigaturis obligationem suscipiendae communionis in Viaticum, sicut veteres DD. docebant (n. 206, II), manet tamen sufficiens ut Ecclesia censeri possit consentire in hanc legis suae derogationem, quo securiores iter semper formidolosum fideles aggrediantur. Tandem ratio habenda erat difficultatis quam Barnabas forsan linguae anglicae ignarus habiturus esset ut, in Australiam advectus, confessionem instituere-ret, communionem recepturus. Dixi tamen occulte dandam fuisse communionem : nam curandum est, quantum fieri potest, ne publice lex infringatur eum aliqua fidelium perturbatione. Barnabas igitur ducendus fuisset in sacristiam vel sacellum religiosae communitatis.

CASUS III

Vitalis sacerdos, si quando S. Hostia in terram decidit vel inter vestes communicantium, eam statim apprehendere, nec quicquam amplius de casu curare solet. Quondam, dum s. speciem communicaturo porrigebat, pervidit aliquam particulam e S. Hostia decidentem : nihil tamen egit ad eam reperiendam. Alia die, cum aliquot SS. Sanguinis guttulas in altare effudisset, mappam purificatorio abstersit et satis factum putavit. Tandem celebrans in sacello monialium atque a Sorore aeditua rogatus ut ciborium purificaret, duas hostias singulis Sororibus communicaturis dedit, ne multas solus absumere deberet.

SOLUTIO. — 1° Per se venialiter peccat Vitalis ubi, hostia in terram lapsa, de loco mundando et aliquatenus abradendo non curat : generatim enim absque nimio incommodo rubrica illa servari poterit, absoluto Sacro vel post S. Communionis distributionem, si interim locus purificatorio vel strophiolo signatur. Attamen si quando specialis difficultas obstaret et satis constaret nullas remansisse in pavimento particulas visibiles (ut praesumi potest quando una hostia leviter in terram demittitur), peccatum nullum ex omissa hac purificatione oriretur. Talis autem omissio generatim excusatur ubi in vestes communicantium, in mobilem mappam aliumve locum aegre agnoscendum cadit species consecrata (n. 189, VI).

2° Nullum scrupulum fovere debet Vitalis de particula illa exigua quam ex hostia decidentem vidit : ad impossibile enim nemo tenetur. Iam vero plane inverisimile est talem minimam particulam albi coloris reperiri posse, ubi in mappam communionis et probabilius inde in vestes communicantis vel in terram decidit, etiamsi summa diligentia quaeratur, neque locus in quem ceciderit satis circumscribi potest ut commode abluatur.

3° Graviter reverentiae S. Sanguini debitae defuit Vitalis dum guttas e calice in mappam lapsas purificatorio tantum abstersit : manent enim sacrae species in utroque mappae et purificatorii linteo. Si paucae guttae ceciderant et penitus in linteum penetraverant, pergendum erat usque ad finem Sacri : quo absoluto, mappa erat auferenda et ter abluenda, calice supposito ; quodsi usque ad altaris petram penetraverat vinum consecratum, locus a sacerdote lambendus vel saltem abluendus erat. Si quando magna copia effusa esset sacra species, statim liquidum a sacerdote sorbendum esset, pleniore purificatione ad finem Sacri dilata (n. 189, VI).

4° Modo iusta sit causa ciborii eo die purificandi, puta quia iam urget lex ut renoventur hostiae (n. 184, V), vel quia per plures dies Sacrum in eodem sacello non celebrabitur, Vitalis inquietandus non est quia duas parvas hostias singulis Sororibus dedit : non enim ad fovendam falsam devotionem, sed propter rationabile motivum, ita egit sacerdos (n. 189, V).

CASUS IV

Martiali, in magna quadam civitate confessario, puella quaedam ignota in confessione declaravit se ancillari apud

impium quendam civem, cuius iussu, ante duos menses, S. Hostiam, ad mensam communicantium acceptam, in libro precum reposuisset ; postea tamen, paenitentia ductam, noluisse sacram speciem profanationi tradere eamque adhuc domi servare. Martialis paenitentem iussit quam primum hostiam ad ecclesiam referre relatamque, cum valde mundam repperisset, in ciborio ceteris immiscuit.

SOLUTIO. — Prudenter iussit Martialis puellam referre hostiam impie ablatam. Ad scandala vel deceptiones vitandas, generatim praestat ita agere quam ipsum sacerdotem eam quaerere. Accedit in casu specialis ratio, quod paenitens ignota est sacerdoti, ideoque a dolo muliebri cavendum manet. Sed laudandus non est Martialis quod hostiam redditam ciborio immiserit, fidelibus distribuendam. Praeterquam enim quod iam a duobus saltem mensibus consecrata est (n. 184, V), non videtur tam firma fides his mulierculis adhibenda ut hostia illa tamquam certo consecrata fidelibus tradatur. Praestabit ergo ut ipse sacerdos eam ante ablutiones sumat vel in tabernaculum, a reliquis distinctam, reponat (n. 185, VII). Cfr. Gury, Cas. II. n. 290 seq.

CAPUT III

DE SUBIECTO EUCHARISTIAE

§ 1. QUIBUSNAM LICEAT RECIPERE S. EUCHARISTIAM

CASUS II

Inter paenitentes Macrobii parochi reperitur Apollonia, bona vetula quae ob apoplexiam loquelae usum amisit. Haec rosarium revolvere, advenienti confessario subridere, interroganti annuere, pias imagines osculari solet : alia vel

clariora sanae mentis signa nulla praebet. Macrobius tamen singulis fere mensibus, postulante pia Apolloniae sorore, eius confessionem, quatenus potest, excipit eique S. Communionem defert.

SOLUTIO. — Apollonia semi-fatuis accensenda est. Non est igitur reprehendendus Macrobius si singulis mensibus ei absolutionem sub condicione largitur (n. 266, IV) et communionem concedit, modo S. Eucharistiam cum externa devotionis specie recipiat (n. 190, II). Nimium forsan videbitur eam singulis mensibus ad sacramenta admittere. Attamen si (ut ex adiunctis casus concludere licet) Apollonia, antequam apoplexia linguae usum amitteret, perinde atque eius soror devotionem profitebatur et singulis hebdomadis vel crebrius ad S. Synaxin accedebat, sat magna praesumptio internae devotionis permanentis habetur ut non nimis avara manu ei tribuatur panis quem tam avide antea expetebat; communioni autem praemittere absolutionem, maioris securitatis et puritatis gratia, decet.

CASUS II

Petronius parochus ad Seium moribundum vocatus, hominem reperit sensibus destitutum, nihil reluctantem, sed avide deglutientem quae in eius os infundebantur. Data igitur absolutione condicionata, S. Eucharistiam de more attulit particulamque aquae mixtam et cochleari impositam moribundi ori infudit : quam particulam aegrotus, sicut cetera, deglutivit.

SOLUTIO. — Recte egit Petronius, dummodo duae affuerint condiciones. Prior est ut satis certo cognoverit nulli irreverentiae periculo exponi Sanctissimum : quem in finem iuvisset dare Seio, ante Viaticum, particulam non consecratam, pariter aquae admixtam (n. 188, IV). Ceterum, cum nullatenus reluctaretur aegrotus, non erat timendum (quod saepe ab amentibus vel delirantibus timendum est) ne S. Hostiam sibi porrectam repelleret vel indecenti ratione inter Viaticum ministrandum agitaretur. Altera condicio est ut pie vixerit Seius : quod tamen late intellegendum est

de iis omnibus qui satis in religione catholica manent ut praesumi possint velle in articulo mortis sacramenta suscipere, cum ob nullam aliam rationem haec vita christiane acta requiratur (n. 190, II). Supponimus tamen Seium non duxisse vitam vere scandalosam, utputa aperti Ecclesiae hostis, concubinarii, etc., post quam statim, nullo paenitentiae signo dato, in delirium incidisset (n. 191, 4°).

CASUS III

Cyrinus parochus, vocatus ad Terentium moribundum ut eum ad ultima sacramenta recipienda disponat, frustra conatur eum adducere ad confessionem instituendam vel signa quaedam paenitentiae aut devotionis danda. Nihil enim aliud audit quam querimonias de doloribus corporis, gemitus, eiulationes. Hominem igitur sub condicione absolvit, sed Viatico et extrema unctione munire omittit.

SOLUTIO. — Verisimilius est Terentium ob acres dolores vel vim morbi caput invadentis delirasse : vix enim fieri potest ut homo sui compos nulla ratione neque consensum, neque dissensum suum significet ubi ad ultima sacramenta recipienda sacerdos hortatur. Itaque Viaticum ei dandum est, modo id sine periculo irreverentiae accepturus credatur (n. 190, II). Quomodo autem id dignoscet Cyrinus ? Poterit ei primum conferre extremam unctionem : nam ratio sufficiens datur ut invertatur ordo, quem praesens Ecclesiae consuetudo induxit, illam post S. Eucharistiam conferendi (n. 421, III). Si Terentius, dum preces super eum recitantur et unctiones fiunt, quietem se tenet vel etiam aliqua devotionis signa exhibet, sufficiens erit ratio opinandi eum quoque devote accepturum esse S. Eucharistiam ; si vero ungenti sacerdoti reluctatur vel aliter irreverentiam positivam ostendit, S. Viaticum ei dandum non est. In casu raro, nempe si constaret Terentium valde abhorruisse sacramenta et impie vixisse, tam mirus agendi modus haberi posset tamquam signum denegationis sacramentorum ; sed cum res semper dubia foret, saltem sub condicione absolvendus esset. Cfr. Gury, Cas. II. n. 309.

§ 2. QUAENAM DISPOSITIONES ANIMAE REQUIRANTUR

Punctum I. Dispositiones pro qualibet communione

CASUS I

Eulampius parochus, cum vespere diei Dominicae grave peccatum commisisset neque ullum sacerdotem praesto haberet apud quem confiteretur, dubitavit num sibi liceret, elicito contritionis actu, celebrare : tandem existimavit id sibi licitum esse, ne devoti quidam fideles, qui infra hebdomadam Sacro interesse solebant, dimittendi forent ac fortasse sinistras suspiciones de eo conciperent. Alia die, peccati cum ancilla admissi reus, praesto habebat confessarium, sed qui noverat nimias eius familiaritates cum ancilla ac proinde verisimillime intellecturus esset complicem : ob hoc incommodum duxit procedendum esse quasi nullus sacerdos adesset.

SOLUTIO. — 1° Plerumque ratio prior Eulampii non inducet gravem illam seu urgentem necessitatem quae hic requiritur (n. 193, III). Ad hanc certe non sufficit quod aliqui pii fideles infra hebdomadam Sacro carebunt, neque generatim serium est infamandi sacerdotis periculum, praesertim si quis interdum ob valetudinem, pigritiam vel aliam quamlibet causam abstinere solet. Quandoque tamen haec ratio sufficere potest, utputa si hac die ob novenam, peculiare festum similemve rationem populus magno numero ad ecclesiam confluet, vel si parochus iam mala fama in grege suo notatus facile gravioris sceleris insimulabitur.

2° Altera ratio ab Eulampio allegata valet, cum saltem probabile sit non posse complicem in confessione detegi : sufficit autem timor valde probabilis, qualis in casu occurrebat (n. 193, IV).

CASUS II

Eleutherius, paroeciae una leuca cum dimidia ab urbe distantis curam gerens, cum aliqua paroeciana sua in grave

peccatum inciderat. Nullus autem aderat confessarius nisi Dionysius, iuvenis vicarius, qui cum parocho unam eandemque domum incolebat. Sensit autem Eleutherius invincibilem repugnantiam adversus talem confessarium, quocum vitam communem utrique molestissimam fore praevidebat si hanc animi noxam eidem manifestaret. Neque urbem sibi adeundam esse existimavit Eleutherius, quia distantia unius alteriusve leucae a pluribus AA. sufficere dicitur ut censeatur deesse confessarii copia (S. Alph. l. 6. n. 264).

SOLUTIO. — 1° Non censemus vituperandum esse Eleutherium quia confessionem apud Dionysium non instituit (n- 193, IV). Non quasi excusari possent omnes Superiores a peccatis apud inferiores accusandis : quod Gury (Cas. II. n, 288) falso autumat sequi ex admissa huiusmodi exceptione in lege praemittendae confessionis Sacri celebrationi. Non enim singulis Superioribus occurrit ea invincibilis repugnantia ut peccatum suum fateantur apud eum ex inferioribus quem delegerint. Hic autem Eleutherius nullum habebat nisi vicarium, quocum cotidianum et maxime intimum commercium facere debebat, cum in iisdem aedibus commorarentur. Sentit praeterea non qualemcumque, sed vere invincibilem repugnantiam (quod minime commune est omnibus parochis apud vicarium suum confessionem peracturis). Vereri quoque potest ne iuvenis hac notitia plurimum perturbetur et molestias magnas experiatur in intimis relationibus quas, vi muneris sui, cum parocho habere debet.

2° Nequit universim statui num excusandus sit Eleutherius quod urbem non adiverit. Ut enim merito advertit S. Alph. (l. c.) : " Croix... recte ait cum Aversa et Dicast. hoc iudicandum e circumstantiis. „ Nempe examinandum est num vere magna difficultas exsurgat sacerdoti e distantia percurrenda, collata simul maiore vel minore percurrendi molestia. Sic excusabitur Eleutherius si pedibus urbem petere debet, per vias luteas taetramque tempestatem, si eius valetudo valde infirma est, si peccatum commissum est horis vespertinis etc. At si peccavit mane vel brevi post meridiem, via autem facilis est, neque tardior reditus, non apparet quo iure tale iter magnam difficultatem afferre diceretur. Nostris diebus rarius e distantia orietur notabile incommodum, cum ope currus publici *(chemins de fer, tramways)* brevi, pro exigua pecu-

nia, distantia non nimis magna percurratur. Nec posset se a gravi obligatione excusare sacerdos ob leves expensas quas communiter eiusdem regionis sacerdotes facere solent ob causas leviores, puta ad invisendum amicum vel animum recreandum. Excusaretur tamen sacerdos qui sat magnam distantiam percurrere deberet, licet propter vehiculorum copiam et maiora bona fortunae confessarium absque magna difficultate adire posset : ad excusandum enim sufficit ut res generatim sacerdotibus huius loci magnam difficultatem pariat, cum eadem pro omnibus obligatio statuenda sit.

CASUS III

Rusticus sacerdos, pravae consuetudini contra castitatem addictus, die Dominica sine ulla voluntate eam abrumpendi Missam inchoaverat. Ubi vero ad Offertorium pervenit, vehementer de luxuria et sacrilegio dolere coepit, elicitoque contritionis actu, Sacrum absolvit. Reliquis vero hebdomadae diebus pariter celebravit, cum se iustificatum esse existimaret, donec tandem feria sexta ad vicinum sacerdotem, confessarium suum, perrexit.

SOLUTIO. — 1° Ob infamiae periculum, licebat Rustico Sacrum absolvere, etiamsi pauci omnino id visuri vel cogniturі erant (n. 193, III).

2° Nisi simul urgeret celebrandi necessitas et copia confessarii deesset, Rusticus totiens violavit legem a Trident. expressam (Sess. 13. c. 7) quotiens Sacram infra hebdomadam celebravit. Etenim, etiamsi a celebrando abstinere vellet, tenebatur infra triduum confiteri, siquidem, necessitate urgente, absque praevia confessione celebraverat (n. 194, V). Si vero celebrare volebat, tenebatur, iuxta priorem legis partem, celebrationi praemittere confessionem, cum nondum iustificatus esset ope huius sacramenti sed tantum contritionis vel Eucharistiae cum attritione (n. 130, IV).

Punctum II. Dispositiones pro communione frequenti

CASUS I

Asterio confitetur iuvenis qui pluries per hebdomadam pollutioni indulgere solet, singulis tamen Dominicis ad

sacramenta accedit : quem cum videret tam exiguum fructum ex hebdomadaria communione percipere, confessarius iussit singulis tantum mensibus communicare. Plures vero collegii cuiusdam ecclesiastici iuniores alumni, qui vix ab uno alterove anno primam communionem fecerant, singulis hebdomadis confessionem apud eum instituebant. His suadebat ut tantum singulis quindenis ad S. Mensam accederent, veritus ne, pro aetatis levitate, non satis magni facerent tantum Dei donum, si crebrius communicarent.

SOLUTIO. — Neutro in casu sapienter paenitentes suos direxit Asterius. Iuveni enim illi luxuriae dedito communicare proderit, saltem singulis hebdomadis, quotiens satis bene dispositus accedit ut absolutionem assequatur. Quod si e sacro illo cibo non omnem illum fructum carpit quem carpere posset, dolere id debet confessarius instanterque hortari paenitentem ut fidelius divinae gratiae respondeat : oblivisci tamen non debet iam magnum fructum esse hebdomadariae communionis quod iuvenis, spiritu mundano devicto, tam crebro ad sacramenta percipienda accedat cum sincero emendationis desiderio. Pessimum autem remedium foret ei subtrahere gratias quas e S. Communione percepturus est. Neque nimis timendum est ne huiusmodi luxuriae servi sacrilegam communionem faciant. Si quando eorum dolor sufficiens non esset ad veniam peccatorum assequendam, saltem bona fide ad S. Mensam accederent ; neque propter meram possibilitatem vel probabilitatem talis materialis irreverentiae erga S. Eucharistiam relinquenda sunt eximia bona quae certo ex eius crebriore usu consequentur. Attamen si iuvenis ille sat constans videretur ut timendum non esset ne propterea ab usu sacramentorum recederet, posset Asterius non habitualiter, sed per modum actus extraordinarii eum iubere ut a communione abstineret quo efficacius stimularetur ad fructum maiorem ex ea percipiendum. Pariter vagus ille timor ne pueri propter aetatis levitatem neglegenter accedant, cedere debebit magnae utilitati quam iis certo contra nascentes passiones suppeditabunt gratiae sacramentales et inducta salutaris consuetudo hebdomadariae communionis. Tolerare quidem interdum potest confessarius ut quidam paenitentes rarius communicent quam confiteantur, seu ex quodam timore ne satis sint dispositi, seu ob difficultatem qua mane ieiuni adirent ecclesiam ;

idem vero suadere, per modum consuetudinis, numquam expedire ducimus.

CASUS II

Eusebius confessarius omnibus paenitentibus, cotidianae communionis desiderium manifestantibus, statim annuit. Feminas quoque devotas, quae singulis hebdomadis semel vel iterum communicare solent, ut crebrius, immo cotidie accedant, invitat, et si acquiescere nolint, ad alium confessarium pergere iubet. Quotiens vero occurrit iuvenis multis luxuriae peccatis irretitus, eum hortatur ut singulis Dominicis ad S. Communionem accedat, et, quo efficacius stimuletur, promittit eum, si huic consilio obsequatur, victoriam de luxuria assecuturum esse.

SOLUTIO. — 1° Antequam singulis paenitentibus, praesertim feminis, cotidianam communionem concedat, Eusebius sedulo inspiciat num satis intellegant quid petant et num supernaturali fine ducantur, iuxta decretum S. Congr. Concilii 20 Dec. 1905. Generatim quoque melius erit paulatim augere communionum numerum quam statim ad extremum limitem ire : ita enim melius servabitur tanti doni reverentia et existimatio (n. 196, 3°).

2° Laudandus Eusebius quod paenitentes ad crebrius communicandum invitat ; reprehendendus vero est quod mero consilio obsequi recusantes ad alium ire iubeat. Hac enim ratione nequaquam imitatur divinae Salvatoris mansuetudinem, qui crebriorem communionem per modum meri consilii proponit. Deinde, si hoc medium violentum prodest, idem sapienter faciet confessarius ad quem paenitens ab Eusebio repulsa perrexerit, et quilibet alius qui in eodem loco versetur : unde tandem ad crebram communionem obligabitur infelix mulier, ni confessario carere velit.

3° Iterum cum iuvene luxurioso sapientis zeli limites excessit Eusebius. Fallitur enim ubi hebdomadariam communionem tamquam medium infallibile vincendae luxuriae proponit. Id satis lugenda quorundam adulescentium experientia comprobatur : ne dicam de quibusdam sacerdotibus qui, licet multo crebrius cum requisitis dispositionibus communicent, in peccata turpia relapsi sunt. Idem plane congruit cum divinae Providentiae oeconomia : haec enim, licet nobis uberrima subsidia in sacramentis et prae-

sertim in Eucharistia praebeat, nullum medium assignavit quo infallibiliter et sine ardua propriae libertatis cooperatione, tentationes superemus. Prudenter ergo Eusebius, una cum copioso subsidio ex hebdomadaria communione sperando, paenitentem moneat de cooperatione praestanda : ne forte postea, dum se non obstante hebdomadaria communione relabi advertet, sacramento imputet defectum qui totus in eius nimis molli voluntate quaerendus est.

CASUS III

Felicianus confessarius, accuratissime devotas paenitentes de conscientiae suae statu interrogare solitus, iis frequentiorem communionem prohibet quotiescumque eas reperit defuisse quibusdam consiliis a se datis de examine particulari faciendo, de mortificationibus quibusdam exercendis, de ordine diurno servando, etc. Quandoque iis communionem subtrahit, tantum ut probet num hanc abstinentiam humiliter et oboedienter servaturae sint.

SOLUTIO. — 1° Fieri quandoque potest ut Felicianus merito aliquibus paenitentibus minuat communiones ob neglecta quaedam consilia sua, vid. si tanta esset illa neglegentia ut iam cotidina communio ab iis parvi fieri videretur. Sed luce clarius est id minime fieri quotiescumque paenitens unum alterumve perfectionis medium a confessario propositum neglexerit. Etenim, si modum excederet qui a frequenter communicantibus exigeret immunitatem ab omni peccato veniali plene deliberato, multo magis excederet qui postularet immunitatem ab imperfectione positiva : qualis ad summum foret huius modi omissio. Abusus sane esset si confessarius potestatem suam circa frequentem communionem non exerceret unice ad maiorem paenitentium profectum, sed ut suam dominationem in paenitentes magis absolutam efficeret.

2° Probatio per communionis prohibitionem, modo rarissime fiat, ad maius paenitentis emolumentum conducere potest : si igitur hac prudentia usus est Felicianus, laudem meretur. Cfr. Aertnys, Theol. Past. n. 232.

CASUS IV

Eulampia, sat crebro communicare solita, die quodam Sabbati, cum iam numerum communionum sibi permissarum exhausisset, ob anniversarium diem obitus pristini confessarii sui, vehementi communicandi desiderio capta est : cui cum multa devotione satisfecit. Communionem illam supra numerum solitum cum Calpurnio confessario suo pro tempore exsistenti manifestasset, tamquam inoboediens et temeraria obiurgata est : quippe quae sine facultate confessarii sui ad S. Communionem accederet.

SOLUTIO. — Immerito Eulampiam temeritatis et inoboedientiae arguit Calpurnius. Nullibi enim statutum est fideles ad singulas communiones licentia sui confessarii indigere, neque apparet quodnam periculum spirituale e tali actu transeunte oriri queat (n. 197, III). Quin potius hunc gratum animum erga pristinos confessarios laudare deberet Calpurnius, ut olim in purgatorio Eulampiae precibus et communionibus iuvetur : si tamen eam ad finem usque vitae inter paenitentes suas servare contingat !

CASUS V

Dum Thyrsus, tamquam confessarius extraordinarius, moniales cuiusdam monasterii audiebat, Sorori Eulaliae, cui ordinarius tres tantum communiones in hebdomada permittebat, cotidianam permisit. Verum Superiorissa scandalosum duxit monialem illam valde garrulam cotidie communicare : eam igitur iussit a communione abstinere donec confessarium ordinarium monuisset. Hic sororem Eulaliam gravibus verbis increpavit mandatisque suis stare iussit. Ipsa vero, suadente Thyrso, respondit se stare posse, secundum decreta S. Sedis, iudicio extraordinarii aeque ac ordinarii confessarii.

SOLUTIO. — 1° Thyrsus iure suo usus est dum cotidianam communionem Eulaliae concessit. Imprudenter tamen eo usus esset si nulla stringente ratione ad improbandum ordinarii confessarii iudicium devenisset : hic enim generatim multo aptior erit ad dispositiones monialium cognoscendas atque ad definiendum quanta communicandi frequentia singulis conveniat. Meminerit Thyrsus etiam sub sacro velamine latere filias Evae !

2° Superiorissa non satis prudenter egit dum rem detulit ad confessarium ordinarium. Plerumque enim inde fiet ut is irascatur plus minus adversus extraordinarium, nec tamen hic ipse deducatur ad mutandam sententiam, si, dum hanc protulit, noverit eam esse contrariam sententiae ordinarii. Itaque melius ageret Superiorissa monendo reverenter extraordinarium, supponens vel Eulaliam non satis recte exposuisse suum casum vel non manifestasse quid de cotidiana communione ipsi concedenda senserit confessarius ordinarius. Insuper garrulitatis vitium nequit dici in sensu stricto *scandalum* vel *gravis externa culpa*. Quare non habebat ius prohibendae Eulaliae a S. Mensa : quamquam si prohibitionem sine strepitu tulit, nullam gravem iniuriam intulisse videtur (n. 197, IV).

3° Vituperandus est ordinarius confessarius quod Eulaliam increpavit quasi ream (nisi forsan manifesto dolo Thyrsum decepisset), dum iure suo apud extraordinarium usa est. Nec potest *praecipere* ut in posterum mandatis eius de frequenti communione pareat, sed rursus tantummodo hortari eam ut serio consideret coram Deo num prudentia potius suadeat ut opus merae perfectionis omittatur donec sine animorum perturbatione probantibus Superioribus fieri possit.

4° Eulaliae liberum remanet ut vel confessarii extraordinarii vel ordinarii sententiam sequatur. Sed omnino convenit ut extraordinario manifestet iudicium ordinarii et quibus argumentis nitatur, et eundem roget num post haec audita priore sua sententia standum existimet. Quo facto et extraordinario affirmative respondente, iam sine ulla culpa eius licentia uti potest.

CASUS VI

Homobonus, cum ordinarium confessarium ageret in communitate monialium quae omnes tantum ter in hebdo-

mada communicare solebant, Sororem Beatricem, virtutibus et S. Communionis desiderio conspicuam, cotidie communicare permisit. Sed cum res insolita ceterarum invidiam et oblocutiones cieret, licentiam mox revocavit. Agebat quoque Homobonus confessarium extraordinarium in quadam communitate, cuius director principia valde severa de frequenti communione sequebatur. Pluribus huius domus monialibus concessit crebrius accedere quam ab ordinario confessario permittebatur, neque hunc de hac licentia monendum esse edixit. Sat diu moniales illae hac facultate Homoboni pacifice usae sunt, sed tandem res innotuit directori, qui vehementer de Homobono, tamquam de turbulento viro, conqueri coepit.

SOLUTIO. — 1° Beatrici Homobonus merito cotidianam communionem, saltem per gradus successivos, concessit. Invidia enim et oblocutiones quas haec facultas apud reliquas Sorores excitare potest ad scandalum mere pharisaicum pertinent, ideoque curanda non sunt. Ceterum detrimentum quod initio patietur bonum commune probabilius brevi cessabit et aliunde compensabitur salutari influxu exempli Beatricis, dum reliquae Sorores ad crebriorem communionem desiderandam et merendam incitabuntur. Quandoque tamen, sed ad breve tempus, facultas revocanda foret, vid. si magna discidia propter hanc piam singularitatem inter communitatis membra orirentur : quod tamen rarissime inter devotissimas feminas ob tale motivum continget.

2° Iniustas querelas contra Homobonum movet monialium alterius monasterii director. Licentiam enim frequentioris habitualis communionis manifestare iubentur moniales Superiorissae (n. 198, V), minime vero ordinario confessario.

§ 3. QUAENAM DISPOSITIONES CORPORIS REQUIRANTUR

CASUS I

Prudentius a tribus paenitentibus rogatus est num sibi liceret hac die communicare. Primus dubitat, quia dum os

lavabat quinque vel sex aquae stillas deglutiit ; secundus, quia noctu expergefactus, neque communionis instantis memor, bibit, nescit autem utrum ante vel post mediam noctem res contigerit ; tertius, quia cum vespere electuarium ori imposuisset, statimque obdormivisset, mane adhuc in ore saccharum solutum gustu apprehenderat.

SOLUTIO. — 1° Primus paenitens (nisi sit scrupulosus) a communione prohibendus est. Etenim ubi fideles qui non sunt scrupulosi, testantur se quinque vel sex aquae stillas deglutiisse, concludendum est non omnino exiguam quantitatem ab iis absorptam fuisse, ac proinde laesum esse ieiunium (n. 200. Reg. II). Hic enim loquendi modus denotat sensationem quam minimae quantitatis haustus non produceret. Aliter dicendum de scrupulosis : quippe qui praeter modum augere soleant quae eorum conscientiam perturbent.

2° Secundus paenitens communicare potest : siquidem invincibiliter dubitat utrum ante an post mediam noctem aquam sumpserit (n. 201, III).

3° Tertius quoque paenitens iubendus est tranquillo animo communicare : minime enim certus est se non esse ieiunum (n. 201,III). Nam veri simile est electuarium vespere ori impositum, ante mediam noctem solutum et absorptum fuisse : suavitas autem illa quam experrectus sensit paenitens reliquiis comestionis assimulanda est (n. 200, Reg. I). Secus dicendum foret si idem paenitens mane adhuc in ore sensisset electuarium totum eiusve partem, illudque seu solidum, seu saliva solutum, deglutiisset.

CASUS II

Evagrius vir timoratae conscientiae non raro confessarium suum adit, rogaturus num sibi liceat communicare : quondam quia pravae consuetudini rodendi ungulas suas ante communionem indulserat earumque particulam deglutierat ; alia die, quia, cum dentes penicillo sapone illito mundare soleret, aliquot pilos et saponis paululum deglutierat ; tertio quia, cum labia fissa gereret, saepe ea lam-

bendo exiguam sanguinis quantitatem deglutierat ; quarto tandem, quia exiguam herbam quam in os immiserat distractus sorbuerat.

SOLUTIO. — 1° Evagrius ieiunium non laesit, etiamsi magnam unguium suorum partem deglutiit, cum communiter verum alimentum non censeantur (n. 200, Reg. III). Neque putamus ab hac communi existimatione recedendum esse, ut vult Lehmk. II. n. 160, eo quod e chemia patet ungues in stomacho alterari posse, cum haec alteratio exigua non videatur dare huic materiae cibi rationem quam ei communis sensus denegat.

2° De pilis non est cur sollicitus sit Evagrius, etiamsi totius penicilli pilos deglutiisset, ob rationem modo allatam. Saponem vero, illaeso ieiunio, deglutire nequit; sed cum, in casu, sapo iam esset salivae permixtus, neque profecto voluntarie haustus sit, censendus est per modum salivae, ac proinde, illaeso ieiunio, absorptus (n. 200, Reg. II).

3° Neque de sanguine e labiis fissis sollicitus esse debet Evagrius : naturales enim operationes aspirationis et deglutitionis salivae vix fieri possunt quin hae partes ori tam vicinae lambantur et sanguis inde fluens absorbeatur, ac proinde Ecclesia censenda non est talia prohibuisse (n. 200, Reg. II). Idem dicendum si forte sanguis e naso vel e vulnere ori vicino in labia flueret et involuntarie deglutiretur.

4° Cum herba procul dubio cibi rationem habeat, eius sumptio ieiunium laedit (n. 200, Reg. I). Neque iuvat Evagrium quod involuntarie eam deglutivit : siquidem exceptio pro rebus parvis quae involuntarie sumantur procedit tantum de iis quae per modum salivae vel aspirationis ingrediuntur (n. 200, Reg. II).

CASUS III

Protasius sacerdos a quadam publica sessione paucis momentis ante mediam noctem domum rediit. Festinanter cibum sumpsit : ubi primum ictum horae duodecimae e turri vicinae ecclesiae audivit, statim a cibo sumendo destitit : ea tamen quae in ore habebat deglutivit.

SOLUTIO. – Communior sententia (S. Alph. l. 6. n. 282) tenet Protasium iam non fuisse ieiunum, quia cibum post mediam noctem in stomachum traiecit. Ac revera omnino consentimus ei abstinendum fuisse a Sacro celebrando si post primum ictum, vel etiam post primum e signis quae ictus in quibusdam horologiis praecedunt (Lugo, de Euch. disp. 15. n. 38), aliquid ori immisisset (n. 199). Si vero (ut in casu) deglutitur tantum post auditum primum signum, quod antea ori impositum fuerat, haud improbabilem censemus sententiam quam Gobat (Experientiae theolog. tr. 4. n, 276) tuetur, eum celebrare potuisse. Etenim sententia contraria etiam ab eius fautoribus (La Croix, l. 6. p. 1. n. 580) vocatur tantum *probabilior*. Ac revera videtur parum cum benigna indole legis ecclesiasticae consentaneum obligare hominem ad rem tam foedam, ut exspuat quod uno antea momento licite sumpserat: eo vel magis quod casus rarissimus est, neque licentia a nobis data periculum multarum violationum inducit. Saepe in praxi Protasius recurrere posset ad alia horologia domestica vel urbana, quae nondum completam horam duodecimam nuntient, modo non sint ex iis quae generatim tardius procedere cognoscantur. Cfr. Lehmkuhl, II. n. 159, nostrae solutioni faventem.

CASUS IV

Callisto, sacerdoti Regulari, confessiones in loco industrialibus operariis referto audienti, ultimo Sabbato temporis Paschalis, occurrit paenitens, qui, confessione absoluta, petit ut confessarius ipsi facultatem praebeat haustum aquae sumendi post mediam noctem ante communionem Paschalem : se, coram ardente fornace laborantem, sitim ferre non posse usque ad mane. Hortanti confessario ut hanc sitim tamquam paenitentiam pro peccatis suis ferat, respondet rem vires suas superare, et iam praecedentibus annis idem sibi a confessariis fuisse indultum. His auditis, Callistus, petitioni acquievit.

SOLUTIO. — Callistus, antequam petitioni acquiesceret, debuisset interrogare paenitentem num forte, dilata ad unam alteramve hebdomadam Paschali communione, vacationem a Sabbatino

labore assecutus, ieiunium servare possit. Si vero paenitens respondeat se vacationem a labore assequi non posse vel si talis dilatio non videatur expedire, quia paenitens praevidetur in gravia peccata relapsurus et aegre ad confitendum apud notos sacerdotes rediturus, vel timetur ne solus extra tempus Paschale ad communicandum accedere non audeat, censemus Callistum haustum aquae permittere potuisse, commendato tamen alto silentio de hac approbatione data. Etenim talis casus plane extraordinarius videtur per epikeiam excipi posse a lege communi, sicut per epikeiam excipitur casus sacerdotis primitias sollemniter celebraturi qui inadvertenter ieiunium violasset (n. 202, 3°). Quin etiam, in casu nostro, observatio legis potius in destructionem quam in aedificationem cedere videtur. Etenim si paenitens monetur eum, utpote qui moraliter nequeat ieiunus manere, non obligari ad communionem Paschalem peragendam, valde timendum est ne, sequentibus annis, neque ad confitendum accedat, ratus se *Pascha suum* agere non posse, atque ita, cum summo vitae christianae detrimento adiungatur iis tepidis fidelibus qui sacramentis ante ultima momenta recipiendis renuntiarunt.

CASUS V

Linus parochus, qui ab Episcopo binandi facultatem obtinuerat, quadam die Dominica, ablutiones inadvertenter sumpsit in priore Sacro. Nihilo minus, ne magna pars populi sui frustra ad Sacrum audiendum conveniret, iterum celebravit, quia lex Ecclesiae cum tanto incommodo non obligat.

SOLUTIO. — Si nullum aliud detrimentum ex omissa Sacri iteratione timendum erat quam quaedam populi admiratio et impossibilitas multorum implendae legis ecclesiasticae, Linus erravit : utrumque enim peccato ullo caret, neque vera damna post se trahit, ideoque ad excusandum a lege ieiunii Eucharistici minime sufficit (n. 202, 4° et n. 240, V). Atque haec saltem prohibitio eruenda est e responso S. Off. 2 dec. 1874 (Coll. P. F. n. 793). Roganti enim : " Num ob rationem scandali vel admirationis possit umquam celebrari secunda missa post primam cum iam fractum est ieiunium „, respondit S. Off. : " Negative „. In hac ergo hypo-

thesi populus monendus esset quare a Sacro iterando abstineat parochus, et quatenus populus, vel saltem aliqua eius pars, a Sacro audiendo legitime excusetur. Si vero maiora et insolita timenda sunt detrimenta, utputa murmurationes plebis contra parochum, quasi ob socordiam celebrare omitteret, vel peccata multorum qui, cum possent aliam missam in eadem vel in vicina ecclesia audire, praevideantur hoc officium neglecturi, censemus Linum iam sufficientem habuisse rationem Sacri iterandi (n. 202, 4°). Neque videtur obstare responsum mox cit. S. Officii. Cum enim in quaestione posita eodem gradu ponerentur *scandalum* et *admiratio*, supponere licet responsum intellegendum esse de scandalo latius dicto, quod admirationi aequivaleat. Neque propter illud responsum liceitatem talis celebrationis in omni casu reiecerunt auctores etiam recentissimi, ut Lehmkuhl (9ª edit. II. n. 162) et Aertnys (5ª edit. l. 6. n. 106). Verum est eos loqui de celebraturo, non de binaturo sacerdote; sed, si idem scandalum timendum est ex omissione alterius Sacri, non apparet quare sacerdos non posset iterare aeque ac posset primum celebrare. Ex hac bipartita solutione patet facilius posse sacerdotem non ieiunum iterare Sacrum ubi populus in officiis christiani hominis tepidus est atque ubi adhuc alteri Sacro sine nimio incommodo adesse potest, quam ubi magis vigent mores christiani vel, omissa iteratione, fideles ob distantiam aliamve iustam causam a Sacro audiendo excusantur.

CASUS VI

Camillus, ministerio animarum addictus in regione in qua pauci sacerdotes occurrunt, diebus Dominicis summo mane in uno loco celebrare, confessiones excipere, contionem habere etc. debet; hinc se transfert partim pedibus, partim curru publico, in locum pluribus leucis distantem, ubi iterum omnes illas pastoralis muneris partes explet, neque ante horam duodecimam cibum sumere potest. His tantis laboribus vires eius plurimum minutae sunt, ita ut gravem morbum serio timeret, neque tamen spes ulla affulgebat auxilii ab alio sacerdote obtinendi. In his angustiis consuluit doctum theologum num forte a lege ieiunii ecclesiastici ante alterum Sacrum servandi solveretur, cum lex humana

cum tanto incommodo, immo et periculo pessumdandae valetudinis, obligare nequeat.

SOLUTIO. — Misericordiam sane magnam meretur Camillus : utpote qui tanta pro animarum salute agat et patiatur. At ei non est indulgendum ut propria auctoritate ieiunium ante Sacri iterationem frangat. Etenim hic non agitur de casu aliquo rarissimo, sed de difficultate quae in quibusdam regionibus, puta in Stat. Foed. Americae et in multis Missionibus, crebro occurrit. Iam vero e documentis Pontificiis et praxi ubique recepta manifestum est S. Sedem sibi reservasse ius dispensandi ut per modum consuetudinis vel in casibus crebro occurrentibus ieiunium Eucharisticum ob gravem causam posthabeatur. Ut recte scribit Ball. P. (De Euchar. n. 175) : „ Absurde quis postularet ut iudicium de hac re ipsis fidelibus permitteretur, neque expediret ad hoc episcopos, multo minus parochos aut confessarios deputare : sic enim facile lex ieiunii brevi a praxi exsularet. „ Perperam autem applicat huic casui verum axioma : leges ecclesiasticas non obligare cum gravi incommodo. Etenim molestiae quam in ieiunio servando experitur Camillus se libere subiecit, dum se ministerio pastorali mancipavit in illa regione, stante hac severa Ecclesiae disciplina de ieiunio Eucharistico (Vol. I. n. 91). Si absolute nollet legi parere, deberet muneri e quo obligatio tam molesta oritur nuntium mittere. Si vero in sanctis laboribus suis perseverare vult, expediet difficultatem Ordinario exponere : qui, si labores Camilli minuere nequit, adire poterit ad S. Sedem ut dispensationem in eius favorem obtineat. Hunc recursum ad S. Sedem utilem ducimus in talibus adiunctis, etiamsi nulla spes datur obtinendae dispensationis : iuvat enim SS. Congregationibus innotescere difficultates vere maximas quae in quibusdam locis hodie sacerdotibus e lege ieiunii Eucharistici diebus Dominicis ac festivis oriuntur, ut pro sua sapientia dispiciant num forte aliquas mitigationes, saltem per particulares dispensationes, concedere necesse sit.

CASUS VII

Chrysostomus, in die Nativitatis Domini, iam duobus Sacris celebratis, tertium sollemniter inceperat. In ecclesia populo referta, stipantibus diacono, subdiacono multisque

acolythis, angelicum cantum *Gloria in excelsis* pleno ore inchoaverat, cum subito, mirantibus et dolentibus quam maxime fidelibus, cum toto comitatu suo in sacristiam rediit iam non reversurus. Quid causae erat ? Recordatus erat se in altero Sacro sumpisse ablutiones.

SOLUTIO. — Censemus Chrysostomum pergere potuisse in Sacro celebrando. Profecto in tali casu, postquam iam bis Sacrum celebraverat, nullus locus esse poterat sinistris suspicionibus, vix etiam ullus scandalo proprie dicto, cum plerique fideles iam obligationi suae, in tanta Missarum copia, satisfecisse censendi essent. Attamen tam indecore videtur haec Sacri sollemnis interruptio et maxima inde nata fidelium adstantium miratio, ut Ecclesiae consensus ad pergendum praesumi possit. Secus dicendum foret si Sacrum nondum inchoatum esset : declaratione enim populo facta, quaelibet pravae suspicionis vel murmurationis causa tolli potuisset (n. 202, 4°).

CASUS VIII

Calepodius adulescens multa peccata solitaria luxuriae apud Callistum confessus erat die Sabbati. Die autem Dominica mane redit novamque pollutionem accusat noctu commissam. Hunc relapsum cum audivisset, Callistus iussit adulescentem a communione hac die accipienda abstinere.

SOLUTIO. — Regula, qua de responso Callisti iudicandum est, e circumstantiis et praesertim e dispositionibus paenitentis desumenda est (n. 203, VII). Si Calepodius iam est sui iuris, talis reditus ad confessionem statim post lapsum plerumque probat optimam voluntatem, cum iuvenes iam sibi relicti generatim seipsos plurimum vincere debeant ut ita crebro ad confitendum accedant. Quare veri simile est paenitentem iam plene animum suum a luxuria retraxisse et ea qua par est devotione accepturum esse S. Eucharistiam : e qua novum robur ad perseverandum hausturus est. Excipe si forsan, post plures huius modi relapsus celerrimos, expedire videretur ut communio ei prohibeatur : quod tamen numquam faciendum erit cum periculo ne animo cadat vel a sacramentorum frequentatione removeatur. Quod si Calepodius nondum

est sui iuris sed alumnus collegii catholici, minus argumentum intimi doloris habebit confessarius in eius reditu ad confessionem, magisque timere debebit ne animo nondum plene a luxuria averso Christum in sinum suum excipiat. Ideo crebrius saltem quam in priore hypothesi saluti paenitentis et reverentiae sacramenti congruet communionem differri : quamquam haud aegre eadem concedenda videtur si aliae rationes id suadent, utputa pudor iuvenis non communicantis quando reliqui eius sodales omnes accedunt. Saepius etiam a communione removendi erunt qui ipso mane quo communicaturi sunt primum confitentur, cum aliis peccatis luxuriae, peccatum hac die commissum : hi enim nulla speciali diligentia supplent defectum fervoris, culpa tam recenti manifestatum.

§ 4. QUAE ET QUANTA SIT OBLIGATIO SUMENDI EUCHARISTIAM

Punctum I. Obligatio communicandi ex lege divina

CASUS I

Paschasius confessarius Hedwigem paenitentem suam, quam crebro in peccata luxuriae solitaria relabi dolebat, iussit singulis saltem hebdomadis ad S. Communionem accedere. Cum praecepto non paruisset puella : « Iam nefas mihi est te absolvere, inquit : recusas enim medium adhibere quod tibi necessarium est ad gravia peccata vitanda. »

SOLUTIO. — In arbitrio Hedwigis erat eligere inter varia media quibus ipsa impetratura esset illas uberiores gratias quibus tentationes luxuriae vincere efficaciter posset, qualia essent crebriores orationes, cotidiana Sacri auditio, sollicita custodia sensuum, parvae mortificationes quae voluntatis robur augerent, etc. (n. 206, II). Paschasius autem erravit ubi eam iussit absolute hoc medium crebrioris communionis adhibere, siquidem ei declarare tantum poterat officia quae ei e lege divina et naturali incumbebant (n. 360). Potuisset tamen denegare vel differre absolutionem paenitenti si eam cerneret conatus quoslibet detrectantem ad pra-

vam consuetudinem vincendam : quamquam raro satis constabit de voluntate tam graviter mala ut dilatio non sit tantum opportuna, sed obligatoria.

CASUS II

Sabinus parochus, cum perrexisset ad Sabellium, virum opibus praestantem, qui gravi morbo laborabat, plurimum instare debuit antequam aegroti cubiculum ingredi permitteretur : timebat enim eius uxor Kantianilla, ne nigrae vestis conspectus lugubres cogitationes marito immitteret. Conspecto Sabellio, statim intellexit Sabinus periculum, saltem probabile, mortis adesse. Sollerter igitur hominem disposuit ut statim facta confessione animam in tuto collocaret. Peracta confessione, rogavit parochus num statim Viaticum afferre posset. Reponunt Sabellius et Kantianilla : rem non ita urgere, spem bonam fovere medicum. Tristis abiit Sabinus : eadem autem nocte Sabellius sine sacramentis e vivis excessit.

SOLUTIO. — 1° Laudandus Sabinus tum quod ad aegrotantem etiam non vocatus perrexerit, tum quod statim ac periculum agnoverit, conatus sit bona confessione animam moribundi in tuto collocare eumque inducere ad Viaticum suscipiendum. Immo utrumque facere tenebatur si periculum plane certum erat, licet de salute aegrotantis minime desperaretur. In his enim adiunctis urgebat Sabellium obligatio suscipiendi Viatici (n. 206) : quare pastoris animarum erat eum de hac gravi obligatione et periculo monere. Neque tale periculum abesse demonstrant, praesertim nostris diebus, verba medici, qualia in casu recitantur : cum tam multi medici periculum verbis minuant, magis solliciti ut familiae placeant quam ut spirituali aegrotantis saluti consulant. Attamen si ipse parochus aliquatenus de periculo dubitaret, niti posset declarationibus medici, praesertim catholici, ut ab urgenda obligatione abstineret (Gury, Cas. II. n. 305).

2° Per se graviter peccant Sabellius et Kantianilla dum obstant ne parochus Viaticum afferat. Attamen cum saepe huius gravis culpae conscii non sint, cavere debet parochus ne frustra eorum

bonam fidem evacuet. His in casibus praestabit graviter monere tam consanguineos quam ipsum moribundum : huic enim multo maius periculum imminet, si forte ob detrectatum Viaticum graviter peccaverit.

CASUS III

Lucanus, sacerdos Regularis, audita confessione Nicolini moribundi qui diu a sacramentis abstinuerat, eum admonuit de Viatico quam primum suscipiendo. At ille : « Bene, inquit, sed oportet ut Viaticum ad me omnino occulte afferatur. » Rem nuntiavit Lucanus parocho : qui cum respondisset id sibi minime licere, Lucanus ipse clam Eucharistiam ad moribundum detulit.

SOLUTIO. — Merito respondit parochus sibi nefas esse deferre S. Eucharistiam omnino occulte seu ita ut nullo exteriore apparatu dignoscatur Sanctissimum, quando nulla alia ratio datur quam inanis timor aegroti ne videatur morti proximus, ne eius amici eius conversionem noscant etc. Si enim talibus importunis postulationibus acquiescerent parochi, brevi de reverentia Sanctissimo debita in magnis praesertim civitatibus actum esset. Erravit igitur Lucanus ubi clam S. Eucharistiam ad moribundum detulit, invito parocho: immo, si temera praesumptione egisset (quod vix umquam continget), incurrisset excommunicationem simpliciter R. P. reservatam. Neque urgeas paritatem cum casu aegroti qui sacrilege communicasset (n. 604). Duplex enim discrimen datur : unum, quod hic casus sacrilegii rarus est, praesens autem casus sat frequens ut, si petitioni cederetur, periculum foret pravae consuetudinis invehendae ; alterum, quod in casu sacrilegii moribundus in vera necessitate constituitur occulte suscipiendi Viatici ni infamari velit, dum in casu nostro nulla necessitate premitur Nicolinus ; quin etiam, cum a pluribus annis a sacramentis abstinuerit, obligatur ad scandalum publica eorundem susceptione reparandum.

Punctum II. Obligatio communicandi ex iure ecclesiastico

CASUS I

Gregorius sacerdos extra confessionem rogatus est a Victore milite, qui toto tempore Paschali in contuberniis manere debuerat, num teneretur adhuc communicare. Cum affirmasset Gregorius, adulescens iterum petiit num sufficeret eum communicare mense Iulio, quo tempore vacationem assecuturus esset domumque paternam repetiturus : cui quaestioni respondit sacerdos, nimis longam esse hanc dilationem. Ubi vero ad confessionem accedebat in die Omnium Sanctorum, vel etiam longius a Paschate elapso, aliquis paenitens qui nondum infra annum communicaverat, iubebat eum semper ad paroeciam communicaturum accedere.

SOLUTIO. — 1° Cum tempore sat brevi a Paschali tempore elapso interrogaretur, merito respondit Grogorius manere Victori communicandi obligationem. Perperam vero negavit eum differre posse communionem Paschalem ad mensem usque Iulium : siquidem manebat tantum obligatio communicandi intra annum (n. 208, II). Laudabiliter tamen consilium dedisset iuveni ut, spreto humano respectu, citius communicaret.

2° Ubi iam tantum tempus a Paschate elapsum est, non est cur urgeatur haec accessoria obligatio communicandi in propria paroecia, cum ipsa principalis obligatio communionis instituendae probabiliter desierit (n. 208, II). Quod si paenitens huius modi post 1^{am} ianuarii accedet, licebit etiam recurrere ad opinionem quae tempus annuae communionis a 1^{a} ianuarii ad 31^{am} decembris computat (n. 207), ut obligatio communicandi pro anno praecedente iam censeatur impossibilis. Quin etiam mirarentur fideles se obligari ad communionem Paschalem pro anno elapso, quando prope instat novum tempus Paschale : quod fere aeque absonum foret ac si fideles, iuxta opinionem modo commemoratam, iuberentur communicare ultima die decembris si id antea nondum fecissent.

CASUS II

Fabianus parochus a Melania, pia muliere, rogatus est ut Laurentio eius marito minime pio, facultatem faceret communionis Paschalis per aliquot hebdomadas differendae, donec eorum filia primum ad S. Synaxim accederet, comitante utroque parente. Sed talem facultatem se habere negavit Fabianus.

SOLUTIO. — Immerito hanc sibi competere facultatem negavit Fabianus. Cum enim sit proprius sacerdos Laurentii, potest in eius gratiam uti facultate, quam proprio cuiusque fidelis pastori tribuit Lateran. Conc. IV, differendi communionem Paschalem " ob aliquam rationabilem causam „ (n. 207). Neque necessarium est ut causa haec sit defectus sufficientis dispositionis, ut plerumque in praxi contingit, cum Consilium id non addiderit (Gury, Cas. II. n. 457). Alia quaestio est : num expediat, in casu, hac facultate uti in gratiam Laurentii. Quamquam res a multis adiunctis pendet, sat proni sumus ut rationem sufficientem, in casu, affuisse opinemur. Laurentius enim, utpote minime pius, aegre adducetur ut bis brevi intervallo communicet ; communio autem quam cum filia sua instituet facile maiori devotione ab eo perageretur quam solitaria communio Paschalis. Attamen, si locus exiguus est et vir apprime notus, cavendum a scandalo omissae communionis tempore Paschali.

CASUS III

Cum in ecclesia quadam Regularium, decurrente hebdomada Passionis, habitae essent contiones Paschali praecepto implendo praeparantes, vir quidam confessionem instituit apud Reginaldum, eumque rogavit ut sineret die sequenti, nempe Sabbato ante diem Palmarum, communionem Paschalem instituere. Restitit aliquandiu confessarius, sed tandem impossibilitates plurimas alleganti ut ad diem Dominicam exspectaret, annuit. Idem confessarius anceps haeret utrum severe monere an in pace dimittere debeat

fideles non paucos, qui ultima temporis Paschalis Dominica vespere vel sequenti die mane accedunt.

SOLUTIO. — 1° Per se nefas erat Reginaldo annuere ut paenitens sequenti die communionem Paschalem institueret : cum nullo iure hanc facultatem acceperit. Debebat igitur suaviter, sed etiam fortiter, paenitenti obicere legem Ecclesiae, quam ipse relaxare non posset. Attamen in casu quodam raro cedere potuisset paenitentis importunitati, nempe si prudenter timeret ne paenitens, qui crebro in peccata mortalia labi et non nisi semel in anno confiteri soleat, ad confessionem redire nolit : unde vel sacrilegam communionem institueret, iam in peccatum relapsus, vel nullatenus communicaret. Nocivum enim videtur in his adiunctis legem Ecclesiae urgere (Vol. I. n. 127).

2° Hi tardi fideles obiective rem graviter malam faciunt. Licet enim uno tantum die post elapsum tempus Paschale communionem instituant, tempus ab Ecclesia statutum plane omittunt (n. 207). Attamen regulariter huiusmodi homines ad gravitatem talis mutationis non advertunt, ac proinde reapse graviter non peccant. Immo etiam si de eadem gravitate monerentur, rationem illius intellegere non possent. Eos igitur suaviter hortari et monere ut sequente anno citius accedant, non autem dure increpare expedit.

CASUS IV

Hilarius, brevi ante temporis Paschalis initium peregrinationem instituturus, neque ante eiusdem temporis finem rediturus, a Xysto confessario suo petiit ut antea communionem Paschalem instituere posset. Negavit Xystus sibi talem esse facultatem. Obiecit Hilarius molestissimum sibi fore adire ad ignotum confessarium in regione cuius linguam parum nosset, sed nihil amplius obtinuit quam hoc solatium : « Fili mi, haec est Ecclesiae lex : dura lex, sed lex ».

SOLUTIO. — Laudandus Xystus quod facultatem anticipandae communionis Paschalis negaverit : utpote quam dare non posset. Recte etiam iussit Hilarium praeceptum implere in qualibet

ecclesia loci in quo durante Paschali tempore versaretur (n. 209, IV). Sed nimis severe adegit paenitentem ut confiteretur et communicaret in aliena regione cuius linguam imperfecte nosset : ex hac enim circumstantia oritur sat grave incommodum ut praecepti impletionem differat donec ad propria reversus sit. Immo etiamsi illud grave incommodum non affuisset, notabilis repugnantia paenitentis ad ignotum confessarium adeundum satis fuisset ut confessarius uti potuisset facultate sibi facta a Lateranensi IV differendae communionis Paschalis ob causam rationabilem (n. 207).

CASUS V

Melania totum tempus Paschale actura erat, extra paroeciam suam, in oppido vicino, materterae cuiusdam suae societate fruitura. Antequam discederet, rogavit Lupum confessarium suum utrum in illo oppido Paschale praeceptum implere posset an ad illud implendum domum reverti teneretur.

SOLUTIO. — Ad paroeciam suam redire tenetur Melania si facile potest; si nequit, in oppido illo Paschale praeceptum implere debet (n. 209, IV). Plerumque sat magnam difficultatem dari putamus ut a redeundo excusentur qui via ferrea iter instituere deberent unice ut in paroecia sua communicarent, praesertim feminae, quae difficilius moventur quam viri. In casibus dubiis, peti poterit facultas parochi, vel etiam praesumi, si moraliter certum est hunc consensurum esse, puta quia valde benigne agit cum paenitente illa et locus amplus est (n. 209, IV).

CASUS VI

Rigobertus, ineunte tempore Paschali gravi morbo correptus et Sacro Viatico munitus, tam brevi convaluit ut, antequam tempus Paschale elapsum esset, ad ecclesiam pergere potuerit. Rogavit igiter Belisarium parochum num teneretur adhuc communicare ad satisfaciendum praecepto Paschali : « Omnino teneris, respondit Belisarius : nondum enim in parochiali ecclesia communicasti ».

SOLUTIO. — Censemus cum Gury (Cas. II. n 453) errasse Belisarium. Rigobertus enim praecepto Ecclesiae satisfecit quoad principalem obligationem : quod si communionem extra ecclesiam parochialem fecit, morbo impeditus, non magis obligandus est ut eam in hac ecclesia repetat quam qui, in itinere positi, alibi communicaverint. Adde : si parochus ipse Viaticum dedit, probabiliter satisfactum est eo ipso quod de manu parochi sumpta est communio (209, IV). Tandem finis legis obtentus est communione in Viaticum suscepta de manu parochi eiusve delegati : sic enim debitus honor exhibitus est proprio pastori qui iam de observata a Rigoberto lege securus erit (n. 209, V).

CASUS VII

Ludovica, quae diu aegrotaverat, tempore Paschali melius habere coepit. Petenti ut ad ecclesiam parochialem tendere posset, Paschale praeceptum impletura, negavit medicus id sine periculo fieri posse, cum ecclesia illa sat distans et frigida foret, permisit vero ut in proxima et calidiore ecclesia quadam Regularium communicaret. Medici consilium secuta est Ludovica, postea vero rogavit confessarium num, viribus plene recuperatis, iterum in parochia communicare teneretur.

SOLUTIO. — Iam non tenetur Ludovica communionem in ecclesia parochiali instituere. Etenim cum legitime impedita fuerit toto tempore Paschali quominus ecclesiam parochialem adiret, implevit praeceptum quatenus poterat, perinde atque ii qui ob rationem itineris ad ecclesiam parochialem tendere non possunt ideoque in alia ecclesia communicant (n. 209, IV).

CASUS VIII

Burchardus, confessiones in magna civitate audire solitus, interdum dubitat num fideles qui ex errore in alia ecclesia quam in paroecia sua communicaverint obligare debeat ad communionem in paroecia iterandam. Interdum etiam, ubi

monet paenitentes ut in propria paroecia communicent, vehementer sollicitatur ut permittat eos in alia ecclesia propinquiore communicare. Quidam allegant occupationes negotiationis vel famulatus, alii, nempe rustici, simultates quasdam cum parocho. Burchardus tamen contra omnes illos praetextus firmiter urget legem Ecclesiae. In hac tamen constantia vacillare coepit ubi plures, quos de adeunda parochia monuerat, vidit recta via ad scamnum communionis pergere.

SOLUTIO. — 1° Per se iterum communicare, et quidem in paroecia sua, tenentur fideles qui ex errore alibi communicaverint (n. 209, IV). Attamen saepe supponi poterit consensus parochi ut excusentur ab hac obligatione accessoria, quae sola manet implenda. Vel, si talis consensus supponi non posset, saltem generatim non expediret monere fideles tepidos (quales fere sunt ii qui in tales errores impingunt) de obligatione quam forsan violarent.

2° Videat Burchardus ne legem Ecclesiae urgeat cum detrimento potius quam cum aedificatione fidelium. Sane leve quodlibet incommodum per se non sufficit ut excusentur paenitentes ab adeunda ecclesia parochiali : siquidem haec est gravis obligatio (n. 209, VI). Sed prudenter in singulis casibus videat num, ob minutam et pene exstinctam in magna civitate utilitatem legis vel ob periculum ne tepidi fideles communionem omittant potius quam ecclesiam parochialem adeant, prudentia ad indulgentiam inclinet (n. 209, V).

3° Facta illa, quae in magnis civitatibus haud infrequenter contingunt, probant multos fideles non posse in animum suum inducere gravem obligationem legis cuius reapse utilitatem in iis locis percipere nequeunt. Neque videtur expedire ut eadem gravitas iis inculcetur, ob rationes modo datas. Nihil tamen impedit quominus confessarius moneat paenitentes ut propriam parochiam adeant, quatenus hoc monitum necessarium et utile fore indicabit.

CASUS IX

Martialis Regularis audit Sophiam amare querentem de Sigismundo parocho, qui eius filium, iam quattuordecim

annos natum, ad primam communionem admittere noluit, quia in adeundo catechismo neglegens fuerat. Iussit ergo puerum ad se venire, satis instructum repperit et brevi post in ecclesiam Regularium ad primam communionem admisit. Hinc graviter offensus Sigismundus communionem tum matri, tum filio denegavit ubi eam in paroecia percipere voluerunt.

SOLUTIO. — 1° Supponemus casum contingere ubi examen idoneitatis admittendorum ad primam communionem reservatur parocho, ut in Belgio, Gallia aliisque regionibus obtinet. Iam vero, in hac hypothesi, Martialis imprudenter ius parochi invasit quando puerum ad primam communionem admisit (n. 210). Quid ergo agendum erat ? Res ad Ordinarium deferenda erat, seu examinato puero, seu (quod praestare videtur) nullo examine praemisso. Etenim, etiamsi puer adhuc valde imperfecte doctrinam christianam norit, plerumque nulla spes fundata erit ut, diutius dilatus, melius eam addiscat. Igitur praesumendum est Sigismundum irrationabiliter iubere ut puer iam quattuordecim annos natus diutius exspectet. Praesertim irrationabilis erit maior dilatio si vera sunt quae Sophia narrat : eius filium differri tantum quia in catechismo adeundo neglegens fuit. Licet enim statutis dioecesanis, ut saepe laudabiliter fit, iubeantur pueri non admitti regulariter ad primam communionem antequam per duos annos catechismo interfuerint, id tamen tanto rigore intellegi nequit ut tantum propter nimias absentias a prima communione facienda prohibeantur qui ceteroquin scientiam sufficientem ostendunt vel maiorem numquam assecuturi praevidentur. Absona enim foret poena aliquem non indignum impedire ne praeceptum Ecclesiae impleat ; insuper plerumque liberi punirentur ob delicta parentum, quorum socordiae vel malae voluntati potissimum imputanda est puerorum neglegentia in adeundo catechismo. Summum, ubi pravi exempli corrigendi necessitas urgeret, prohiberi posset puer a prima communione sollemniter cum ceteris instituenda, sed permittendus esset eam privatim peragere.

2° Minime licebat Sigismundo publice denegare communionem matri et filio. Id enim agendum non est nisi cum publicis peccatoribus (n. 123, IV) : hi autem neque occulti peccatores sunt, cum valde probabiliter bona fide recurrerint ad Martialem et de eius manu communicaverint (Gury, Cas. II. n. 280). Excipi forte posset

casus in quo mater eiusve filius ad communionem accederent, postquam publice declarassent se parochum debellare velle : sic enim fieri posset ut denegatio necessaria fieret ad servandam parochi auctoritatem. Sed plerumque non deerit aliud medium quo hoc detrimentum avertatur : quare publica infamatio iam non erit licita.

Punctum III. De communione in viaticum suscipienda

CASUS I

Kantius gravi morbo correptus, mane S. Viaticum receperat cum, paucis post momentis, hostiam iam deglutitam sed adhuc integram cum aliis ciborum reliquiis evomuit. Rediit ad moribundum Eusebius parochus, hostiam evomitam secum in ecclesiam rettulit et cum audiisset a medico iam nullum subesse iterandi vomitus periculum, vespere iterum pium moribundum Viatico donavit.

SOLUTIO. — 1° Cum S. Hostia integra apppareret, merito Eusebius eam in ecclesiam rettulit ui in loco quodam sacro, puta in tabernaculo vel decenti armario, reponeretur donec corrupta sit et in sacrarium proiciatur (n. 179, IV).

2° Etsi, re speculative considerata, dici potest Kantium iam accepisse communionem et fructum eius, tamen, iuxta sensum communem hominum iudicando, nemo prohibebit practice quin rursus viaticum ei conferatur.

Eusebium igitur existimamus recte egisse, neque ei crimini imponemus quod ob maius moribundi bonum a consideratione speculativa recesserit.

CASUS II

Caecilia, cotidie communicare solita, mane S. Eucharistiam acceperat, cum vespere in morbum periculosum incidit atque ultima sacramenta recipiendi votum manifestavit. Statim Caius parochus dilectae oviculae suae votis annuit.

Qui etiam toto mense, perstante mortis periculo, cotidie S. Eucharistiam ad aedes piae feminae detulit quamvis plures, praesertim e devotulis, hanc frequentiam nimiam vocarent et cum quadam invidia tam sollicitam curam pastoris pro Caecilia intuerentur.

SOLUTIO. — Nihil est per se quod in modo agendi Caii non sit laude dignum. Etenim quod attinet ad Viaticum datum Caeciliae, quae iam eodem die communicaverat, laudabilius parochus illud iterat quam denegat : cum praestet, in casu dubio, inclinari in partem quae magis prosit fidelibus (n. 212, III). Pariter per se laudandus Caius quod piae feminae, cotidie communicare cupienti tempore morbi sicut sana facere solebat, morem gessit. Quid enim in hac re quod non sit ad maiorem animae salutem et fidelium aedificationem (n. 202)? Nec refert rem insolitam excitare aliquam admirationem vel etiam invidiam : haec enim minime curanda sunt ubi ad actionem in se rectissimam consequuntur. Per accidens tamen haec tanta Caii facilitas imprudentiae argui posset, vid. si in gratiam ceterorum paroecianorum, ad quos aeque facile accedere posset atque ad Caeciliam, Viaticum iterum deferre nollet ubi illud iterum recipere optarent ; ita enim suspicionem ingereret fidelibus tantam sollicitudinem potius e teneriore quadam amicitia aliove parum laudabili motivo oriri quam e zelo genuino, atque famae suae, qua ad bonum paroeciae suae tantopere indiget, plurimum noceret.

SECTIO II. — DE EUCHARISTIA QUA SACRIFICIUM EST

CAPUT I

DE NATURA ET EFFECTIBUS SACRIFICII EUCHARISTICI

§ 1. DE NATURA HUIUS SACRIFICII

CASUS I

Marcellus, dum Sacrum celebrabat, iam calicem magna ex parte exhauserat, cum sensit se aquam pro vino consecrasse. Post brevem haesitationem, aquam iam ore sumptam deglutiit, liquidum quod in calice remanserat cum particula S. Hostiae in vas mundum effudit et vinum iterum in calicem suum immisit. Tunc resumpsit verba consecrationis : *Simili modo etc.*, calicem coram mirante populo elevavit statimque sub formula consueta : *Sanguis D. N. I. C. etc.* exhausit. Tandem aquam cum particula S. Hostiae e vase mundo sumpsit.

SOLUTIO. — 1° Non tenebatur Marcellus ad aquam illam exspuendam : Ecclesia enim non est censenda obligare ut lex ieiunii tam foeda ratione servetur (Gury, Cas. II. n. 361 ; Bucceroni, Cas. II. n. 72).

2° Neque vituperandus videtur quod particulam S. Hostiae in vas mundum cum reliqua aqua effuderit, post SS. Sanguinem

sumendam, licet eam statim potuisset digito reverenter ex aqua extractam sumere. Uterque enim modus decens est, neque ullibi praescribitur ut unus prae altero eligatur in casu.

3° Si Missam in loco publico, ubi plures adessent fideles, celebrabat Marcellus, prout in casu contigisse videtur, laudandus est quod solum vinum iterum consecravit : si quidem ita prorsus egit iuxta Rubricas Missalis (de defect. IV). Omittenda vero erat illa elevatio calicis rursum consecrati quae mirationi provocandae apta erat. Quod si forsan nulli vel paucissimi aderant, aut sine ullo incommodo utramque consecrationem iterare poterat, utputa coram communitate monialium, non observavit rubricam : sed hic defectus certe venialis est, immo non improbabiliter spectari potest rubrica haec tamquam mere directiva, neque impediens quominus alteram sententiam magnorum Theologorum, quae intrinsece probabilior videtur, sequamur (n. 214).

4° Merito resumpsit Marcellus a verbis : Simili modo etc., dummodo tamen antea mentaliter oblationem vini peregerit (Rubr. Miss. l. c.).

CASUS II

Bessarion parochus die Dominica lagoenam vini, ut putabat, secum ad ecclesiam suam satis distantem detulerat. Sed cum S. Sanguinem sumpturus erat, advertit se pro vino liquorem alcoolicum (*rhum*) attulisse. Consilio secum inito, cum populus multus in ecclesia adesset neque ullum vinum in sacristia prostaret, pergendum esse ratus est ; quare quod in calice supererat hausit et reliqua de more perfecit.

SOLUTIO. — Licebat Bessarioni pergere, modo e distantia quae inter ecclesiam aedesque parochiales intercedebat, atque e populi frequentia et probabili impatientia, notabile oriretur incommodum ob quod censeretur moraliter haberi non posse vinum. Si tale incommodum non obstaret, aliquandiu exspectare debuisset, donec ex aedibus suis aliove loco viciniore vinum obtinuisset. Constat e principiis datis n. 213 seq. et ex Rubr. Miss. (de defect. IV) ; " Si nullo modo haberi possit, procedendum erit.... Quod si exspectando *aliquandiu* haberi possit, exspectandum erit. „ Debebat tamen Bessarion, si Missam prosequebatur,

omittere verba quae pertinent ad materiam vini, prout monet rubrica citata, puta in verbis quae sub ablutionibus sumendis proferenda sunt. Neque tenebatur panem et vinum consecrare in sacristia. Nam cum ibi etiam aliquandiu exspectandum esset, iam defuisset sufficiens unio inter hanc consecrationem et priorem in altari peractam. Id confirmatur e sententia quam AA. tenent de casu quo sacerdos defectum materiae advertit tantum ubi in sacristiam rediit. Nam plures, iique magni nominis, ut Suarez, Coninck, Tamburini et Gobat, negant aliquid supplendum esse, ob defectum continuitatis. Alii (Elbel. Theol. Mor. Sacr. de Euch. n. 150 ; Gury, Cas. II. n. 362) opinantur supplendum esse, modo detur in sacristia locus consecrationi conveniens : sed cum arguant ex eo quod tempus quo sacerdos ab altari ad sacristiam revertitur censetur moraliter continuum cum sacrificio, satis ostendunt suam sententiam procedere tantum de casu quo, ob vini copiam, statim compleri possit sacrificium.

CASUS III

Nicostratus, in die Nativatatis Domini, cum S. Sanguinem in secunda missa sumeret, mirabundus substitit : id enim quod bibebat neque puri vini, neque aquae cui paucae guttulae vini immixtae essent, gustum referebat, sed quasi aequis partibus ex vino et aqua mistum invenit. Ministrantem rogavit ut videret quid in urceolis esset, statimque patuit in utroque haberi vini et aquae mixtionem. Veri simillimum erat ipsum ministrantem urceolo quod vini semiplenum manserat aquam infudisse, urceolo semipleno aquae, vinum. In hoc dubio nihil iterandum ratus, Nicostratus secundum, immo et tertium Sacrum de more absolvit.

SOLUTIO. — Vere prudens dubium erat in casu, utrum valide an invalide consecratio altera peracta esset : incertum enim erat utrum vinum an aqua praevaluisset in mixtione adhibita (n. 171). Quae cum ita essent, debuisset Nicostratus allatum vinum consecrare, vel etiam utramque consecrationem iterare : numquam enim incurrendum est periculum relinquendi sacrificii incompleti,

quando facile compleri potest (Elbel. l. c. n. 151, Gury, l. c. n. 363). Recte autem egit Nicostratus dum tertium Sacrum celebravit, quasi omnia rite peracta essent : nam cum non esset certum id quod in secundo Sacro sumpserat non fuisse consecratum, laesio ieiunii non erat certa, ideoque a celebrando abstinendum non erat (n. 201, III).

§ 2. DE FRUCTIBUS SACRIFICII MISSAE

CASUS

Eleutherius, apud quem multae devotae feminae confiteri solent, quo magis sibi earum animum conciliet, passim paenitentibus suis promittit se ad earum intentionem celebraturum esse, ex. gr, in earum festo onomastico, ubi aliquod familiae membrum aegrotat vel e vivis excessit, vel ubi ipsae paenitentes, nullo tamen stipendio dato, postulant ut pro iis celebrare velit, etc. Tot tantisque promissionibus animos sibi devincit, nec tamen graviter oneratur, siquidem omnes illas intentiones adicit primariae intentioni ad quam, accepto stipendio, celebrat.

SOLUTIO. — Eleutherius a deceptione immunis est, si ipsi persuasum est valorem remissionis e Missa percipiendae non minui quando crescit numerus eorum pro quibus offertur : ita enim sincere existimat se tantum dare quantum promisit. Si vero, quod verius censemus (n. 218), valorem illum tanto minorem esse opinatur quanto pluribus applicatur fructus specialis, deceptionem aliquam continent illae multiplicatae promissiones (n. 229). Paenitentes enim, dum Sacrum sibi promitti audiunt absque primaria expressione fructus determinati, existimant se a liberalitate confessarii tantundem recepturas esse quantum, dato stipendio, vi contractus assequerentur : qua in re plurimum falluntur. (Struggl, tr. 10. q. 2. n. 68). Haec tamen deceptio levis est, cum huiusmodi promissiones profecto e sola fidelitate obligent (Vol. I. n. 607). Si quando paenitentes importune vexarent confessarium, Sacrum pro se celebrari postulantes, confessarium non vituperaremus qui, ut

se a molesta vexatione expediret, annueret postulantibus, restrictione late mentali usus, qua promissionem suam in sensu deminuto intellegeret. Melius tamen responderet : " Libenter tui, vel intentionis quam mihi commendasti, inter celebrandum Sacrum memor ero: „ Pariter probari posset praxis Eleutherii si in modo promittendi aliqua restrictio foret, quae propter divisibilitatem fructuum Missae (n. 222, VII) permitteret singulis tribui quod iis promissum sit, per unius Sacri celebrationem, utputa si uni promissum esset Sacrum ad impetrandam eius sanationem, alteri in gratiarum actionem pro vita a magno periculo liberata, vel si promitteretur tantum Sacrum oblatum iri ad obtinendum aliquem favorem ad quem impretrandum valor satisfactorius non requiratur, puta ut una paenitens in negotiis suis felicem successum habeat, altera vim ferendae tribulationis extraordinariae assequatur. Cfr. Elbel, l. c. n. 184.

§ 3. DE APPLICATIONE FRUCTUUM MISSAE

CASUS I

Domitius, multis distractionibus obnoxius, quandoque pridie annotat in libello quodam se celebraturum esse ad intentionem aliquam vi stipendii impositam, postea vero dum celebrat, videtur sibi nullam intentionem elicuisse et Sacrum ad aliam intentionem applicat. Quandoque etiam intentionem celebrandi elicit tantum inter utramque consecrationem.

SOLUTIO. — 1° Si altera illa intentione quam elicit Domitius Sacrum applicatur tantum e mera devotione, libertate vel fidelitate, valet applicatio prior, utpote validior et praevalens (n. 219, II). Unusquisque enim ita dispositus est ut velit prius satisfacere obligationi iustitiae quam meram liberalitatem vel fidelitatem exerceat. Cfr. Gury, Cas. II. n. 335.

2° Valet intentio post priorem, sed ante posteriorem consecrationem elicita. Cum enim satis constet ad valorem sacrificii eucharistici requiri utramque consecrationem (n. 214), tempus quo fructuum applicatio effectum suum obtinebit durat donec ultima verba essentialia alterius consecrationis pronuntiata fuerint.

CASUS II

Sosthenes religiosus iussus fuerat a Pacomio Superiore suo Sacrum litare ad altare S. Iosephi ad intentionem alicuius devotae mulieris, quae id fieri, dato stipendio, postulaverat. Postea autem Pacomius rogatus ut Sacrum in altari privilegiato ad intentionem viri nuper defuncti celebrandum quam primum curaret, Titium iussit Sosthenem monere ut prius huic intentioni satisfaceret. Verum, cum Titius nuntium perferre oblitus esset, Sosthenes Sacrum ad altare S. Iosephi, ad intentionem Superioris sui celebravit.

SOLUTIO. — Valuit applicatio Missae pro devota muliere quae prior eam postulaverat. Etenim eius valor non a voluntate Superioris, sed ab intentione sacerdotis celebrantis omnino pendet (n. 219, I). Iam vero hic, cum de mutata a Superiore intentione nihil audivisset, reapse voluit celebrare ad intentionem illam cui voluntatem suam conformaverat, prout ex ipsa circumstantia celebrationis ad altare S. Iosephi confirmatur. Neque obstat eum celebrasse ad intentionem Superioris sui: quae iam erat ut defuncto Sacrum applicaretur. Reapse enim per haec verba ore tenus vel mentaliter prolata, intendebat eam determinatam intentionem quam ei significaverat Pacomius. Excipe si (quod parum veri simile est) diserte intendisset ad actualem Superioris intentionem celebrare. Manet ergo celebrandum Sacrum ad altare privilegiatum pro defuncto (Elbel, Theol. Sacram. de Euch. n. 178 seqq.; Gury, Cas. II. n. 338 seq.).

CASUS III

Sebastianus schedulam acceperat a Reginaldo, qua rogabatur ut pro stipendio postea solvendo quinquies celebraret pro defuncta eius matre Camilla. Schedula sat festinanter lecta, celebravit quinquies Sebastianus ad hanc intentionem, sed cum sibi videretur rogatus fuisse ut pro Camillo Reginaldi patre celebraret, hoc masculinum nomen in orationibus

et in Memento pronuntiavit. Postea renuntiavit Reginaldo se pro eius patre Camillo celebrasse ; ille vero quicquam solvere recusavit, cum Sacrum nullum pro defuncto Camillo, sed pro defuncta Camilla postulasset.

SOLUTIO. — Inani cavillatione certam obligationem excutere conatur Reginaldus. Etenim Sebastianus reapse et certo satisfecit intentioni ad quam se celebraturum esse, acceptato contractu sibi oblato, spopondit. Vid. ut valeat applicatio sufficit se implicite conformare petentis Superioris aliusve intentioni, licet ignoretur quaenam haec fuerit vel per errorem existimata sit alia ac revera foret (n. 219, II). Quare seu reapse exstiterit ille Camillus, defunctus Reginaldi pater, seu mere ficticium nomen fuerit, applicatio facta est Camillae, iuxta intentionem petentis cui principaliter se conformare voluit celebrans, licet in ea explicanda erraverit (Elbel, l. c. n. 181, Gury, l. c. 342).

CASUS IV

Macarius sacerdos ab Ursula protestante rogatus est ut, accepto stipendio, Sacrum celebraret in honorem S. Antonii Patavini : nempe, cum audivisset multas res perditas illius Sancti intercessione a catholicis recuperari, sperabat se eius ope reperturum esse dilectum quendam canem a se nuper amissum et amare defletum. Libenter acceptavit Macarius, neque minus libenter obsecutus est Liborio, pariter protestanti, qui, pingui stipendio oblato, Sacrum pro se celebrari petierat : hic enim, licet obligationem ineundae Ecclesiae catholicae non perciperet, eius merita et cultum magni faciebat. Postquam vero utrumque Sacrum celebraverat, a quodam collega suo monitus est id minime licitum fuisse, ideoque stipendium reddendum esse.

SOLUTIO. — 1° Sacrum ad intentionem Ursulae celebrare non poterat Macarius : siquidem ad inventionem canis, minime vero ab obtinendam mulieris heterodoxae conversionem petebatur.

Constat e resp. S. Off. 19 apr. 1837 (n. 221, V) (1). Plures quidem AA., quos citat et sequitur Elbel (l. c. n. 152), olim id licitum affirmabant,quia licet fidelibus,immo et sacerdotibus communicare cum excommunicatis toleratis.Sed Ecclesia hodie videtur strictius illam communicationem prohibere ubi de iis excommunicatis agitur qui ad sectam heterodoxam pertineant : profecto quia in hac communicatione multa pericula,praesertim indifferentismi,occurrunt,quae a communicatione cum ceteris excommunicatis exsulant.

2° Per se non sufficiebat benignitas Liborii erga Catholicismum ut pro eo, accepto stipendio, celebraretur. Sed facile posset cum talibus protestantibus res componi ut licite,iuxta responsum modo citatum, acciperetur stipendium. Nempe iis dici posset : " Equidem libenter pro te celebrabo, cum sciam te nihil magis cupere quam ut veritatem religiosam cognoscas. Igitur si vis ut ad tuam intentionem celebrem, id faciam ut Deus tibi semper ostendat quae a te postulet utque ea cognita fideliter amplectaris. " Si protestans respondet se idem velle, prout plerique erga catholicam religionem tam benigni id facerent, iam petetur Sacrum ut impetretur conversio ad veram fidem, licet haec nondum qua talis sit agnita.

3° Post factum nihil restituendum est e stipendiis acceptis. Nam, etiamsi contra Ecclesiae legem peccatum est, valuit applicatio (n. 219, I).

CASUS V

Dionysius stipendium accepit ab Anna, olim Lutherana, nunc catholica, ut Missam pro illius patre, qui in Lutheranismo obierat, celebraret. Defuncta autem regina heterodoxa alicuius gentis cuius multi cives in regione illa versabantur, rogatus est ut sollemnes exsequias pro ea celebraret : cui petitioni libenter acquievit, ne catholici tenderent ad templum protestanticum, in quo simul sollemniter eidem reginae parentabatur. Tandem a muliere non

(1) Hoc responsum directe datum est de graeco schismatico, seu extra seu intra ecclesiam foret quando Sacrum celebraretur. Sed a fortiori aliis haereticis applicandum est : quippe qui magis a veritate catholica abesse soleant. Pluribus in rebus S. Sedes communicationem cum heterodoxis severius prohibuit his nuperis temporibus quam a pluribus AA. prohibita censeretur. Cfr. Vol. I. n. 199 seq.

baptizata rogatus ut pro eius valetudine celebraret, libenter pecuniam oblatam accepit.

SOLUTIO. — 1° Antequam stipendium ab Anna oblatum acceptaret, Dionysius inquirere debebat num cum indiciis vere probabilibus bonae fidei et status gratiae obiisset eius pater : quod tamen supponi posse videtur si filia testatur eum semper naturali honestati et religioni, iuxta sectae suae doctrinam, colendae addictum fuisse, neque indicium praebuisse ob quod censendus esset ab amplectenda fide catholica ob motiva mere temporalia abstinuisse. Posset quoque Dionysius declarare Annae sibi tantum licitum esse applicare Sacrum quod petit omnibus fidelibus defunctis, cum intentione subveniendi animae patris eius, si ita placeat Deo : quae declaratio si fiat, non videtur indagandum num speciales rationes sint existimandi Lutheranum illum in bona fide et gratia obiisse, quia sic non fit ei vera applicatio fructus specialis, sed conceditur tantum intentio secundaria. Sed quacumque ratione stipendium acceptatur, omittenda sunt tum publica denuntiatio Sacri pro tali anima celebrandi, tum specialis oratio liturgica pro defuncto (n. 221, V).

2° Illicite egit Dionysius ubi pro heterodoxa regina sollemnes exsequias celebravit. Neque eum iuvat periculum ne cum haereticis communicent catholici quidam : remedium enim malo peius adhibet sacerdos dum, pro privata quorundam communicatione, publicam inducit. Si quando eae circumstantiae forent ut ex omissis huius modi exsequiis grave damnum rei catholicae timeretur, sacerdos rem ad Ordinarium deferre deberet : cuius esset consulere S. Sedem num forte in prohibitione illa dispensare vellet (n. 221, V).

3° Per se licebat acceptare stipendium a muliere non baptizata. Neque in casu ullius scandali, erroris aut superstitionis periculum exstitisse videtur (n. 221, VI).

CASUS VI

Firmilianus sacerdos Regularis a Superiore suo iussus erat Sacrum celebrare ad intentionem novenae quam in honorem SS. Angelorum agebat communitas. Cum eodem die certior factus esset de obitu alicuius confratris pro cuius anima

pariter ex oboedientia duo Sacra celebrare debebat, simul pro utraque intentione celebravit, laetus quod ita uno Sacro duplici obligationi satisfecisset.

SOLUTIO. — Illicite egisset Firmilianus si forte novena illa ab eius communitate celebraretur ut satisfieret petitioni alicuius fidelis qui stipendium pro Missarum novena dedisset : sic enim Missa novenae debita esset e stipendio, ac proinde nullam fructuum separationem admitteret. Si vero e libera tantum devotione novenam illam institueret communitas, videndum praeterea utrum eadem tantum in gratiarum actionem pro beneficio iam accepto an ad novum beneficium obtinendum institueretur. Si prius obtinet, potuit utrique intentioni simul satisfacere, cum nihil amitteret illa defuncti anima eo quod Sacrum in gratiarum actionem pro alio beneficio applicaretur. Si vero posterius contingit, ut crebrius fiet, oboedientiam violavit Firmilianus ubi eam separationem fecit (n. 222, VII). Ubi enim regula vel Superior praecipit ut pro defuncto religioso Sacrum fiat, intendit ut tota eius efficacia applicetur huic animae : quod minime fit si in alium finem eius vis impetrandi applicatur (Gobat, Op. mor. t. I. tr. 3. n. 154).

CAPUT II

DE OBLIGATIONE CELEBRANDI

§ 1. DE OBLIGATIONE ORTA E CURA ANIMARUM

CASUS I

Polydorus parochus saepe infra hebdomadam a Sacro celebrando abstinet, seu taedio, seu excurrendi libidine : querentibus autem piis paroeciae mulieribus respondet se semper celebrare quotiens ex officio suo pro grege Missam offerre debet, ceteris diebus se minime ad celebrandum

teneri. Quodam anno cum festum S. Ioseph in Dominicam Passionis incidisset et, iuxta decretum S. C. R. 15 aug. 1892, in 20 martii translatum fuisset, tamquam in sedem propriam, existimavit se etiam hac feria secunda ad litandum pro populo teneri.

SOLUTIO. — 1° Errat Polydorus ubi totam suam obligationem *celebrandi* in gregis utilitatem definitam putat catalogo Urbani VIII, quo determinatur tantum quotiens populo suo Sacrum *applicare* debeat. Saepius enim celebrare debet si id iubent statuta Synodalia vel Ordinarii praecepta (n. 277, V). Quin etiam, si nullae huius modi particulares leges vel praecepta eum urgent, tenetur se consuetudinibus rationabilibus quae in loco vigeant accommodare, ne ignavia sua minuat in paroecianis suis devotionem quam, vi muneris sui, fovere deberet. Quare si plures fideles cotidie Sacro interesse solent, tenetur, quatenus nulla speciali molestia prohibetur, cotidie in eorum gratiam celebrare : quamquam, si interdum ob maiorem devotionem quaerendam, honestam recreationem similesque causas a celebrando abstinet, vituperandus non est, si quidem neque cum recepta consuetudine, neque cum aequitate naturali congruit ut nimio rigore ad cotidianam celebrationem obligetur qui munus parochi, saepe cum exiguo stipendio, suscipit. Cfr. quae AA. dicunt de capellano qui e fundationis lege cotidie celebrare debet : quem etiam a celebrando interdum iustis de causis abstinere posse concedunt (Berardi, Prax. Conf. n. 3524).

2° Similiter erravit Polydorus dum se obligatum reputavit ad celebrandum pro populo die ad quam translatum est festum S. Ioseph. Hic enim dies vere non est festus, neque a populo celebrandus, etiam ubi festum S. Ioseph de praecepto est. Verba autem " tamquam in sedem propriam „ ad solam recitationem officii, minime vero ad ceteras festivitatis obligationes referuntur. Ita S. C. C. 28 apr. 1888 solvit quaestionem sibi propositam de die 25 iunii ad quam, tamquam ad sedem propriam, translatum fuerat festum S. Ioannis Baptistae (n. 226).

CASUS II

Chrysanthus parochus quandoque diebus Dominicis in sacello nobilis familiae celebrat, dum alius sacerdos Missam

pro populo in ecclesia parochiali cantat. Eiusdem applicationis curam relinquit Metello, vicario suo, quotiens ob defatigationem aliamve causam, Missam parochialem cantandem eidem committit. Cum vero diuturna aegrotatione a Sacro celebrando abstinere debuisset, nimium onus duxit stipendium alii sacerdoti dare ut Missam pro populo celebraret : quare, si sacerdos quem ad celebrandum eius loco invitaverat, recusabat gratis pro populo applicare, obligationem tamquam impossibilem omittebat.

SOLUTIO. — 1° Per se peccat Chrysanthus dum Missam pro populo alii committit celebrandam ut ipse in nobilium sacello celebret (n. 221, IV). Et si crebro ita violat legem ecclesiasticam, ipsa voluntas eam crebro violandi grave peccatum fiet. Attamen si ratio quaedam particularis, puta ob speciale beneficium paroeciae collatum vel instantem sollicitationem, id postularet, videtur culpa carere, dummodo raro id fiat : nulla enim rationabilis causa esse potest ob quam parochus habitualiter ecclesiam suam pro sacello privato deserat.

2° Cum nihil cogat ut Missa populo applicanda cantetur, translatio cantus nullam iustam rationem praebet ob quam ipsa celebratio pro grege in vicarium transferatur. Si igitur, iustam ob causam, cantandae Missae onus in Metellum exciliat praesertim modo habituali, Chrysanthus celebret ipse in ecclesia parochiali et applicet Sacrum ovibus suis : sic enim nihil erit quod desit ex iis quae a S. Sede praescripta sunt (n. 227, IV). Cfr. Gury, Cas. II. n. 333.

3° Minime satisfecit obligationi suae Chrysanthus dum rogavit sacerdotem eius loco celebraturum ut Missam populo applicaret. Etenim debebat praeterea Missae stipendium, iuxta taxam dioecesanam, eidem sacerdoti offerre : id enim medium ordinarium est ad finem obligatorium. Quod si facere neglexit vel frustra fecit, tenebitur quam primum, cum sanatus fuerit, Sacra omissa celebrare (n. 227, V). Videtur tamen hanc curam alii sacerdoti committere posse si diu aegrotat, ne populus longo tempore qualibet applicatione privetur vel ipse postea Missarum celebrandarum numero obruatur : quae Ecclesiae voluntas censenda non est. Neque reapse impossibile censere potest Chrysanthus offerre eleemosynam sacerdoti celebraturo, si quidem ipse reditus beneficii parochialis non percipit nisi ut hoc aliaque eius onera susti-

neat, ac proinde pecunia illa danda est ei qui pro eo onus idem subeat. Quod si reapse inopia premeretur parochus, ut fieri posset in diuturna infirmitate, ad Ordinarium recurrere deberet, auxilii obtinendi gratia.

§ 2. DE OBLIGATIONE ORTA E STIPENDIO.

CASUS I

Rufinus sacerdos, acceptis decem francis ut quinquies pro sanatione aegrotantis celebraret, tam diu obligationem suam implere distulit ut aegrotus obiret priusquam celebrasset : quo audito, duo Sacra pro animae eius refrigerio Deo obtulit integramque summam servavit. Idem, cum parochus factus esset in loco celebris peregrinationis, stipendia quae magno numero ei, praesertim aestivo tempore, offerebantur, semper acceptabat : multa tamen Sacra vel alibi celebranda curabat vel sibi ipsi ad quattuor vel quinque menses servabat.

SOLUTIO. — 1° Graviter peccavit Rufinus, Sacris dilatis sat longo tempore ut eius morae tribuendum esset quod ante celebrationem moreretur aegrotus (n. 230, V). Ubi vero novit effectum iam obtineri non posse, pecunia danti reddenda erat : quod etiam praestandum foret, si, mortis inscius, celebrasset quando finis iam, propter culpabilem eius moram, obtineri non poterat. In his enim omnibus hypothesibus non praestitit condicionem sub qua pecunia in eius dominium transiit. Crebro tamen a restitutione facienda excusabit timor infamiae e tanta neglegentia imminentis vel etiam scandali : praesertim si decem illos francos a divite obtinuit, erga quem materiam gravem non constituunt (Vol. I. n. 507).

2° Sacra in loco peregrinationis oblata alibi celebrare non licet, si expressa testificatione offerentium vel aliis adiunctis constat velle offerentes ut in peregrinationis sanctuario offerantur (n. 233, XI) Iam vero hi crebro intendunt Sacrum in hoc sanctuario celebrandum : ideo enim stipendia in hac, non autem in sua paro-

chiali ecclesia offerunt, quia putant Sacra magis Deo placitura si in hoc peregrinationis loco offerantur, sicut preces ibidem facilius exaudiuntur. Pariter sola circumstantia quod multa stipendia in eodem sanctuario offerantur, non sufficit ut Missarum celebratio ad quattuor vel quinque menses differatur : plerique enim ad impossibilitatem promptioris celebrationis minime attendunt. Quare parochus curare deberet ut, seu affixa schedula, seu monitis ore tenus datis, fideles docerentur Sacra quae ibi postulentur saepe vel alibi celebranda vel sat diu differenda esse : quae notitia si vulgo haberetur, iam praesumi posset in offerentibus consensus in utramque communis legis derogationem. Atque ita hunc casum solvit S. C. C. 8 martii 1659 : " S. C. censuit... in posterum novas eleemosynas nullatenus recipi debere, nisi praevia expressa et clara monitione per sacristam seu per alium ipsis eleemosynis recipiendis praepositum facienda offerentibus, non posse tam magnum numerum Missarum in eadem ecclesia seu altari confestim celebrari, sed quod vel tractu temporis ibidem, cum commode fieri poterit, vel in alia ecclesia celebrabuntur. Id vero ut facilius innotescat, loco ubi eleemosynae offeruntur affigendam esse tabellam in qua praenarrata admonitio dilucide descripta sit, adeo ut sacrista vel praefatus praepositus eleemosynis colligendis aut offerentes, ut supra, expresse moneat, vel tabellam indicet. „

CASUS II

Gaudentius sacerdos ab Evaristo moriente quingentos francos acceperat ut 250 Sacra pro defuncti anima celebrari curaret. Huius pecuniae dimidiam partem aliis sacerdotibus tradidit, dimidiam sibi servavit. Verum, cum interim pluribus obligationibus applicandi Sacri occasione funerum, nuptiarum, pinguioris stipendii accepti etc. premeretur, quattuor fere menses iam elapsi erant, necdum plene sua 125 Sacra pro defuncto celebraverat. Iam timebat ne tanta dilatione peccasset.

SOLUTIO. — Violavit contractum initum et graviter peccavit Gaudentius, si Evaristus expresse postulavit ut quam citissime haec 250 Sacra absolverentur : in hac enim hypothesi, graviter

invitus censendus esset donator quominus Gaudentius tantam partem sibi soli exsequendam servaret et praeterea multos dies, sine vera necessitate, ut in accipiendis pinguioribus stipendiis, aliis applicationibus insumeret. Si vero nihil determinavit Evaristus, Gaudentium culpandum non esse arbitramur. Etenim, etiamsi expresse non significavit moribundus velle se ut magna pars illarum Missarum a Gaudentio celebrarentur, hic merito talem voluntatem praesumere potest, sive ob amicitiam qua eum prosequebatur Evaristus, sive ob aequitatem quae postulat ut, servitium praestans, Gaudentius aliquod emolumentum obtineat. Iam vero si 125 Missas merito sibi reservavit Gaudentius, non excessit modum si quattuor fere menses seu 120 dies insumpsit ad 100 primas missas celebrandas. Etenim sex menses tempus aptum esse ad 100 missas persolvendas habemus ex decreto S. C. Concilii 11 maii 1904, " *Ut debita*, „ quo quaestiones de stipendiis missarum manualium solutae sunt.

CASUS III

Leontius sacerdos Sacra quae propter stipendium celebrare tenetur saepe ultra duos menses differt, ubi pro defunctis celebrandum est ; ubi vero pro vivis, vel ubi ignorat quaenam sit intentio dantis, etiam ultra tres menses. Praeterea, cum experientia didicerit quandoque per tempus sat longum nulla sibi superesse stipendia, non recusat oblatam quandoque occasionem magnum eorum munerum coacervandi, licet iis infra quattuor vel quinque menses tantum satisfacere possit : id enim ni faceret, inopia laboraret, necessitas autem non habet legem.

SOLUTIO. — 1° Graviter peccat Leontius ubi Sacrum celebrare differt per unum mensem integrum ultra terminum licitae dilationis : haec enim dilatio manifeste notabilis est. Itaque graviter peccat si ultra duos menses differt Sacra ipsi singula a singulis commissa. Regula enim tenenda haec est, ut nisi tempus maius concedatur aut minus exigatur, una missa ab aliquo data sit celebranda intra mensem, 100 *ab eodem* oblatae intra semestre et sic proportionaliter. (Decr. " *Ut debita* „). Nec potest quis accipere

plura quam per se vel subditos suos dicere possit intra hos limites.

2° Nihil iuvat Leontium inopia in quam timet ne incidat ni Sacra accipiat quae tempore per leges ecclesiasticas statuto celebrare nequeat : contractus enim quem cum fideli dante eleemosynam init intellegendus et exsequendus est iuxta leges et receptas consuetudines (Vol. I. n. 593) : quare diutius differendo, sibi consulit cum iniuria aliorum, quod certo illicitum est. Ut inopiam vitet, poterit Leontius petere facultatem diutius differendi, si eleemosynam accipit ab iis qui suo nomine eam dant ideoque id concedere possunt. Poterit etiam utiliter inopiam suam exponere Ordinario, ut hic ei alia stipendia transmittat : nisi inopia in dioecesi sit generalis.

CASUS IV

Christina morti proxima obligationes quasdam Status commiserat Thaddaeo sacerdoti ut ex earum reditibus, qui erant fere 40 francorum, quotannis 20 Sacra celebrarentur. Duobus annis piam eius voluntatem exsecutus est Thaddaeus. Sed cum regnum cui incumbebat solvendi auctarii onus in inopiam incidisset praedictaeque obligationes iam nonnisi 25 francos producerent, Thaddaeus existimavit se non teneri ad celebrandas plures Missas quam ut pro singulis saltem duos francos (quae taxa erat dioecesana) haberet. Quare 12 Missas tantum celebravit eandemque normam in posterum servavit.

SOLUTIO. — Non videtur improbandus Thaddaeus quod huius modi reductionem fecerit quamdiu non sufficiebant reditus ad dandam eleemosynam in dioecesi taxatam (n. 230, VI). Etenim hic non agitur de reductione stabili, quae S. Sedi reservata est : neque Thaddaeus pinguiore stipendio antea accepto compensationem habuit pro defectu stipendii praesentis, neque ulla culpa deminutioni redituum causam dedit. S. Alph., qui de illa opinione dicit se eius probabilitatem iudicio sapientiorum remittere, eam ita complet (l. 6. n. 331. dub. 2) : " At quia in hoc facile intervenire posset periculum hallucinationis, advertit Ronc., generaliter loquendo, recurrendum esse ad iudicium episcopi (quod

necessario requirunt Croix l. 4. n. 855 et Tourn. t. 5. p. 793. Qu. 13) vel saltem viri docti et pii, qui non auctoritative, sed tamquam iustus arbiter numerum missarum moderetur. „ Verum ubi casus clarus est, non apparet quare Thaddaeus obligandus sit ad consilium Episcopi vel docti viri requirendum, cum periculum hallucinationis hic nullum appareat. Attamen unum francum quem supra taxam dioecesanam percepit, iungere debet auctario quod anno sequente percepturus est et quod iterum taxa dioecesana dividet.

CASUS V

Simon parochus in ecclesia sua nonnullas fundationes habet e quarum reditibus stipendium, taxa dioecesana maius, tribuitur ad Missas quasdam cantandas. Cum in fundatione illa dicatur has Missas a parocho cantandas esse, quotiens voluerit, ipse sibi excessum huius eleemosynae supra taxam dioecesanam retinet quotiescumque eas alii sacerdoti celebrandas committit. Idem facit ubi a fidelibus eleemosynas taxa pinguiores accepit ad Missas cantandas, quando ipse ab iis cantandis impeditur.

SOLUTIO. — 1° Fallitur Simon dum partem eleemosynae e fundatione provenientis sibi reservat. Legatum enim illud non parocho, sed ecclesiae relictum fuit ; parochus ergo tantum designatus est tamquam ille cui, quodam praelationis iure, officium celebrandi illas Missas pro pinguiore stipendio committendum esset. Nullum ergo alium titulum ad eleemosynam illam obtinendam habet parochus quam ipsam celebrationem. Missae igitur illae sunt manuales atque missarum manualium condicionem sequuntur (n. 231, VII). Ita casum solvit S. C. C. 25 iul. 1874 et recens decretum firmavit regulam generalem. Excessum ergo illum tenetur Simon dare sacerdotibus qui Missas illas cantaverint, si quidem eam pecuniam nullo iure suam fecit.

2° Pariter indebite sibi servavit Simon excessum pinguioris stipendii quod a fidelibus pro Missis cantandis perceperit, nisi moraliter constet eum excessum datum fuisse intuitu personae parochi. Hoc autem constare potest sive e natura rei, ut fit in missis nuptialibus vel exsequialibus, sive e declaratione dantis stipendium

aliisve adiunctis. Excessum illum indebite retentum transmittere certo debet Simon sacerdotibus qui reapse celebraverint, si eleemosynae illae ipsi traditae non fuerint, sed v. g. exsequitur testamentum quoddam in quo certa summa pro certo missarum numero determinabatur ; si vero ipse eas accepit, probabiliter a restitutione immunis est ; cum oneri acceptato plene satisfactum fuerit (n. 231, VII).

CASUS VI

Gaudentius sacerdos missarum stipendia quae recipit nullo in codice, sed in chartulis volantibus, prout sese occasio offert, annotat ; eodem modo adimpletas obligationes scriptis mandat. Hinc non raro ipsi oriuntur dubia quae semper in suum favorem dirimit. Quandoque etiam pecuniam sibi datam ad Missas per se vel alios celebrandas diu, sine ulla annotatione, in scrinio vel super mensam suam relinquit.

SOLUTIO. — Per se gravem neglegentiae reatum incurrit Gaudentius : siquidem omissa diligenti promptaque stipendiorum collatorum ascriptione, eleemosynarum largitores notabili periculo exponit ne iuribus suis priventur. Etenim dum semper dubia, plerumque e propria neglegentia orta, in favorem suum solvit, moraliter certum est eum quandoque omissurum esse Sacra quae sibi falso persuadebit vel non fuisse petita, vel iam esse celebrata. Dum vero pecuniam pro Missis datam diu in scrinio vel mensa sine ulla inscriptione relinquit, donatores exponit periculo detrimenti, si ipse memoria lapsus, aequo minora onera annotat vel domesticae personae aliquam pecuniae illius partem surripiunt. Quin etiam periculum plene frustrandi pias intentiones inducit : si enim ipse subita morte corriperetur, heredes, seu bona, seu mala fide, pecuniam illam inter se dividerent.

CASUS VII

Calpurnius sacerdos Regularis, rogatus ab aliquo confratre suo qui Missarum celebrandarum stipendiis supra

vires gravabatur, promisit se gratis 30 Sacra ad eius intentionem celebraturum esse : nihil tamen de illa re annotavit, sed memoriae fisus, Missas illas inter alias propter stipendium vel oboedientiam debitas celebravit. Cum autem a Mathilde iam defuncta pro monasterio suo accepisset aliquas obligationes Status, ea lege ut per quinque annos ex earum reditibus centum Missae pro defunctae anima celebrarentur, sacerdotibus exteris stipendia dabat iuxta taxam dioecesanam, quicquid vero e reditibus obligationem illarum superesset, monasterio dabat.

SOLUTIO. 1° Nisi bona fide excusetur, Calpurnius graviter peccavit dum tam neglegenter exsecutus est onus Missarum quod in se susceperat. Nam cum eas accepisset ab eo qui eas strictae iustitiae titulo celebrare debebat, iam non sola fidelitate ad eas celebrandas tenebatur : iustitia quoque erga eos qui illa stipendia dederant ligabatur, haud secus ac sacerdos cuius locum subierat (Elbel, l. c. n. 184).

2° Nisi Mathildis diserte significaverit monasterii fore non tantum directum illarum obligationum dominium, sed etiam quicquid centum Missarum eleemosynis superesset, Calpurnius immerito retinuit excessum auctarii percepti. Qui enim iubet aliquam summam impendi in Missarum eleemosynas, censendus est (nisi contrarium constet) favisse iis qui Missas illas celebraturi sint : quibus proinde redituum augmentum pro rata accrescet. Quoad praeteritum tamen restitutio facienda non videtur, cum auctarium e re monasterii perceptum ad monasterium pertineat atque oneri fuerit satisfactum (n. 231, VII).

CASUS VIII

Homobonus, monasterii cuiusdam Superior, nulla cuiusquam licentia requisita, a Ioanna paenitente sua morti proxima 20.000 fr. pro monasterio suo accepit ea lege ut ex illius summae reditibus in perpetuum tria Sacra singulis hebdomadis pro defunctae anima celebrarentur. Brevi autem postea, cum magnifico organo ecclesiam ornare vellet, neque pecunia suppeditaret, obligationes quas pro illis

20.000 fr. emerat vendidit : monasterium enim facile huic oneri Missarum prospecturum esse existimavit.

SOLUTIO. — 1° Si per tempus licebat, Homobonus, antequam onus illud perpetuum Missarum celebrandarum, saltem absolute, assumeret, consensum Superioris sui Provincialis, si exemptione gaudet monasterium, vel Ordinarii, si exemptum non est, postulare sub gravi tenebatur. Id enim statuit Innoc. XII (Const. *Nuper)* : " Ad haec S. C. quibusvis capitulis, collegiis, societatibus et congregationibus, necnon omnibus et singulis ecclesiarum ac piorum locorum, tam saecularium quam regularium, Superioribus, vel aliis ad quos pertinet, districte prohibet, ne in posterum onera perpetua suscipiant Missarum celebrandarum, saeculares quidem sine Episcopi vel eius Generalis Vicarii, regulares vero sine Generalis vel Provincialis consensu et licentia in scriptis et gratis concedenda. „ Attamen si periculum foret ne donatio manifeste utilis monasterio amitteretur ob dilationem quam obtinendae facultatis negotium afferret, censemus eam posse praesumi : ne lex in detrimentum divini cultus cederet.

2° Iuxta Const. Innoc. XII *Nuper* (nn. 6 et 7), pecunia ac bona mobilia cum onere perpetuo Missarum celebrandarum relicta quam primum investienda sunt in bonis immobilibus fructiferis, cum expressa mentione oneris quod illis annexum reperitur. Quare, ut perhibent AA. etiam recentes (Lucidi, de Vis. SS. Lim. t. II. p. 440 ; Gasparri, De Euch. n. 563 ; Gennari. Consultaz. p. 304), iuxta decreta et praxim S.S. Congregationum, nequeunt collocari in obligationibus Status sine venia S. Sedis. Excipi forsan posset casus in quo, ob pericula e legibus civilibus vel instabili alicuius regionis condicione orta, manifestum foret collocationem pecuniae in bonis immobilibus frugiferis esse plane impossibilem vel periculosiorem quam collocationem in obligationibus : in quo tamen casu eae emendae essent obligationes quae securitatem quam maximam praestarent.

3° Plane improbanda est gravis temeritas qua Homobonus bona quorum reditus Missis celebrandis inservire deberent, organo ponendo absumpsit. Id manifeste adversatur Const. S. Sedis (Const. *Nuper* n. 7), neque ulla vera necessitate, in casu, excusatur, si quidem ad meram convenientiam spectat novi organi aedificatio.

4° Insuper, iuxta probatissimos auctores, non poterat vendere

sine beneplacito apostolico obligationes istas utpote *fundationem* constituentes. Quam sententiam certe non infirmat responsum S. C. Concilii 17 febr. 1906, etsi plures de vi istius responsi moveantur quaestiones. Cfr. Wernz, Ius Decr. t. 3, n. 160; auctores citatos ap. Vermeersch, Periodica t. 2 pp. 73, 89 et ipsius interpretationem ; Collat. Brug. iun. 1906 p. 379 ; Nouv. Rev. Theol. t. 38 p. 536.

CASUS IX

Marcianus sacerdos ab alio sacerdote, cui nomen Lollius, rogatus est ut ei aliqua Missarum stipendia largiretur ; id tamen facere non est ausus, quia Lollium in officiis suis adimplendis valde neglegentem esse noverat. Pariter a paupere quodam sacerdote alius regionis imploratus ut eius inopiam, missis aliquot eleemosynis missarum, sublevaret, hoc caritatis officium implere non est ausus, quia Statutis synodalibus loci prohibitum erat eas extra dioecesim mittere.

SOLUTIO. — 1° Laudabiliter abstinuit Marcianus a Missarum stipendiis conferendis Lollio, si iustas rationes habebat timendi ne hic susceptam obligationem, seu mala voluntate, seu socordia sua, neglegeret : ubi enim agitur de stipendiis quae ab aliis ipsi commissa fuerint, vel e fundationibus proveniant, tenetur ea committere iis tantum sacerdotibus qui certo iis exonerandis operam daturi sint (n. 232, nota). Quandoque tamen, si nempe Lollius bonae voluntatis esse cognoscitur, poterunt ei huius modi stipendia dari, modo testimonium de secuta celebratione exigatur, atque ita periculum frustrandi donatorum intentiones removeatur. Sed si idem sacerdos dubiae esset probitatis, non liceret ei committere talia stipendia : ipse ea imploret a fidelibus qui, cum rerum suarum sint domini, possunt Missas celebrandas committere etiam dubiae fidei hominibus.

2° Reapse hoc Statuto synodali prohibebatur Marcianus quominus ad sacerdotem extraneum mitteret eleemosynas Missarum fundatarum vel etiam manuales quae non essent ipsi personaliter commissae, puta quae alicui ecclesiae essent oblatae. Non tamen prohibebatur ad eundem mittere stipendia quae fideles explicite vel implicite concessissent ab exteris sacerdotibus celebrari, puta quae ipsi data essent ut Missae sive ab eo, sive ab alio quem

maluerit sacerdote celebrarentur. Episcopus enim prohibere nequit ne fideles de bonis suis disponant prout voluerint (Gasparri, de Euch. I. n. 583). Attamen, cum huius modi sacerdotes exteri soleant penitus ignoti esse, ab iis exigendum erit ut testimonium de Missis celebratis mittant.

CASUS X

Casimirus a Gudula pia muliere 2000 fr. acceperat ea condicione ut ex illius summae auctario quotannis, quamdiu ipse viveret, 20 Missas pro eius anima celebrari curaret. Defuncta Gudula, Casimirus hanc summam adhibuit ad emendas actiones e quibus per aliquot annos magnum auctarium (6%) percepit. Postea vero adeo minutum est auctatarium ut ne 40 quidem francos, qui, iuxta taxam dioecesanam, necessarii fuissent ad viginti stipendia solvenda, produceret. Casimirus iam non celebranda curavit nisi 15 Sacra, quibus auctarium sufficiebat. Tandem eum iam nullius valoris factae essent actiones coemptae, se penitus ab obligatione dandi stipendia liberatum existimavit.

SOLUTIO. — Minime licebat Casimiro numerum Missarum celebrandarum, iuxta ultimam Gudulae voluntatem, minuere aut supprimere. Etenim ipsi imputandum est quod summa a Gudula relicta iam auctarium sufficiens non producat, cum eam non collocaverit in reditu prorsus securo, puta eam tradendo publico aerario (Banque nationale) vel emendo obligationes minus quidem auctarium ferentes, sed moraliter nullum periculum minuendi reditus vel valoris inducentes. Quod si, lucri spe allectus, actiones feraciores, sed minus tutas emit, ipse in se rei periculum sumpsit ac proinde Missas 20, etiam cum damno suo, celebrandas curare debet (n. 230, VI). Poterit tamen (si nihil de loco celebrationis a Gudula statutum est) illas intentiones mittere ad locum in quo minora sint Missarum stipendia. Accedit altera ratio ob quam ab onere imposito non solvatur, vid. eum antea per plures annos emolumentum traxisse ex auctario maiore, cum quotannis 120 fr. ex obligationibus illis decerperet. Propter huius modi rationem, S. C. C. 6 maii 1865 denegavit reductionem Missarum ei qui

magnas expensas facere coactus erat in reparandis aedibus e cuius fructibus huic oneri satisfacere debebat (Act. S. S. t. 2. p. 411, seqq.).

CASUS XI

Corentinus sacerdos ducentos francos pro centum Missis quam primum celebrandis acceperat. Laetus schedulam aerarii publici (billet de banque) centum fr. aequivalentem ad Laelium, amicum sacerdotem, misit. Sed cum charta qua pretiosa schedula involvebatur tenuior esset, aliquis e publicis vectoribus (agent de la poste) thesaurum detexit litterasque retinuit: neque ulla investigatione aut reclamatione detegi potuit. Corentinus igitur anxie quaerere coepit num teneretur iterum de quinquaginta illis Missis celebrandis curare.

SOLUTIO. — Profecto caritas iubet Corentinum facere quicquid sine notabili incommodo potest ne defuncti anima detrimentum patiatur e iactura illa cui ipse aliqua imprudentia sua occasionem dedit dum pecuniam via minus tuta transmisit, nempe litteris nequaquam assecuratis vel commendatis ita ut ipsa administratio publica specialem illarum curam assumeret. Quare generatim teneretur, etiam cum aliquo pudore suo, infortunium nuntiare ei a quo stipendia accepit, puta eius consanguineo vel heredi, ut is moveatur ad damnum nova largitione compensandum. Immo iustitia illum cogeret ad missas celebrandas; nam a momento quo accepit pecuniam contraxit obligationem faciendi sive per se sive per alium, a qua non liberatur, propterea quod pecunia ipsi periit.

CASUS XII

Eleazarus sacerdos a Mercorio adulescente rogatus est ut Sacrum sequenti die celebraret ad eius intentionem, ut examen hac die multo successu perageret ; se multum in eius precibus confidere. Accepit Eleazarus quinque francos liberaliter oblatos, sed mox recordatus sibi incumbere onus

celebrandi eadem die exsequias, recogitare coepit quomodo utrumque pingue stipendium retineret. Ita solvit nodum : Gordianum amicum sacerdotem rogavit ut ad eius intentionem sequenti die celebraret, absque stipendio ; se ei vicem redditurum esse post duos dies. Annuit Gordianus ; Eleazarus vero de industria sua multum sibi gratulatus est.

SOLUTIO. — Legitimam industriam adhibuit Eleazarus, cum meram permutationem intentionum fecerit (n. 231, VIII). Neque violavit condicionem a Mercorio positam, dum non celebravit ipse pro eo, qui tamen videbatur id postulare. Circumstantia enim haec levis momenti est, ideoque non est censenda ab adulescente tamquam stricta condicio assignata (Gury, Cas. II. n. 356).

CASUS XIII

Elladius parochus, cuius ecclesia reditus exiguos et oneribus inferiores habet, quamquam eleemosynis piorum fidelium satis iuvatur, ab omnibus sacerdotibus qui in ea seu libera devotione, seu ad fundationes exonerandas celebrant, aliquot obola pro singulis Missis exigit. Pariter ex eleemosynis manualibus eam partem qua taxam dioecesanam superent detrahere solet in favorem ecclesiae, eas vero quae eandem taxam non superent, integras celebraturis tradit.

SOLUTIO. — Elladius iure suo a sacerdotibus qui, ob capellaniam vel perpetuam fundationem, in ecclesia sua celebrant, postulat ut expensas faciendas resarciant (n. 232, IX). Oportet tamen ut ea quae postulantur moraliter non excedant expensas pro singulis faciendas. Sed immerito detrahit eleemosynis manualibus eam partem qua taxam dioecesanam superant. Etenim quamquam S. C. C. 23 nov. 1697 id permiserit ecclesiis quae *alios non habeant reditus*, ut ex huius modi eleemosynis detrahant expensas pro ipsa Missa necessario subeundas, haec facultas non est extendenda ad ecclesiam Elladii. Id enim non est indultum nisi quate-

nus necessitas divini cultus id postulat : quod non obtinet ubi ecclesiae parochialis necessitatibus satis providetur eleemosynis ita consuetis ut inter ordinarios reditus computandae sint. Deinde si excessus ille notabilis est, id quod detrahitur facile superabit expensas pro iisdem Missis faciendas : neque apparet quo iure Elladius detrahat ab iis stipendiis unde expensas pro aliis Missis faciendas compenset.

CASUS XIV

Liborius a Bernardino heres scriptus erat ea condicione ut, pro summa 1000 fr. quam ei vivens dederat Bernardinus, 500 Missas pro defuncto celebrari curaret. Statim postquam e vivis excesserat Bernardinus, Liborius promissionem suam exsequi coepit. Sed, cum audisset in Italia stipendia Missarum unius tantum franci libentissime accipi, dum in eius dioecesi 2 fr. postulabantur, 500 fr. in Italiam misit et 500 sibi servavit. Hanc industriam suam cum, post aliquot menses, coram Eubulio sacerdote narrasset, hic graviter eum obiurgavit iussitque hanc summam bonis operibus impendere.

SOLUTIO. — Nullo iure illos quingentos francos sibi servavit Liborius, siquidem Bernardinus clare suam voluntatem expresserat ut mille franci his Missis remunerandis adhiberentur. Illa igitur pecunia, si fieri poterit, transmittenda erit ad sacerdotes qui, cum celebraverint Missas a Bernardino petitas, ius ad stipendium a defuncto taxatum acquisiverint (n. 231, VII). Quid autem, si iam omnino vel moraliter impossibile factum esset pecuniam illam ac eosdem sacerdotes, vel saltem ad aliquot ex iis transmittere? Eritne, sicut vult Eubulius, in pia opera expendenda? Optimum sane hoc foret consilium, strictam tamen obligationem hic non cernimus. Liborius enim, cum bona fide egerit, hanc pecuniam alienam in sua possessione habet sine delicto : obligatio vero elargiendi pauperibus vel operibus piis pecuniam non suam non spectat nisi ad eam quae per delictum acquisita fuerit, neque extendenda est sine clara ratione ad delictum mere materiale (Vol. I. n. 552, III).

CASUS XV

Quadratus satisfacturus erat, in festo semiduplici, stipendio dato ad celebrandum pro defuncto. Sed cum iam saepius Missam de Requiem celebrasset, maluit legere Missam votivam de B. Virgine. Alia autem die, rogatus a pia muliere ut Sacrum in altari S. Apolloniae diceret ut ei sanationem a dentium doloribus impetraret, ad altare Bonae Mortis legit, quia aedituus altare S. Apolloniae parare oblitus erat. Verum pia mulier, quae Sacro affuerat neque optatam sanationem obtinuerat, mox ira et dolore aestuans astitit, pecuniam suam repetens, ob contractus condicionem non servatam.

SOLUTIO, — 1° Per se non defuit contractui Quadratus ubi Missam votivam de B. M. V. pro defuncto celebravit. Plerumque enim fideles, nisi sint valde pii et rerum religiosarum peritissimi, nihil aliud intendunt ubi Missam pro defuncto postulant quam ut defuncti animae fructus Missae applicetur (n. 233, XI). Igitur nisi contrarium constaret e loci consuetudine vel e specialibus dispositionibus dantis, obligationi iustitiae plene satisfecit Quadratus. Attamen si forsan, celebrata Missa de Requiem, poterat, ob privilegium locale vel personale, lucrari indulgentiam altaris privilegiati, caritas postulabat ut defuncti levamen propriae devotioni praeferret.

2° Indulgendum est piae mulieri, dolore dentium exacerbatae. Immerito tamen pecuniam suam repetit a Quadrato. Hic enim nullatenus violavit condicionem adiectam celebrandi ad altare S. Apolloniae : non est enim tanti momenti haec circumstantia ut omitti nequeat ob causam rationabilem, qualis erat in casu oblivio aeditui. Deinde, etiamsi culpabiliter hanc determinationem violasset, ius haberet ad stipendium, cum neque e rei natura, neque e declaratione dantis eleemosynam, haec condicio fuerit *sine qua non*.

CASUS XVI

Ildephonsus, ubi sacerdos ordinatus est, Missam quam cum episcopo celebravit, applicuit intentioni unius ex iis

qui ei stipendium dederant. Postea vero quotiens stipendia deerant, recurrebat ad Gummarum amicum sacerdotem qui, ob copiam paenitentium suarum, eleemosynis Missarum superefluebat. Quondam, cum oblitus esset exhaustas intentiones ad fontem illum renovare, celebravit ad intentionem Gummari : a quo postea stipendia de more accepit.

SOLUTIO. — 1° Ildephonsus leviter defuit iustitiae ubi stipendio accepto satisfecit Sacro quod cum episcopo celebravit, nisi consensum dantis obtinuerit (n. 234, XIII). Attamen cum substantiae obligationis satisfecerit, in rigore non tenetur ad alterum Sacrum eidem intentioni applicandum.

2° Censemus cum Bucceroni (Cas. II. n. 62) aliisque AA. satisfecisse Ildephonsum dum Sacrum applicuit ad intentionem Gummari, immo neque illicite egisse, si quidem hic non celebratur ad intentionem indeterminatam, ut fit in casu illius qui applicat pro primo qui stipendium daturus est (n. 234, XIV) : novit enim Ildephonsus Gummarum habere stipendia et paratum esse ut ea ipsi conferat. Deinde ipsa intentio determinata est in individuo, nempe prima ex iis quas Gummarus daturus est petenti Ildephonso, seu ordine temporis, seu e speciali dantis determinatione (n. 219, II). Neque hic intervenire debet ullum complementum e libera voluntate Dei, ut in casu celebrantis pro anima cui Deus applicare voluerit, sed tantum eius scientiae necessariae. Excipiendus esset casus in quo eo momento quo celebrasset Ildephonsus nondum exstitisset necessitas cui fructus applicatus sit, utputa si Gummarus Ildephonso tribuisset primo loco exonerandum stipendium pro defuncto qui adhuc viveret dum Sacrum celebraretur.

CASUS XVII

Prudentius parochus, deficientibus Missarum stipendiis, interdum celebravit ad intentionem primi qui stipendium oblaturus esset vel pro defuncto cuius consanguineos Sacrum petituros esse praevidebat. Ab Euphrosina rogatus, decies celebravit pro anima eius mariti qui in naufragio obiisse dicebatur. Sed brevi post, iam alias nuptias appe-

tente pseudo-vidua, maritus comparuit. Statim advolavit Euphrosina pecuniamque tamquam sub falsa condicione datam repetiit.

SOLUTIO. — 1° Peccavit graviter Prudentius dum, contra Ecclesiae prohibitionem in re magni momenti, Missam pro stipendio applicuit primo qui eam petiturus esset (n. 234, XIV). Attamen si eo momento quo celebravit iam aderat necessitas pro qua Sacrum petitum postea fuit, valuit applicatio, nec quicquam restituendum venit.

2° Prudentius plene exsecutus est quicquid ipsi e contractu cum Euphrosina inito incumbebat : igitur ius ad stipendium servandum habet. Error, in casu, totus venit ex parte dantis stipendium : nequit igitur nocere celebranti, sicut ei nocet ubi ipse ex errore suo actus est ad celebrationem quae fructum promissum nondum assequi posset (n. 234, XIV).

CAPUT III

DE TEMPORE APTO AD CELEBRANDUM

§ 1. QUANDO SIT CELEBRANDUM

CASUS I

Pancratius, cum capellani monialium munus suscepisset, a Superiorissa rogatus est ut Missam sollemnem, feria V^a^ Cenae Domini, in earum sacello celebraret. Petiit num etiam sequentibus diebus functiones Maioris Hebdomadae celebrarentur. Negavit Superiorissa. « Si ita res se habet, inquit Pancratius, neque feria V^a^ celebrare licet. » Frustra consuetudinem sui et aliorum conservatoriorum eiusdem urbis allegavit Superiorissa : Pancratii animum flectere non potuit.

SOLUTIO. — Nolimus improbare Pancratium quod, plurium AA. sententiam secutus, existimavit Missam ab officiis Maioris Hebdomadae seiunctam non permitti nisi in ecclesiis parochialibus in quibus parvum Rituale Bened. XIII adhiberi nequeat, dummodo venia Ordinarii habeatur. Tamen sententiam quoque monialibus favorabiliorem sequi potuisse videtur (n. 235, 3°). At tenebaturne ad petendam episcopi veniam ? Si reapse mos communiter viget in monasteriis illius regionis ut missa in iis domibus celebretur nulla venia requisita, non videtur necessario ad Ordinarium recurrendum, sicut et de parochis admittunt AA. (Gasparri, de SS. Euch. I. n. 77) consuetudine evanuisse in multis locis huius veniae petendae obligationem. An praeterea licebat Missam sollemniter canere ? Ad hoc sane necessariam censemus veniam episcopi, seu expresse pro hoc casu concedendam, seu e recepta consuetudine colligendam sicut S. C. R. 1 febr. 1895 respondit Missam sollemnem in Cena Domini licite celebrari, omissa alterius Hostiae consecratione et processione. " de venia saltem episcopi. „

CASUS II

Onesimus sacerdos, parvi nosocomii capellanus, primo cogitaverat de Officiis Tridui Sacri iuxta parvum Rituale Benedicti XIII celebrandis. Verum, cum ne eos quidem acolythos et cantores qui in eum finem necessarii fuissent colligere potuisset, Missam solus legit in Cena Domini et Sabbato Sancto.

SOLUTIO. — Etiam ad celebranda Maioris Hebdomadae officia iuxta Rituale Bened. XIII, opus fuisset Onesimo licentia (n. 235, 1°). Eandem vero petere etiam debuisset ad legendam Missam pro suis quasi-paroecianis in Cena Domini, nisi forte constaret eam vigere consuetudinem in dioecesi ut passim in huius modi institutis Missa, e tacita vel generali Ordinarii venia, hac die legeretur. Die vero Sabbati Sancti, neque ex episcopi venia celebrare poterat (n. 235, 3°).

CASUS III

Siricius sacerdos quandoque in aestate, iter recreationis causa acturus, Sacrum hora prima noctis celebravit. In

nocte Nativitatis Domini, Missam legit in quodam monialium sacello, nulla venia ab Ordinario petita : cum autem duas alias missas statim postea celebraturus esset, ne tardius protraheretur pia caerimonia, Missam inchoavit decem momentis ante horam duodecimam, ratus sufficere ut consecratio post mediam noctem fieret.

SOLUTIO. — 1° Si casus in Belgio contingeret, Siricius non esset improbandus : nam a 15 maii ad 30 iulii, cum aurora incipiat hora 1.22 m., poterat Sacrum, etiam sine speciali excusatione, inchoari hora 1ª noctis atque ita terminari illucescente aurora (n. 236). Sed etiam brevi ante vel post illam anni partem licebat Siricio, iter inchoaturo, eadem hora celebrare : iter enim quodlibet, etiam ad convenientem recreationem suscipiendum, causa sufficiens est ut una hora ante auroram celebretur (n. 237, 3°).

2° Siricius increpandus non est quod Missam legerit media nocte, si huius modi consuetudo in ea dioecesi passim recepta est saltem in monasteriis : celebravit enim Missam quasi conventualem, non simpliciter privatam (n. 237, 6°). Sed nullatenus poterat, absque indulto Apostolico, tres Missas legere. Tandem usum incipiendi Missam ante mediam noctem bis nuper reprobavit S. C. Rituum. Nempe 11 maii 1878 proposito dubio : " In multis ecclesiis in die Nativitatis Domini incipitur Missa ita ut iam sacerdos sit in puncto consecrationis, pulsante media nocte : an hoc sit legitimum ? „ respondit : " Serventur rubricae, et contrarios abusus esse abolendos. „ Iterum 2 iunii 1883 interrogata : " Licetne Missam nocte Nativitatis Domini ita praemature inchoare ut, adveniente hora mediae noctis, iam sit decantatum evangelium ? „ respondit : " Servandam esse rubricam generalem Missalis Romani, tit. XV. n. 4. „ Haec autem ita sonat : " Prima (Missa) dicitur *post* mediam noctem. „

§ 2. QUOTIENS LICEAT EADEM DIE CELEBRARE

CASUS I

Symphorianus parochus quadam die Dominica mane monitus est morbo impeditum esse sacerdotem qui in monasterio quodam parochiae suae, in quo stricta clausura serva-

batur, celebraturus erat ; moniales igitur Sacro interesse non posse nisi alius sacerdos in eorum sacello celebraret. Cum nemo reperiri potuisset, Symphorianus ipse alterum Sacrum in earum gratiam celebravit.

SOLUTIO. — Ultra modum benigne egit Symphorianus. Quod enim aliquot piae feminae Sacro audiendo priventur, non est sufficiens ratio ut supponatur facultas Ordinarii (n. 239), qui nec ipse saltem ex potestate ordinaria eam concedere posset, deficiente qualibet etiam morali necessitate (n. 240). Moniales igitur illae monendae fuissent eas a Sacri audiendi obligatione solvi, cum violatio strictioris clausurae, una cum variis incommodis quae ex insolito illo egressu oritura essent, satis notabile incommodum crearet ut causam excusantem praeberet (Vol. I. n. 343). Atque hic loquimur in hypothesi monialium, quales hic in Belgio occurrunt, clausurae papali minime subditarum, quamvis eam strictissime observent, Nam dubium esse nequit quin monialibus stricte dictis carentia Sacri non sufficiat ad egrediendum e monasterio. Attamen, si diu in hac impossibilitate audiendi Sacri versarentur moniales episcopali tantum clausurae subditae, Ordinarius consulendus esset ut videret utrum clausurae custodia an Sacri auditio praeferenda esset.

CASUS II

Anicetus parochus, in magna quadam sollemnitate, stupens advertit fore ut mox deessent hostiae consecratae, dum multi fideles ad communionem accederent. Cum solus e sacerdotibus maneret ieiunus ut Sacrum sollemne serius decantaret, statim Missam privatam celebravit in qua ablutiones non sumpsit ut postea iterum litare posset.

SOLUTIO. — Censemus cum Gury (Cas. II. n. 264) probari posse iterationem Sacri in hoc casu extraordinario repentinae necessitatis, in qua magnum incommodum vitari non poterat nisi binatione (n. 239). Etenim non apparet quare Ecclesia nollet meram licentiam praesumi posse in iis adiunctis quae, eo ipso quod rara et extraordinaria sunt, excludunt periculum abusus ob quod Ordinarii approbatio requiritur ubi causa est permanens.

CASUS III

Nazarius parochus Sacrum hora sexta celebrabat, cum certior factus est Vicarium suum, qui Missam exsequialem hora nona celebraturus erat, aegrotare. Statim misit nuntium ad civitatem vicinam ut arcesseret sacerdotem quendam sibi notum ; interim in celebrando perrexit, ablutiones tamen non sumpsit, ut, si forte deesset alius sacerdos, ipse Missam exsequialem celebraret. Timebat enim ne, si Sacrum annuntiatum non celebraretur, familia defuncti, quae catholicae religioni parum addicta erat, id molestissime ferret magisque ab Ecclesia alienaretur. Ac revera, cum nullus sacerdos ieiunus et bonae voluntatis inveniri potuisset, Sacrum pro defuneto iteravit.

SOLUTIO. — Si nuntius de aegrotante Vicario allatus est antequam peractum esset Offertorium, Nazarius debuisset abrumpere Sacrum : talis enim abruptio ob causam non ita gravem licita est (n. 253, 2°) ideoque praeferenda est Sacri iterationi, quae sub gravi prohibetur. Si vero iam peractum erat Offertorium, non censemus vituperandum Nazarium, quod Sacrum prosecutus sit et postea iteraverit. Grave enim incommodum verumque scandalum haud immerito timebat Nazarius ex omissione Missae exsequialis : quare hic iterum erat casus extraordinarius repentinae necessitatis (n. 239). Secus dicendum foret si nullum incommodum grave e Sacri procrastinatione timeretur ob malas familiae dispositiones, magnam exsequiarum sollemnitatem vel similia.

CASUS IV

Anscharius episcopus, cui S. Sedes dederat facultatem indulgendi presbyteris ut bis in die celebrarent, si necessitas urgeret, a Sabba magnae civitatis parocho rogatus est ut sibi hanc facultatem daret pro diebus Dominicis et festis de praecepto. Rationem dabat Sabbas : partem notabilem fidelium, licet Missae citius celebratae interesse vel ad

vicinas ecclesias haud ita aegre tendere potuissent, reapse non accedere nisi Sacrum hora satis sera celebraretur.

SOLUTIO. — Modo constet sat magnum fidelium numerum (1) omittere Sacrum ex obligatione audiendum nisi tam sero in ecclesia Sabbae celebretur, neque ullum sacerdotem reperiri qui, etiam oblato stipendio taxa dioecesana determinato, celebrare velit, licebit Anschario concedere petitam facultatem. Necessitas enim quae in Indulto tamquam condicio apponitur, non est restringenda ad necessitatem quae e solis adiunctis a voluntate humana alienis oriatur, sed extendi potest ad eam quae ad malam tepidamve multorum voluntatem consequitur : nam S. Sedes hanc determinationem prudentiae episcoporum relinquit, neque talem restrictionem ullibi expressit. Attamen si forsan in loco adesset sacerdos saecularis qui sine nimio incommodo Sacrum illud celebrare posset, sed recusaret, Anscharius deberet eum iubere ut populi necessitati satisfaceret : ne sine necessitate in lege dispensaret (n. 223).

CASUS V

Liborius sacerdos ab Ordinario suo, vi Indulti Pontificii, accepit facultatem tum binandi, tum accipiendi pro altero Sacro stipendii quod ad episcopum, in subsidium seminarii, mittendum sit. Fideliter acceptum stipendium mittit Liborius : quicquid tamen superat taxam dioecesanam pro Missa qualibet hora celebranda, seu 2 francos, sibi retinet.

SOLUTIO. — Per se totum stipendium ad Ordinarium transmittere debet Liborius. Nam iuxta legem Ecclesiae nihil pro applicatione Missae accipere poterat : quare, quicquid pro ea accipit, sub ea condicione, in Indulto expressa, recipit, ut ad Ordinarium transmittatur. Attamen per accidens eleemosynae partem sibi retinere posset Liborius, vid. si morali certitudine constaret

(1) Rogaverat episcopus S. Ludovici in Stat. Foed. Americae anno 1828 : " Utrum quotiens triginta aut quinquaginta fideles periculo exponuntur Missam de praecepto non audire, bis celebrare valeant. „ Litteris iussu Leonis XII datis 13 martii episcopi conscientiae relicta est cura iudicandi num in concretis adiunctis, graves causae concedendae iterationis adessent.

eam partem tributam fuisse non pro ipsa applicatione, sed intuitu personae, puta ob amicitiam, misericordiam etc., vel laboris extraordinarii, puta ob susceptam obligationem Missae cantatae vel serae (n. 231, VII). Condicioni enim Indulti satisfit si mittitur ad Ordinarium id quod proprie rationem stipendii habet, nempe quod datur pro applicatione Missae (Bucceroni, Casus II. n. 64). Consonat responsum a S. C. C. 31 ian. 1880 datum de sacerdotibus qui in Gallia, vi indulti, stipendium ad Ordinarium transmittendum recipere possunt pro Missa quam alioquin populo applicare deberent. Etenim dubio : " An parochi, misso ad episcopum stipendio a statutis dioecesanis taxato, valeant sibi Missarum eleemosynae excessum retinere in casu „. S. C. C. respondit : " Negative, nisi morali certitudine constet excessum communis eleemosynae oblatum fuisse intuitu personae vel ob maiorem laborem aut incommodum „ (Act. S. S. t. 13. p. 261).

CAPUT IV

DE LOCO APTO AD CELEBRANDUM

CASUS I

Follianus, Superior Regularis, nullius licentia requisita, alterum oratorium erexit praeter principale, quo communitas uti solebat, ut sacerdotes, qui plurimi domum illam incolebant, commode Sacris operari possent. Similiter, cum ingens multitudo fidelium, cuiusdam piae peregrinationis occasione, confluxisset, aram sub dio erigi curavit : in qua sollemniter Sacrum celebratum est.

SOLUTIO. — 1° Ut iudicetur utrum recte an perperam egerit Follianus, erecto hoc secundario sacello sine ulla speciali licentia, videndum est quid a S. Sede eius Ordini, seu directe seu per communicationem, concessum fuerit. Iam vero, quoad oratoria quae in veris conventibus eriguntur, iuxta communem sententiam (Piat. Prael. Iur. Regul. II. p. 230), ad omnes ordines per communicationem transiit privilegium Soc. Iesu concessum a Gregor. XIII

(Const. *Decet Romanum Pontificem*, 3 maii 1575), ut Provinciales, nullius licentia requisita, oratoria erigant ubicumque aliqui Regulares Ordinis residebunt. Igitur, modo obtinuerit Follianus Superioris sui Provincialis facultatem, recte egit. Neque obstat resp. S. C. R. in Nivernensi, declarantis ad erigenda huiusmodi oratoria secundaria requiri facultatem S. Sedis (n. 241, III). Agebatur enim in eodem responso de piis communitatibus, Ordinario subiectis : quare nihil inde Regularium privilegiis derogatur.

2° Non putamus habere ullos Regulares privilegium erigendi altaris portatilis sub dio : qui locus prorsus profanus est, licet forsan iure dominii ad Regulares pertineat. Igitur Ordinarii facultatem postulare debuisset Follianus (n. 242, IV).

CASUS II

Cum fur quidam in oratorio monialium noctu diriperet vasa sacra, a monialibus quibusdam agmine facto irruentibus interpellatus est. Quare, ne sibi fuga intercluderetur, sclopetum *(revolver)* explodit unamque e monialibus graviter vulneravit. His auditis, Valentinus, monialium capellanus, dubitare coepit num Sacrum in eodem sacello celebrare liceret,

SOLUTIO. — Valentinus, antequam pronuntiet sacellum pollutum esse, inspiciat num sacellum ex iis sit in quae cadat pollutio legalis et num vulneratio monialis eas habeat qualitates quae hanc prohibitionem Sacris operandi inducant. Plerumque oratorium principale communitatis sollemniter benedictum est ab Episcopo vel a sacerdote quem ipse deputaverit : ac proinde locus est legali pollutioni. Si vero idem sacellum illam tantum benedictionem accepit quae in Rit. Rom. pro quolibet loco prostat, iam de prohibitione non est cogitandum. Ad factum vero quod attinet, dubitandum non videtur, e casus expositione, quin vulnus in sacello ipso acceptum sit. Sed non statim inde concludere licet locum illum sacrum esse pollutum. Ad pollutionem enim inducendam non sufficit gravis vulneratio, sed requiritur, iuxta verba canonum, copiosa sanguinis effusio in eodem sacello secuta (Schmalzgr. in Decr. l. 3. t. 40. n. 68). Igitur si talis effusio defuit, non erit abstinendum a celebrando in eodem sacello, nisi e vulnere accepto secuta sit monialis mors. Quod si haec mors aliquo tempore post vulnus

acceptum contigit, licite quidem celebrabitur quamdiu effectus ille secutus non sit : quo secuto, statim erit abstinendum (n. 242. VI). Neque censeri potest ecclesia iam reconciliata ob secutam Missae celebrationem, ut tenet communis DD. sententia (Schmalzgr. l. c. n. 85) et declaravit S. C. R. 19 aug. 1634 (Coll. S. R. n. 611). Cum huiusmodi oratoria semi publica non soleant consecrari, Valentinus petere poterit ab Ordinario ut ipsum deleget ad oratorium reconciliandum : qua facultate obtenta, sequatur modum positum in Rit. Rom. tit. VIII, c. 28.

CASUS III

Zacharias, in magna quadam civitate turbulentis hominibus plena parochus, bis magno facinore ecclesiam suam vastatam luxit. Primum aliquis nebulo globum explodentem intulerat quem in turbam fidelium proicere parabat, cum repente voluntatem eius praevenit machina infernalis : qua explosa, ipse occisus est, plures vero fideles seu graviter, seu leviter vulnerati sunt. Brevi autem in ecclesiam irruit nequissimorum hominum caterva : qui magnam eius partem vastarunt, confractis statuis, tabulis pictis laceratis etc. Neutro in casu ecclesiam suam pollutam duxit Zacharias, ac propterea, quam primum facinorum vestigia sublata erant, Sacris operatus est quasi nihil accidisset.

SOLUTIO. — Assentimur Zachariae opinanti neutro in casu legalem pollutionem in ecclesiam inductam esse. In priore enim casu, homicidium illius nebulonis mere casuale fuit ; neque aliter opinamur de gravi vulneratione aliorum fidelium et secuta forsan sanguinis effusione : haec enim, licet imputari queant eidem nebuloni, quia machinam illam infernalem in ecclesiam tulit, formaliter tamen orta sunt e casuali explosione, quae sola eorum causa sufficiens fuit. In posteriore casu, manifestum est non fuisse inductam pollutionem legalem : si quidem deest legis dispositio. Attamen parochi officium erat in his extraordinariis et difficilibus adiunctis consulere Ordinarium. Huius enim erat statuere num necesse foret ad cautelam reconciliare ecclesiam (n. 242, VI) vel etiam ad tempus indicere ibidem cessationem a divinis (n. 621).

Nam fieri potest ut in contemptum religionis cedat quod tanta facinora contra sanctitatem loci admissa parvi fieri videantur, dum statim postea in eadem ecclesia celebratur quasi res parvi momenti contigisset.

CASUS IV

In vigilia Paschatis, cum densa turba paenitentium ad confessionale Benigni parochi congregata exspectaret, orta est acris disputatio inter duos rusticos de iure praecedentiae quoad ingressum. Tanto animorum aestu certatum est ut unus, ab altero in capite percussus baculo, super pavimentum ruerit, dum copiosus sanguis e vulnere capitis proflueret. Hinc dubitare coepit Benignus num in confessionibus audiendis pergere et sequenti die Sacrum in ecclesia celebrare posset.

SOLUTIO. — Etiamsi ecclesia polluta esset, non prohiberetur Benignus quominus confessiones in eadem audiat : id enim minime idem est ac celebrare divina, quod solum in ecclesia polluta vetatur (n. 243, VII). Sed reapse polluta non videtur ecclesia parochialis, cum ex adiunctis veri similius sit fusionem illam sanguinis non esse ortam ex actu graviter peccaminoso (n. 242, VI). Absonum enim foret supponere rusticum illum voluntarie intulisse gravem vulnerationem ob futilem rationem quae in casu ponitur, dum venerat bono animo delicta sua expiandi. Talis igitur rixa, etiamsi sanguis non e naso, sed e vulnere gravi effusus est, videtur assimilanda rixae puerorum : qua ecclesiam non pollui censent DD. (Schmalzgr. l. c. n. 80) si unus alterum in faciem ceciderit.

CAPUT V

DE REBUS AD CELEBRANDUM REQUISITIS

CASUS I

Quadratus, Superior Regularis, cum ea die qua monasterii ecclesia consecranda erat multos sacerdotes hospitio

excepisset, duo altaria in aula capituli erexit quo facilius omnes Sacrum celebrare possent. Postea vero, cum animadvertisset in altari quodam consecrato lapidem pro sigillo sepulcri reliquiarum inservientem, ob defectum calcis qua conglutinabatur, iam non haerere sepulcro, lapidem manu movit, et cum reipsa solutus esset, de situ sublevavit. Reliquias tamen nullo modo tetigit vel dimovit, deinde lapidem reposuit.

SOLUTIO. — 1° Non videtur improbandus Quadratus quod altaria portatilia erexit in aula capituli. Etenim licet certo constet revocata esse generalia privilegia antiquitus data Regularibus celebrandi in ara portatili,non tamen constat revocationem protendi ad alia loca monasterii quam ad privatas Regularium cellas seu cubicula. Ita enim loquitur Innoc. XIII (Const. *Apostolici ministerii* 13 maii 1723) : " Addita etiam prohibitione, ne in privatis Regularium cellis seu cubiculis erigatur altare pro re sacra facienda „ (n. 244, II). Cfr. Piat, De Iure Reg. t. I. p. 229. Deinde, cum in proprio monasterio potestate quasi episcopali utatur Quadratus, forsan poterat erigere aras portatiles in hoc casu transeuntis et plane extraordinariae necessitatis : sicut idem ab Ordinario in loco quolibet dioecesis suae permitti poterat ob huius modi rationem (n. 242, IV). Ad maiorem securitatem in re satis obscura, et quae magis ad forum externum quam ad internum spectat, poterat peti facultas ab episcopo.

2° Non sufficiebat altaris illius sigillum denuo conglutinare et claudere, sed nova consecratio necessaria erat (n. 244, III). Ita casum huius modi sibi propositum solvit S. C. R. 14 martii 1861 (Coll. S. R. n. 3106).

CASUS II

Eligius sacerdos, die Dominica mane, monitus est ab aedituo lapidem consecratum insertum altari super quod celebraturus erat, ob ponderosum candelabrum quod super illum ceciderat, scissura per medium currente laborare. Re examinata, vidit Eligius utramque partem lapidis apte cohaerere, atque sine ulla indecentia posse sustinere hostiam et calicem. Quare, cum alium lapidem inserendum

non haberet, Missam super idem altare celebravit quasi nihil accidisset.

SOLUTIO. — Si in eadem ecclesia aliud altare consecratum manebat, debebat Eligius omnino eo uti ad celebrandum vel lapidem ab eodem desumptum inserere altari ad quod celebraturus erat : scissura enim illa lapis consecrationem suam amiserat (n. 244, III). Si vero nullum aliud altare consecratum remanebat, neque ullus lapis inserendus praesto erat, ulterius inquirendum erat num posset Eligius sine gravi incommodo abstinere a celebrando. Deficiente tali incommodo, non licebat ei celebrare super lapidem exsecratum : sub gravi enim altare consecratum ad celebrandum requiritur. At si aderat huius modi incommodum, utputa quia multi fideles, omissa celebratione, Sacro interesse non possent, vel etiam scandala et murmurationes timerentur, censemus cum Berardi (Prax. Conf. II. n. 3398) licitam fuisse celebrationem. Sic etiam S.Sedes, licet numquam concedat facultatem celebrandi sine altari, concedit missionariis (Formula I, n. 23) facultatem celebrandi " etiamsi altare sit fractum vel sine reliquiis Sanctorum „. Cfr. S. Alph. l. 6. n. 369.

CASUS III

Patricius sacerdos, dum in aliena ecclesia celebrabat, anxietate pressus est quia advertit super altare nullam crucifixi imaginem positam esse, nisi valde parvam, cuidam aediculae in qua B. M. V. statua recondebatur affixam. Alia vero die, in sacello domestico celebraturus, monitus est nullas adesse candelas cereas, sed tantum stearinas : casu attente perpenso, respondit se celebraturum esse duobus ex his luminibus accensis.

SOLUTIO. — 1° Non sufficit huius modi exigua crux ut legi Ecclesiae satisfiat : nam si a sacerdote facile forsan videtur, saltem populi oculos fugiet (n. 245, II). Itaque ecclesiae illius praefectus tenetur ad apponendam altari imaginem crucifixi, quae legibus Ecclesiae sit conformis. Patricius vero, qui obiter in ecclesia illa celebrat, tuta conscientia potest illam curam omittere : cum enim sub levi tantum obliget ista lex, licet eam ob motivum rationabile seu mediocre incommodum omittere.

2° Bene casum solvit Patricius, nisi forsan valde facile fuisset cereas candelas ex ecclesia aliove loco vicino quaerere. Probabile enim est legem non nisi leviter infringi ubi adhibentur lumina aeque nitida ac cerei, ut in casu contingebat, deficientibus vero cereis, nullatenus peccari, etiamsi e mera devotione celebretur (246, III).

CASUS IV

Lupus parochus dubiis agitatur, quia a quodam collega suo, rubricarum observantissimo, audivit mercatorem a quo cereos suos emeret ceram vegetalem et stearinam cerae apium admiscere in mercibus suis conficiendis. Alium tamen mercatorem non adivit, quia satis pauper erat, neque ullibi tam exiguo pretio cereos sibi comparasset. Idem, cum per aliquot hebdomadas oculis laboraret atque a medico iussus esset a quavis lectione abstinere, Missam B. M. V., quam memoria tenebat, cotidie recitavit.

SOLUTIO. — 1° Generatim culpa immunem fuisse Lupum, ubi alium cereorum mercatorem non adivit, existimamus. Etenim res molestissima foret eos habere cereos de quibus moraliter certum esset totos pura apium cera confectos esse : si quidem passim etiam timorati mercatores huius modi mixtiones faciunt, neque facile agnoscuntur mixtiones. Aliunde, cum hic agatur de re quae tantum iuris ecclesiastici est et quidem leviter obligantis, (n. 246, III) nequit a sacerdote postulari ea sollicita cura quam de genuino pane et vino eucharistico habere debet. Ideo si mercator qui videatur probus asserat suos cereos esse e cera apium confectos, licebit ei fidere, nisi forsan tam exiguum esset pretium ut manifestum foret cereos neque quoad maiorem substantiae partem ex apium cera originem trahere.

2° Modo afuerit periculum irreverentiae erga res sacras gravisque erroris in verbis liturgicis proferendis, licite Missam de B. M. V. per hebdomadas aliquot celebravit Lupus (n. 246, IV). In huius modi impotentia legendi, quae probabilius brevi duratura sit, iuvabit tamen, maioris securitatis causa, facultatem poscere ab Ordinario vel, si sacerdos esset Regularis, a Praelato suo (n. 252, IV).

CASUS V

Winocus, inops inopis paroeciae rector, cum advertisset calicis quo uti solebat inaurationem vix non penitus evanuisse, statuit quidem eum quam primum commode posset iterum inaurandum curare, sed rem aliquot hebdomadis distulit donec eleemosynam in hunc finem accepisset. Eadem occasione novum calicem novaque vestimenta sacerdotalia dono accepit et bona fide ad celebrandum adhibuit. Sed mox rescivit neque calicem fuisse consecratum, neque vestimenta benedicta. Nihilo minus ea adhibere non destitit, utrumque per ipsam Missae celebrationem suppletum esse existimans.

SOLUTIO. — 1° Non peccavit Winocus ubi ad breve tempus celebravit cum calice cuius inauratio evanuerat. Nam lex qua patena et interior calicis cuppa inaurari iubentur non nisi sub levi obligat (n. 247, I). Neque timendum est ne, sublata inauratione, ipsa consecratio pereat : haec enim non in sola superficie consistit, sed in toto calice (S. Alph. n. 370, dub. 1), neque ullibi Ecclesia, a qua huius·modi effectus iuridici omnino pendent, talem declarationem fecit, quae ceteroquin multis anxietatibus occasionem daret. Quare sufficit causa rationabilis ut illius legis observatio ad tempus omittatur : qualem causam inopia Winoco praebuisse videtur, in casu.

2° In rigore non videtur reprehendendus Winocus quod calicem et patenam adhibere non destiterit : siquidem probabilis videtur sententia ex ipso ss. specierum contactu ea mansisse sacrata. Laudabiliter tamen ea ad episcopum mitterentur, cum res satis incerta sit et reverentia Sanctissimi Sacramenti numquam satis in tuto collocetur. Vestimenta vero sacra per celebrationem remanere benedicta, quamquam id aliqui AA. antiqui putaverint (cfr. S. Alph. l. 6. n. 380), iam communiter ab omnibus negatur : quia in resp. S. C. R. 22 sept. 1703, cui innituntur, exceptio fit pro solis vasis sacris, minime vero pro paramentis iam adhibitis.

CASUS VI

Trudo parochus pulcherrima ornamenta a Bernardina pia femina acceperat : quae cum die festo induere

pararet, recordatus est ea nondum fuisse benedicta. Sed, ne donatricem quae Sacrum exspectabat magno solatio privaret, statuit ea ad altare adhibere, statim vero postea benedicenda mittere. Alia vero die dubitavit num iterum benedicenda esset casula cuius crux et anterior columna novo panno (*fond*) applicata fuerant.

SOLUTIO. — 1° Rationem solatii piae donatrici dandi nimis levem reputamus quam ut propterea lex non celebrandi nisi cum vestibus benedictis posthabeatur : quae, licet probabiliter sub gravi non obliget (n. 248), nequit tamen neglegi ubi nullum positivum incommodum, aut non nisi levissimum, in ea servanda occurrit. Ita autem contingit in casu, cum Bernardina, de lege illa admonita, haud aegre acquievisset et postea pium solacium cum usura recuperasset.

2° Iterum benedicenda erat casula cuius partes pretiosiores novo panno applicatae fuere. Hic enim illas extensione superare solet, neque huius modi mutatio fieri potest quin casula privetur forma qua ad finem suum inservire possit (n. 248). Reapse fit nova casula, servatis quibusdam veteris partibus.

CASUS VII

Polycarpus sacerdos, in sacello quodam rurali celebraturus, non repperit stolam coloris qui cum colore diei ceterisque ornamentis congrueret : quare sine stola celebravit. Alias in oratorio monialium, cum Soror aeditua ei porrexisset cingulum sericum : « Apage, soror, exclamavit, cum his novitatibus ! Da mihi cingulum lineum ! »

SOLUTIO. — 1° Merito celebravit Polycarpus sine stola, etiam e mera devotione, si stolam coloris requisiti nullatenus aut nonnisi cum magno incommodo habere poterat. Neque videtur obligatus fuisse ad assumendam stolam alius coloris : ne discrepantiam indecentem cum reliquis vestibus sacris induceret, praesertim si coram populo multo celebraturus erat (n. 248, I).

2° Severiorem se praebuit Polycarpus quam ipsa S. C. R. Haec enim interrogata : " An sacerdotes in sacrificio Missae uti possint cingulo serico „ 22 ian. 1701, hac ratione respondit, quae longe ab

acerba reprobatione Polycarpi abest et nullam obligationem imponit : " Congruentius uti cingulo lineo „ (Coll. S. R. n. 2067).

CASUS VIII

Canutus, acerrimus stili Gothici sectator, cum ecclesiam parochialem cuius curam gerebat ad purissimam huius stili formam reduxisset, eidem vestes quoque sacras conformare studuit. Quare casulas, pluvialia, albas etc. ad formam medii aevi elaborata comparavit, obmurmurantibus tamen quibusdam sacerdotibus quod, sub praetextu colendae antiquitatis, novitates in cultum divinum induceret.

SOLUTIO. — Nullum decretum, quo usus ornamentorum Gothicorum approbaretur vel improbaretur, S. C. R. hucusque tulit. Solum documentum in quo de conamine multorum sacerdotum in Gallia, Anglia, Germania et Belgio ad gothicam formam sacrarum vestium reducendam egit S. Sedes, quatenus novimus, sunt Litterae encyclicae S. C. R. mense augusto 1863 ad Ordinarios harum regionum datae, quibus iidem invitabantur ut S. Sedi exponerent ob quasnam rationes haec immutatio facta fuisset. In his litteris ita loquitur S. C. R. ut eandem per se et nisi rationes alicuius ponderis accessissent, improbandam fuisse significaverit. " Quamvis, inquit, eadem S. C. probe nosceret sacras illas vestes, stilum gothicum prae se ferentes, praecipue saeculis XIII, XIV et XV obtinuisse, aeque tamen animadvertit Ecclesiam Romanam, aliasque latini ritus ecclesias, Sede Apostolica minime reclamante, a saeculo XVI, nempe ab ipsa propemodum Concilii Tridentini aetate, usque ad nostra haec tempora illarum reliquisse usum ; proindeque, eadem perdurante disciplina, necnon S. Sede inconsulta, nihil innovari posse censuit, uti pluries SS. PP. in suis edocuere Constitutionibus, sapienter monentes istas, utpote probato Ecclesiae mori contrarias, saepe perturbationes producere posse et fidelium animos in admirationem inducere. „ Numquam tamen ad aliquam positivam prohibitionem deventum est : ac proinde hoc unum cavendum est ne novitates contra normam divini cultus tacite saltem ab Ecclesia probatam introducantur. Tales non videntur mutationes tam exiguae ut populi oculos nullatenus aut vix feriant, ac proinde nullum sit per-

turbationis vel admirationis periculum. Ampliores autem mutationes non censemus improbandas, si passim in aliqua dioecesi fiant ; accedente enim saltem tacito Ordinarii consensu, sacerdotes possunt tuta conscientia huius modi mutationes, quae nulli legi scriptae adversentur, in praxim admittere : eo vel magis quod, cum ornamenta gothica confici et adhiberi in pluribus locis, etiam post cit. litt. Encyclicas, perrexerint, haec verisimiliter tacita approbatio vel saltem tolerantia S. Sedis censeri potest. Si vero nullus usus huius modi in dioecesi viget, Canutus, si tantam mutationem meditabatur ut populi admiratio timenda esset, debuisset consilium suum cum Ordinario communicare eiusque monitis obsequi.

CASUS IX

Avitus missionarius in die Pentecostes, cum forte adessent alius sacerdos et quidam seminarista subdiaconus, plurimum cupiebat Missam sollemniter celebrare. Sed non habebat tunicellas nisi albi coloris. Nihilo minus, existimans neophytos parum in rubricis versatos parum admiraturos esse discrimen colorum, sollemniter Missam cantavit planeta rubra indutus, dum assistentes in albis nitebant.

SOLUTIO. -- Ad hunc casum sibi propositum respondit S. C. de P. F. 26 iul. 1850 (Coll. P. F. n. 807) : " Arbitrio et prudentiae Vicarii Apostolici. „ Quare dubium non est quin probari possit huius modi multicolor celebratio si accesserit Ordinarii approbatio. Quod si eam ob locorum distantiam assequi non potest Avitus, censemus eum posse illam pro casu transeunte supponere, modo certus sit nullam nocivam admirationem fidelium vel Sacrorum contemptum oriturum esse : sicut facile continget inter barbaras gentes, praesertim nondum a longo tempore ad fidem conversas.

CASUS X

Willibrordus parochus quandoque infra hebdomadam nullum virum vel puerum habet quem tamquam ministrum adhibeat : quod ubi contingit, Euphrosinam devotam mulierem monet, quae laetabunda Sacro a longe inservit

suavique voce responsa in libro precum legit. Quondam vero statim post lectum Evangelium abiit puer qui Sacro ministrabat : absente Euphrosina et quavis alia ad respondendum apta muliere, Willibrordus solus perrexit sibique ipsi respondit.

SOLUTIO. — 1° Willibrordus reprehendendus non est quod ministerium Euphrosinae, deficiente quovis ministro masculo adhibuerit, etiamsi e mera devotione celebraturus erat. Quamdiu enim contrarium non edixerit S. C. R., licet opinari hanc esse necessitatem sufficientem quod, omisso feminae ministerio, Sacrum omittendum foret (n. 249, II).

2° Abeunte ministro, Willibrordus aliquanto tempore, puta quinque momentis, exspectare debebat, si forte rediturus esset ; quo tempore elapso, pergere potuit. Neque obstat Willibrordum tantum ad finem Evangelii pervenisse cum minister abierit : nam multi AA. indefinite dicunt inceptam Missam non esse relinquendam ob defectum ministri (Bus. ap. S. Alph. n. 391), et si qui alii allegati a S. Alph. (l. c.) addunt " maxime si sit facta oblatio „, haec loquendi ratio indicat non excludi casum in quo eadem nondum fuerit peracta.

CASUS XI

Licinius in sacello quodam domestico nobilis familiae celebraturus erat, cum monitus est nullum adesse qui Missae inservire posset. Nihil cunctatus, famulum domesticum iussit in sedili prope altare genuflectere, urceolos ad offertorium et communionem afferre et, signo dato, campanulam pulsare. Ipse vero sibi toto tempore Sacri respondit.

SOLUTIO. — Laudanda certe industria Licinii, si quaedam necessitas urgebat Sacri celebrandi, utputa si multi, omissa celebratione, praecepto Missae audiendae satisfacere non possent, neque spes esset idoneum ministrum obtinendi, facta aliquali mora (n. 249, I). Ipsae rubricae, ut scite advertit Bucceroni (Cas. II. n. 75) monent sacerdotem ut, si ad *Kyrie eleison* vel *Orate fratres* minister non respondeat, ipse eius partes agat : unde patet nihil absonum esse quod etiam in reliqua Missa ita agat sacerdos.

Notandum tamen est, semel tantum recitandum esse *Confiteor* ante *Introitum*, iuxta resp. S. C. R. 4 sept. 1875 (Coll. P. F. n. 818). Res magis dubia esset si nulla necessitas celebrandi urgeret, ut facile contingere posset Licinio, si die profesto in sacello domestico celebraturus esset. Opinamur tamen licite cum ministro muto celebrari, etiam in hac hypothesi, modo nulla huius rei consuetudo inducatur, sed tantum agatur de casu inopinato : nullum enim abusus periculum in hac praxi cernitur, si his limitibus circumscribatur, et urgeri potest paritas cum casu praecedenti celebrantis e mera devotione dum mulier respondet. Hic enim fere aeque a lege recedunt vir mutus et mulier loquens.

CAPUT VI

DE SERVANDIS IN IPSA CELEBRATIONE

§ 1. REGULAE GENERALES

CASUS I

Ladislaus sacerdos, cum alteram ex orationibus post *Agnus Dei* recitandis dixisset, recordatus est se omisisse primam : eam igitur recitavit, eaque absoluta tertiam incepit. Quandoque etiam advertit se quaedam e nominibus Sanctorum in canone positis omisisse, vel saltem vehementer dubitavit num quaedam omisisset. Nihilo minus magnam Canonis partem, relicto Missali, memoriter recitare non destitit.

SOLUTIO. — 1° Quamvis nolimus increpare Ladislaum ob resumptam orationem quam omiserat, rectius tamen facturum fuisse putamus si nihil resumpsisset. Id enim magis conforme videtur cum rubrica quae de omissionibus in forma consecrationis dicit : " Si non sunt de necessitate Sacramenti non resumat, sed procedat ulterius „ (De defect. V. n. 2). Secus dicendum fuisset si

non post alteram orationem integre absolutam omissionem suam advertisset Ladislaus, sed post pauca verba : in hoc enim casu, cum omissio sit notabilis, recitanda fuisset prima oratio (Gasp. n. 839). Sic etiam nulla ratio apparet ob quam omittas Secretam et Postcommunionem si forsan aliquam Collectam eis respondentem oblitus fueris.

2° Si a bona fide abstrahimus, graviter peccat Ladislaus si, postquam advertit memoriam suam quandoque non leviter deficere, eidem fidere pergit, relicto medio tam facili, quod ipsi Ecclesia commendat, legendi Canonem e Missali : exponit enim se periculo omissionum quae facile ad materiam gravem pertingere possint, cum unus error qui advertitur fundamentum praebeat suspicandi plures alios qui non advertuntur (n. 251, III).

CASUS II

Donatus sacerdos, dum ad altare pergit, super bursam calicis deferre solet strophiolum suum, quo nasus iugiter manans crebro indiget, et tabernaculi clavem. Quondam, cum ob acres dolores brachia attollere non posset, nihilo minus celebravit, brachiis fere toto tempore super altare quiescentibus et ss. speciebus manu sublatis potius quam coram populo elevatis.

SOLUTIO. — 1° Nihil super calicis bursam deferre licet, ut concludere est e resp. S. C. R. 1 sept. 1703 (Coll. S. R. n. 2118). Interrogata enim : " An sacerdotibus liceat deferre manutergium supra calicem, tam in eundo quam in redeundo ad altare ? „ respondit : " Non licere „. Quare clavis tabernaculi potius sinistra manu ferenda esset, qua et calix tenetur (Gasp. n. 885). Non censemus tamen Donatum peccaturum esse, saltem contra legem positivam, si contra hoc decretum egerit. Declaratur enim rubrica quae, si res presse sumuntur, ut in tali argumento licet, potius ad ea quae Missam praecedunt quam ad ipsam celebrationem refertur, ac proinde tamquam mere directiva haberi potest (n. 250). Adde : rem per se nullam indecentiam inferre celebrationi.

2° Donato licebit celebrare quamquam brachia altari imponere cogatur, neque elevationem solita ratione peragere possit. Attamen si tanta est eius impotentia ut indecora sit eius cele-

bratio (quod in casu facile fiet), privatim celebrare debebit, vel si publice celebrare quadam necessitate cogatur, populum moneat necesse est quam ob causam a communi more recedat (n.252,IV).

CASUS III

Carpophorus parochus, cum a medico iussus esset a vino abstinere, coepit quam modicissimam vini quantitatem consecrare, calicis vero purificationem et digitorum ablutionem sola aqua peragere. Magna quoque sollicitudine oves suas amplectens, non raro inter celebrandam Missam, si alius sacerdos deerat, petentibus fidelibus S. Communionem distribuebat.

SOLUTIO. — 1° Strictius iniungitur usus vini ad purificandum calicem quam ad abluendos digitos. De purifiando enim calice expresse vinum adhiberi praecipit Missale Rom. (Ordo Missae) : " Interim porrigit calicem ministro, qui infundit in eo parum vini, quo se purificat „. De ablutione vero dicitur tantum : " Abluit digitos, extergit et sumit ablutionem „ : quamquam usus explicat in ea ablutione vinum aquae miscendum esse. Nihilo minus S. Alph. (n. 408) a veniali excusat eum qui ob rationabilem causam, puta quia est abstemius, ablutionem sola aqua perficit, et sine ulla nota refert sententiam Tamburini idem contra Gavanti opinantis de calicis purificatione. Quare facile indulgendum est Carpophoro ut digitos sola aqua abluat; insuper, si e medici iudicio etiam modica illa vini quantitas eius valetudini obesse possit, etiam calicem sola aqua purificare permittendus erit. Sic et S. C. de P. F. (Coll. P. F. n. 798) 13 ian. 1665 respondit posse missionarios Sinenses sola aqua uti in purificatione et ablutione Missae, eo quod vinum in Sina ita rarum esset ut, si illud in utraque adhiberent, periculum incurrerent carendi vino ad celebrandum.

2° Reprehendendus est Carpophorus si Missam inter consecrationem et communionem interrupit ut communionem e sola devotione petentibus satisfaceret.Si vero interrupit ante consecrationem et praesertim ante inceptum canonem, non censemus eum universe vituperandum esse, cum id ob causas non ita graves permitti soleat (n, 253, VI). Iam vero fieri potest ut aegre vel cum magno detrimento spirituali fideles quidam ferant neminem adesse qui

hoc momento communionem porrigat, puta quia diutius exspectare nullatenus possent, dimissi vero Paschale praeceptum omissuri timerentur vel indignabundi recederent. Nulla tamen ratione probari posset Carpophorus si hunc morem interrumpendi Sacri ad communionem dandam assumeret : id enim manifeste reverentiae S. Sacrificio debitae officeret.

CASUS IV

Saturninus parochus solet, deposita post evangelium casula, ecclesiam circumire ad corrogandas a populo eleemosynas. Interdum etiam Missam interrumpit post sumptas ss. species ut ferventi contiuncula communicaturos ad pietatem excitet.

SOLUTIO. — 1° Consuetudinem ecclesiae circumeundae post evangelium ad eleemosynas corrogandas cum Gasparri (n. 847) aliisque reprobandam ducimus. Interrumpitur enim Missa ob causam quam Ecclesiae consuetudo non recipit, immo vix recipere posset, cum turpis lucri speciem habeat celebrantem ab altari discedere ut pecuniam corroget. Attamen si vera necessitas ad id cogeret, quia vere constaret aliud medium non suppetere quo pecunia alendo sacerdoti vel cultui exercendo necessaria congregaretur, ad tempus id licitum censeremus : declarata enim populo hac necessitate, iam cessaret turpis quaestus species.

2° Interrumpere Missam post sacerdotis communionem ad brevem contionem communicaturis faciendam, expresse probavit S. C. R. 16 apr. 1853 (Coll. S. Rom. 3009). Nempe dubium 4^{um} erat : " Possuntne in Missa post sumptionem haberi breves sermones, dum vel ad S. Synaxim prima vice adulescentes admittuntur, vel alia quacumque ex causa, qui quidem sermones *Fervorini* nuncupantur „ ? Responsum est : " Affirmative „.

CASUS V

Hilarion dum Sacrum celebrabat male habere coepit. Iam utramque consecrationem perfecerat, cum animi defectum passus est. Statim aedituus aegrotantem sustulit, in sedile

posuit, aqua frigida frontem lavit et stomachum, qui mali causa videbatur, irrigavit. Post aliquantam quietem, Hilarion conatus est Sacrum absolvere, sed mox, vomitum praesagiens et semper magis aegrotans, vices suas cessit Arsenio sacerdoti, qui adhuc ieiunus adstabat. Hic, cum postea Sacrum pro populo celebrare deberet, ablutiones non sumpsit.

SOLUTIO. — 1° Hilarion debebat prosequi Sacrum, quamvis iam non foret ieiunus aliusque sacerdos ieiunus adesset : praevalet enim lex unitatis ministri in Sacro celebrando super legem ecclesiasticam ieiunii Eucharistici. Quare licebat Hilarioni aquam bibere, si talis haustus videbatur ei necessarius ut melius haberet et Sacrum perficere posset (n. 253, VI).

2° Merito a Sacro prosequendo abstiuuit Hilarion, ubi rem sibi moraliter impossibilem esse expertus est, vel periculum positivae irreverentiae, propter imminentem vomitum, timere coepit. Ipsa enim divina praecepta positiva urgere desinunt, ubi grave incommodum per accidens eorum impletioni coniunctum est (Vol. I. n.114). Attamen supponimus iam evanuisse spem Sacri prosequendi post aliquam quietem, puta quadrantis vel semihorae : nam quamdiu talis spes manet, lex praedicta non est moraliter impossibilis in casu.

3° Arsenius tenebatur prosequi Sacrum : ne hoc parte sua integrante, nempe celebrantis communione, mancum remaneret. Erravit vero ubi Sacrum celebravit postquam iam S. Communionem sumpsit (n. 253, VI), nisi forte ea forent adiuncta in quibus binatio liceret (n. 239 seq.).

CASUS VI

Callistratus parochus valde sollicitus erat ut populus partem magis activam in sacris sollemnitatibus haberet. Quare fideles pios puerosque docuit sub Missis privatis nunc recitare alta voce preces variis S. Sacrificii partibus aptatas, nunc pias cantilenas lingua vulgari canere. Pariter sub sollemni Sacro Gloria, Credo et varios hymnos eadem lingua ab omnibus decantari curavit. Verum, cum haec audivisset

Severianus, rubricarum zelantissimus, omnes illas novitates tamquam corruptelas exstirpandas esse acriter contendit.

SOLUTIO. — Causa precum a causa cantus secernenda est. Itaque :

1° Preces lingua vernacula ab omnibus fidelibus alta voce recitari sub Sacro per se maxime laudandum est, cum hic mos sit optimus ad multorum socordiam excutiendam. Ideo de tali praxi interrogatum S. Off. 11 dec. 1850 (Coll. P. F. n. 808) respondit : " Praxim de qua agitur laudandam verbis amplissimis. „ Id unum cavendum est ne lingua vulgari eae preces recitentur quae a celebrante eiusve ministris latina lingua recitandae sint, ne videantur quasi partem Missae efficere. Cfr. Litteras S. C. de P. F. 15 sept. 1759 (Coll. P. F. n. 801).

2° Cantus in lingua vulgari sub Sacro sollemni vel cantato vetantur, sub privato de consensu Ordinarii permittuntur. Liquet e resp. S. C. R. 31 ian. 1896 in Bisarchiensi. Ad dubium : " An in parochiali ecclesia a fidelibus intra missam cani possint, iuxta antiquum morem a nonnullis annis interruptum, preces et hymni lingua vernacula compositi in honorem sancti martyris vel mysterii cuius festum agitur „ ? Responsum est : " Affirmative, de consensu Ordinarii quoad Missam privatam ; negative quoad Missam sollemnem sive cantatam, iuxta ordinationis pro musica sacra articulum septimum et octavum (1), non obstante decreto diei 21 iunii 1879 (2) et aliis quibuscumque „. Inde liquet non fuisse vituperandum Callistratum ob pias cantilenas lingua vulgari sub Missa privata cantatas, modo accesserit consensus saltem tacitus Ordinarii, sed merito vituperandum fuisse ob cantus eadem lingua sub Missa sollemni editos.

(1) Ita sonat a. 7 huius Instructionis ad omnes episcopos Italiae missae 21 iul. 1894 : " Idioma quo in canticis, dum sacrae functiones strictim liturgicae peraguntur, utendum omnino est, sit lingua ritus propria ; textusque pro libito decantandi ex sacra scriptura, ex ecclesiastica liturgia, ex hymnis demum precibusve ab Ecclesia comprobatis excerpantur „. Atque a. 8 : " In ceteris quae fieri solent functionibus, vulgari lingua uti licebit, ex piis riteque probatis catholicorum libris excerptis verbis „.

(2) Hoc decreto statuerat S. C. R. : " Cantica in vernaculo idiomate in functionibus et officiis liturgicis non esse toleranda ; extra functiones liturgicas servetur consuetudo „.

§ 2. QUAEDAM PARTICULARIA PRAECEPTA

CASUS I

Theodorus, sacerdos saecularis in Belgio, Missam celebrare solet apud Moniales Colettinas, officium iuxta calendarium Franciscanum recitantes. Ipse tamen in Missa ordinanda sequitur calendarium dioecesanum, quia, cum non sint illae moniales in sensu stricto, neque earum oratorium existimandum est exemptum vel oratorium Regularium.

SOLUTIO. — Theodorus Missam suam, relicto calendario dioecesano, omnino conformare tenetur calendario Franciscano, iuxta decretum S. C. R. 9. dec. 1895 (n. 255, I), dummodo celebret in oratorio quod communitati inserviat, non autem in aliquo oratorio secundario : quale vix umquam in huius modi monasteriis reperitur. Etenim moniales improprie dictae Belgii aliarumque regionum, licet exemptionem Regularium non participent, fruuntur tamen omnibus favoribus spiritualibus quibus gaudent moniales eiusdem Ordinis alibi sollemniter professae, ut S. C. Ep. et Reg. 23 mart. 1869 declaravit (n. 85, 6°). Inter hos favores spirituales recensendus est usus calendarii et Missalis Franciscani. Habet ergo earum oratorium calendarium proprium, cui se conformare debent quicumque e clero, seu saeculari seu regulari, ad illud celebraturi confluunt.

CASUS II

Orestes sacerdos Regularis quandoque Missam celebrat in sacello vicino, cuius dominium ad monasterium spectat, usus vero permittitur pio cuidam sodalicio cuius spiritualem curam eiusdem communitatis membra gerunt. In hoc sacello semper sequitur calendarium Ordinis proprium, dum Aristides eius confrater ibi calendarium dioecesanum apponendum sequendumque contendit.

SOLUTIO. — Oresti potius astipulamur quam Aristidi. Oratorium enim illud, tum ob ius dominii et situm propinquum, tum ob exclusivam curam spiritualem, tam arte cum monasterio coniunctum videtur ut quasi aliquod eius membrum reputari queat : quod praesertim verum esset si sacrae aediculae exemptionem, perinde ac monasterii, agnosceret Ordinarius. Videtur ergo haberi posse tamquam secundarium eiusdem monasterii sacellum. Verum, si idem oratorium primario pertineret ad sodalitatem quae in eo sedem suam habet, quia longe a monasterio situm esset atque a monasterio emptum fuisset tantum postquam ad sodales pertinuisset, non posset haberi tamquam membrum monasterii, licet iam in eius dominium transiisset et a religiosis in spiritualibus regeretur : quare iam in eo, sicut in reliquis sodalitatum separatarum sacellis, vigeret Ordo dioecesanus.

CASUS III

Calpurnius sacerdos, rogantibus piis quibusdam mulieribus, novenam in honorem B. M. V. instituit recitatis per novem diem Litaniis Lauretanis aliisque precibus statim post Missam privatam dum in gradu altaris genuflecteret : quae preces cum iam satis longae viderentur, omisit eas quae a Leone PP. XIII in fine Missae recitari iubentur. Ubi vero ad sacristiam redibat, hymnum *Te Deum laudamus* recitare solebat : quia Psalmum *Benedicite* memoriae onerosum, devotioni fovendae ineptum reputabat.

SOLUTIO. — 1° Non est increpandus Calpurnius quod novendiales preces recitaverit, saltem de consensu Ordinarii. Etenim interrogata S. C. R. : " An possint praecipi aut saltem permitti aliquae preces recitandae ad altare post Missam, non depositis sacris vestibus ? „ respondit 31 aug. 1867 (Coll. S. R. n. 3157, ad 7 ^{um}) : " Affirmative, dummodo preces dicantur assentiente Ordinario „. Immo si preces sunt ex probatis ab Ecclesia, sufficit etiam praesumpta Ordinarii permissio (Gasp. n. 927). Sed minime licebat Calpurnio omittere ob liberam devotionem preces a Leone XIII praescriptas : quod satis patet per se atque a S. C. R. 23 iun. 1893 declaratum est episcopo Portus Ludovici similem casum exponenti.

2° Agit Calpurnius contra rubricam directivam, ubi *Te Deum* recitat dum rubrica statuit : " Redit ad sacristiam (sacerdos), interim dicens Antiphonam *Trium puerorum* et Canticum *Benedicite* „. Attamen per se non censemus eum peccare propter hanc mutationem (n. 256, IV). Quin etiam plane probandus esset si vix aut ne vix quidem Psalmum illum memoriter dicere posset atque ita, ob conatus faciendos, devotionem amitteret, dum revera hymnus *Te Deum* plurimum eius devotionem aleret.

TRACTATUS XV

DE PAENITENTIA

SECTIO I. — DE SACRAMENTO PAENITENTIAE UNIVERSE INSPECTO

CAPUT I

DE MATERIA SACRAMENTI PAENITENTIAE

CASUS 1

Eudoxia ita confitetur : « Ego numquam aliis obloquor, ut multi faciunt ; interdum audivi blasphemantes, quos tamen increpavi ; mane pluries oblita sum orare ». Petente confessario num quandoque impatiens fuerit, mentita sit, vanitati indulserit, etc. omnibus quaesitis, velut indignabunda, respondet : « Absit, Pater ! Numquam talia facio ». Tandem confessarius : « Si nullum peccatum commisisti, inquit, neque absolutione indiges ». et stupenti mulieri frustraque reclamanti ostiolum claudit.

SOLUTIO. — Recte interrogare coepit confessarius, sed citius quam par erat ab hac via recessit. Etenim si ad peccata vitae praeteritae perrexisset, praesertim ad delicta iuventutis, quae graviora esse solent, forsan aptam absolvendi materiam invenisset (n. 262). Quod si neque hac ratione aliquam determinatam accusationem emungere potuisset, Eudoxia ad accusationem et dolorem de omnibus peccatis totius vitae adducenda fuisset : quibus factis, saltem per responsa affirmativa confessario interroganti data, absolvi poterat : nam cum mores satis pios habeat, ut ex increpatione blasphemantium et consuetudine mane orandi colligi potest, merito supponi potest absolutas illas negationes tantum e defectu memoriae vel intellectus oriri. Conandum tamen foret confessario ut paenitentem doceret quomodo in quaedam peccata omnes interdum labamur, quomodo sibi invigilare debeat, neque facilius omnes defectus suos excusare, etc.

CASUS II

Homobonus ita confitetur : « Mihi nihil aliud dicendum est quam me saepe revolvisse pravas cogitationes et semel, cum iter agerem, a Sacro afuisse die Dominica ». Ad quem confessarius : « Amice, inquit, accusa te etiam de peccatis vitae praeteritae ». « Ita » respondet Homobonus, et, suavi exhortatione praemissa, absolvitur.

SOLUTIO. — Perperam egit confessarius dum nihil interrogavit de omissa vel praestita resistentia pravis illis cogitationibus quas paenitens revolvit : quomodo enim e sola accusatione Homoboni sciet utrum hac occasione peccaverit an, victa tentatione, merita auxerit? Pariter de Sacro ab itinerante omisso inquirendum fuisset (nisi forsan paenitentem valde timoratum esse aliunde noverit confessarius) utrum voluntaria an involuntaria fuisset ista omissio, et, si voluntaria, utrum ex aliqua necessitate an omnino sponte susceptum fuerit iter. Quod si in his nullatenus peccasse deprehenditur Homobonus, confessarius in rigore potest interrogatione generica de praeteritae vitae peccatis contentus esse. Attamen, excepto casu quo paenitentem omnino pium coram se haberet, aliquam imprudentiam admitteret si nulla distinctiore interrogatione, seu circa culpas veniales ab ultima confessione admissas, seu circa peccata antiquiora, contritionis securitati prospiceret (n. 262).

CASUS III

Martinianus alumnus quandoque in confessione nihil aliud accusabat nisi se pigrum fuisse vel invidum, confessarius autem nihil amplius sciscitatus absolutionem dabat. Hic tamen postea anxius esse coepit ne forte absolutionem invalide protulisset, cum Martinianus merum vitium naturale, nullum autem peccatum accusasset.

SOLUTIO. — Rectius profecto egisset confessarius si Martinianum interrogasset de culpis determinatis e pigritia vel invidia exortis, vel saltem aliquam accusationem peccatorum praeteritae vitae subiungendam curasset. Attamen exigua ratio est ob quam de valore harum confessionum dubitetur ; paenitens enim, nisi in rebus religiosis prorsus peregrinus sit (quod de paenitente pio, cum solis venialibus accedente, haud facile supponendum est), ubi se pigrum invidumve fuisse accusat, intendit accusare voluntarias culpas ex his vitiis ortas ; neque aliter confessarius huius modi accusationem intellegit. Quare sin minus quoad verba materialiter sumpta, saltem quoad sensum a colloquentibus intentum et perceptum vera peccata accusata fuere.

CASUS IV

Antigonus confessarius quandoque dubitat num sufficientem accusationem faciant quidam ex ipsius paenitentibus. Interdum enim audit pias mulieres, apud alium confessarium confiteri solitas, quae, explicatis quibusdam precum omissionibus vel devotularum nugis, puta blasphemiis auditis vel mente repetitis, addunt tantum se praeterea dolere de omnibus aliis vitae anteactae peccatis, nullo in specie commemorato. Inter habituales autem paenitentes suos reperitur Conradus, vir valde pius, qui singulis hebdomadis confiteri solet, saepe autem totam suam confessionem concludit his verbis : « Nihil peculiare occurrit hac hebdomada : veniam peto de peccatis gravioribus totius vitae meae. »

SOLUTIO. — 1° Nullam rationem cernimus ob quam Antigonus anxius sit de piarum illarum mulierum confessionibus. Etenim moraliter certum est nihil deesse quod ad sacramenti essentiam pertineat (n. 262, 2°). Quid autem ageret Antigonus ut confessionem hanc merae devotionis utiliorem paenitentibus efficeret ? Interrogabitne num alia peccata venialia ab ultima confessione commiserint ? Sed vix non certo audiet omnibus quaestionibus suis dari responsum negativum, vel ita dubium ut nihil inde concludere queat. Petetne a paenitente utrum doleat etiam de peccatis commissis in vita praeterita, explicita aliqua specie, ex. gr. contra caritatem vel castitatem ? Annuet sane paenitens. Sed quid iuvabit haec determinatio ut confessio illa cum maiore fructu vel certiore dolore instituatur ? Profecto non intellegimus quomodo huic medio tantam efficaciam quidam tribuere possint ut existiment propter hanc obiter factam mentionem speciei cuiusdam peccatorum veram contritionem assecuturos esse qui secus eadem caruissent.

2° Cum Conradus soleat confiteri apud Antigonum, hic facile recordabitur quaedam ex illis gravioribus peccatis, ac proinde nequit dubitari de confessione ista, quasi mere generica foret (n. 262, 1°). Nihilo minus quidam (Lehmk. II. n, 264) non probant sacerdotem qui post talem accusationem absolutionem tribuat, nisi quaedam necessitas urgeat : quamquam rationem distinctam huius improbationis suae non afferunt. Sed non putamus iis assentiendum esse. Multi enim sunt homines qui, cum ex una parte vitam valde honestam agant, ex altera vero aegre recordentur quid egerint vel exiguum dolorem de culpis valde levibus experiantur, nesciunt quid accusent tamquam commissum ab ultima confessione, vel etiam malunt tacere ea de quibus se non satis atteri putant. Atque etiamsi quis interdum plane libere seligeret modum quem Conradus tenuit, non videmus cur confessarius eum prohibere debeat : non enim occurrit in his confessionibus hinc inde factis periculum ob quod confessarius prohibere debeat ne ipsius paenitentes consuetudinem assumant nihil dicendi de peccatis venialibus ab ultima confessione commissis.

CASUS V

Sosthenes sacerdos Stephaniam in Lutherana secta natam ad veram fidem converterat. Sed cum neophytam iussisset omnia peccata gravia totius vitae post baptismum

confiteri, Stephania tam vehementem repugnantiam adversus hanc confessionem ostendit ut propterea adiurationem differre vellet. Quare primum statuit Sosthenes nullam confessionem neo-conversae imponere; postea, mutato consilio, iussit eam generice tantum de peccatis antea commissis confiteri.

SOLUTIO. — Si Sosthenes versabatur in loco in quo huius modi confessio non est a S. Sede vel episcopis praecepta, poterat abstinere ab urgenda illa totius vitae accusatione; quippe quae practice sub stricto praecepto non sit imponenda (n. 259). Supponendum tamen est repugnantiam neo-conversae nequaquam oriri e praeiudiciis Lutheranis contra ipsum sacramentum Paenitentiae et de valore prioris baptismi satis dubitari ut probabiliter valeat baptismus quem sub condicione receptura est: nam si prior hypothesis falsa foret, deponenda esset prava dispositio antequam Stephania in Ecclesiae gremium reciperetur; si posterior deficeret, deesset fundamentum sententiae a confessione excusantis, nempe probabilis remissio peccatorum per alterum baptismum. Si vero in loco versatur in quo eadem confessio ab episcopis praescripta est, difficilius ab ea exigenda abstinendum erit. Attamen ne periclitetur conversio, videtur Sosthenes confessionem remittere posse, modo adsint duae condiciones supra dictae, quamquam consultius foret casum Ordinario exponere eiusque iudicium sequi.

At confessionem in genere postulare contradictionem quandam involvit: nam si confessio necessaria est ob baptismum dubium antea receptum, omnia peccata accusanda erant. Si forte peccata quaedam deleta non erunt per baptismum sub condicione vel contritionem, remittentur sive per Eucharistiae susceptionem, sive per primam confessionem postea institutam.

CASUS VI

Daria, a parentibus protestantibus in Anglia nata, dum in quodam Belgii monasterio educabatur, a Patricio, Hiberno sacerdote, ad veram fidem perducta est. Instante baptismi condicionati die, manifestavit desiderium confessionem apud Patricium instituendi, tum ob affectum quo hunc patrem

suum spiritualem prosequebatur, tum quia ordinarius monasterii linguam anglicam non intellegebat, dum ipsa aegre lingua gallica confessionem institueret. Verum fieri non potuit ut Patricius ea die sollemni adesset. Igitur pluribus diebus ante baptismum condicionatum apud hunc dilectum patrem confessa et absoluta est.

SOLUTIO. — Cum ordo inter sacramenta baptismi et paenitentiae in casu servandus ad valorem non pertineat, sed tantum ob quandam convenientiam a S. Officio praescriptus sit (n. 259, nota), Patricius ob iustam causam eundem invertere poterat. Talis autem causa erat non quidem solus affectus maior ad hunc confessarium, sed difficultas quam Daria expertura erat in explicandis totius vitae peccatis lingua quam imperfecte noverat : unde etiam facile anxietates et dubia oriri poterant. Ergo si dies statuta facile mutari non poterat, Patricii industria probanda videtur. Attamen absolutio dari non potuit nisi prius puella reconciliata fuerit in foro externo ; id autem fieri non solet nisi in baptismo.

CAPUT II

DE FORMA SACRAMENTI PAENITENTIAE

CASUS I

Nicephorus sacerdos, brevitatis studiosus, numquam in confessionibus excipiendis dicit orationes : « *Misereatur*, *Indulgentiam*, *Passio D. N. I. C.* » ; formulam autem : « *D. N. I. C. te absolvat...* » recitat tantum pro magnis peccatoribus. Quondam, in pia peregrinatione, rogatur a quodam ex itinerantibus ut ipsius confessionem excipiat. Audita accusatione, Nicephorus, manus in perula servans ne quid a reliquis sociis adverteretur, submissa voce dicit tantum : « Ego te absolvo ».

SOLUTIO. — 1° Nullum peccatum per se committit Nicephorus dum tres illas orationes in confessionibus audiendis omittit, siquidem probabiliter sunt meri consilii (n. 265, 1° et 3°). Idem dicendum de omissa absolutione a censuris cum iis paenitentibus quos probabile non est aliqua censura innodatos esse (n. 265, 2°), quales profecto sunt quotquot afferunt sola venialia vel mortalia quae nullis censuris percuti solent, ex. gr. ordinaria peccata luxuriae ; similiter ii qui adeo rudes sunt ut plane inverisimile sit iis quamlibet censuram notam esse (n. 570).

2° Cum causa rationabilis adsit, nihil obstat quominus Nicephorus confessionem itinerantis excipiat ut is, ubi in loco peregrinationis pervenerit statim communicare possit (n. 268). Neque peccavit Nicephorus omissis ob iustam causam manus elevatione et signo crucis (n. 265, 2°). Solis autem verbis : *Ego te absolvo* formam sacramenti conficere, practice grave est (n. 264), cum nulla adsit necessitas in iis sistendi : quid enim secreto servando obesse poterat quod submissa voce reliqua rubricalis formae verba adderentur ?

CASUS II

Maglorius confessarius, postquam devote orationes absolutioni praevias recitavit, advertit paenitentem magno impetu ad ecclesiae ianuam properare. Frustra revocare conatur ! Iam ex ecclesia eruperat paenitens cum Maglorius absolutionem in eum protulit.

SOLUTIO. — Rectius egisset Maglorius si, quolibet conatu ad revocandum fugitivum omisso, statim absolutionis formam protulisset : ita enim fere certo moraliter praesentem absolvisset. Secus dicendum foret si paenitentis fugam advertisset confessarius ubi ille vix pedem e confessionali tollebat, ac propterea facile revocari poterat. Quid autem de valore absolutionis in casu datae existimandum ? Cum sacerdos intra, paenitens vero extra ecclesiam versaretur, deficiebat moralis praesentia : haec enim, e communi existimatione, non datur inter duos quorum unus intra quoddam aedificium, alter extra idem versatur, neuter autem cum altero voce communicare potest. Quare Maglorius, si paenitentem iam e templo exiisse animadvertit, absolutionem moraliter certo nullam dare non poterat, eo vel magis quod nulla urgebat stricta necessitas.

CASUS III

Pomponius parochus frustra omnia media tentaverat ut in aedes cuiusdam massonis penetraret, cuius uxor Estella graviter aegrotabat. Sed ecce certior fit in his aedibus telephonium positum esse. Statim vir zelo aestuans, hanc ultimam salutis tabulam arripit ! Adiuvante massonis ancilla communicationem cum Estella obtinet, et confessione per telephonium accepta, laetum triumphum de impio marito agit.

SOLUTIO. — Licite, immo et laudabiliter ad telephonium recurrit Pomponius : siquidem Estella in casu extremae necessitatis versabatur. Modeste tamen triumphum agat de massone : nam valde exigua ratio est ob quam huius modi confessionem valere existimemus (n. 267, VI).

CASUS IV

Candidus confessarius saepe sub condicione absolvit paenitentes pios qui materiam tantum dubiam afferunt, vel confitentes tempore Paschali quorum dispositiones valde ambiguae videntur. Habet etiam inter paenitentes ordinarios vetulam quandam quae, ob apoplexiam, loquela caret et paulatim repuerascit. Hanc singulis mensibus sub condicione absolvit et communicare permittit.

SOLUTIO. — 1° Non est cur condicionate absolvat Candidus hos paenitentes pios : quippe qui, nullo negotio, certam materiam suppeditare possunt, accusatis, saltem generice, anteactae vitae peccatis : siquidem nemo est qui nulla, etiam semi-deliberata, peccata admiserit (n. 266, IV).

2° Licite sub condicione absolvit paenitentes illos qui semel tantum in anno confitentur, modo probabile sit rite dispositos esse (n. 367) neque commode differri possit absolutio donec certas dispositiones afferant.Etenim adest duplex ratio quae ad absolvendum

sub condicione requiritur et sufficit : cavenda irreverentia sacramenti et timor ne, absque absolutione dimissi, iam non redeant (n. 266, III).

3° Recte egit Candidus cum vetula (n. 266, IV). Nimia enim non videtur menstrua absolutio et communio, praesertim si mulier, antequam in hunc miserum statum decideret, sacramenta crebro recipere devoteque vivere solebat, nunc autem saltem quaedam reverentiae signa erga crucifixum, rosarium, SS^{um} Sacramentum etc. praebeat.

CASUS V

Plautinus parochus confessionem Xantippae ancillae suae in propriis aedibus excipere solet. Interdum quoque Melaniae nobilis matronae confessionem excipit in illius aedibus, seu ne cogatur nobilis mulier et insignis ecclesiae benefactrix diu inter paenitentes plebeios exspectare, seu ob maximum timorem quem eidem matronae incutiunt hiberna frigora aerisque ecclesiam pervadentis impetus.

SOLUTIO. — 1° Nulla iusta ratio neque legitima consuetudo suffragatur Plautino confessiones ancillae suae in propriis aedibus excipienti : immo ratio suadet ut, si alium confessarium adire possit, ancilla nequaquam apud parochum confiteatur, ad pericula nimiae familiaritatis removenda et vitanda sacrilegia e falso pudore facile oritura. Igitur graviter peccat parochus ubi tali consuetudini indulget (n. 268).

2° Inanis est ratio quam Melania e paenitentium turba deducit ut domi confessionem instituat : non est enim in illa necessitate diu exspectandi ratio quae non sit omnibus mulieribus communis, neque deerit generatim medium quo Melania in ecclesia confitens ab illa diuturna mora liberetur. Altera ratio, e timore alicuius infirmitatis contrahendae, facilius admitti poterit, si ea sunt adiuncta ut nullum sit sacerdoti periculum vel populo scandalum in his domesticis confessionibus. Huius modi enim timor solet mulieres valde delicatas vehementer commovere, neque minus malum afferre quam verus morbus.

SECTIO II. — DE SUBIECTO SACRAMENTI PAENITENTIAE

CAPUT I

DE CONTRITIONE

CASUS I

Aegidius, cuiusdam collegii alumnus, solet singulis quindenis confiteri. Interdum levia quaedam peccata sine ulla contritione accusat ; interdum dicit tantum se esse pluries mentitum, quamvis conscientiam suam non examinaverit ut sciat num ab ultima confessione mentitus sit. Quondam cum primus ad confitendum properasset iamque exspectaret confessarius, statim se ad illius pedes provolvit, unum alterumve peccatum, prout menti occurrit, accusavit, et, antequam integrum actum contritionis recitasset, absolutione donatus est. Postea autem, animo magis devotioni addicto, de valore illarum confessionum dubitare coepit.

SOLUTIO. — 1° Confessio in qua Aegidius quaedam venialia sine ullo dolore accusavit certo valida fuit si simul de aliis venialibus vel mortalibus dolorem habuit : levem tamen irreverentiam sacramento intulit paenitens si, ut in casu satis probabile est, levia ista peccata temere et sive ullo etiam conatu contritionis protulit. Quod si nulla alia peccata, etiam praeteritae vitae, accusavit, confessio per se fuit invalida et sacrilega. Attamen in puero satis pio

rarissime aderit iste gravis reatus : quia vix continget eum non agere ex animi levitate, sed conscium gravis irreverentiae quam sacramento inferat (n. 276).

2° Dummodo reapse saltem in vita praeterita mentitus sit et dolorem de his peccatis gerat, non est cur de valore talis confessionis dubitetur, licet aliqua culpa in defectu reverentiae erga sacramentum, ob nimiam festinationem, irrepere potuerit : accusatur enim peccatum vere commissum cum sufficiente dolore, neque magnum momentum habet error confessarii qui forsan existimabit illa mendacia ab ultima confessione commissa esse (n. 288).

3° Si Aegidius, ubi tam festinanter confessus et absolutus est, nulla peccata mortalia accusanda habebat, non est cur de hac confesione anxius sit : nam, etiamsi forsan ob defectum contritionis nullum fructum protulit, bona fides paenitentem probabilissime gravi culpa immunem servavit. Quod si peccata mortalia accusanda habuit, recogitet utrum, a tempore quo ea patravit usquedum in ecclesiam venerit, aliquem actum contritionis elicuerit necne. Si elicuit, acquiescat (n. 278); secus repetat horum peccatorum accusationem, saltem ad animae tranquillitatem.

CASUS II

Eusebius confessarius, dubitans num Calepodius multis lasciviae peccatis foedatus vere contritus esset, iussit eum attente perpendere singula verba actus contritionis et a se ipso quaerere num paratus esset millies mori potius quam hoc peccatum pollutionis iterum patraret. Respondente Calepodio se optare quidem tam firmum propositum, sed non habere, Eusebius absolutionem dare renuit.

SOLUTIO. — Imprudenter egit Eusebius ubi mentem Calepodii defixit in malum mortis millies subeundum potius quam in peccatum pollutionis relaberetur. Quamvis enim omnes paenitentes, saltem in regione nostra, ob tritam actus contritionis formulam, assueti sint his verbis proferendis : " malim millies mori quam te iterum offendam „, haec multo vehementius phantasiam excitant ubi attente malum mortis cum malo peccati comparari iubetur (n. 274). Adde periculum ne paenitens existimet promissionem potius quam propositum a se postulari (n. 281). Rectius igitur paenitentem

interrogasset Eusebius num firmam voluntatem haberet, cum gratia Dei, faciendi quicquid necesse est ad peccatum mortale vitandum, num velit adhibere media novis peccatis vitandis idonea, utputa crebius orare, vitare otium, fortiter obsistere exorientibus tentationibus, fugere mala colloquia, etc. Haec enim si facere paratus est, valde veri simile est veram contritionem non deesse Calepodio, quamvis eius animus vehementer turpi voluptate alliciatur (n. 272).

CASUS III

Machutus sacerdos, saepe sola venialia confiteri solitus, auxius esse coepit, tum quod tam crebro in eadem recidebat, tum quod iam in ipsa confessione videbatur sibi certo in eadem relapsurus. Ob illos angores statuit rarius ad confitendum pergere : quod consilium firmius tenuit ubi recogitavit se posse omnino cum attritione extra sacramentum obtinere venialium remissionem, quam sine attritione frustra et cum periculo sacrilegii in sacramento quaereret.

SOLUTIO. — Inanis est ille timor ob quem Machutus saluberrimam crebrae confessionis praxim deserit. Etenim crebri relapsus in eadem peccata venialia imprimis non tam certo arguunt firmi propositi defectum, siquidem ab omnibus venialibus abstinere non possumus, et, si in iisdem adiunctis manemus, vix fiet ut in eadem peccata non relabamur : quod si verum est, nihil bono proposito obest quod hanc veritatem mente apprehendamus, seu non relapsuros esse praevideamus (n. 281). Deinde, etiamsi de venialibus conteri frustra conatus esset Machutus, modo de gravioribus peccatis praeteritae vitae dolorem renovarit, non est cur de sacrilega confessione timeat (n. 260). Nihil ex his relapsibus et ex hac praevisione concludere potest nisi diligentius in eorum peccatorum emendationem incumbendum esse : haec enim verisimiliter ostendunt ipsius animum exiguum horum peccatorum horrorem concipere et facilius tamquam ineluctabilem necessitatem accipere quod tandem soli hominis ignaviae imputandum est. Iterum erravit Machutus dum existimavit aeque facile venialium peccatorum veniam obtineri ab homine attrito, seu extra, seu intra sacramentum : in hoc enim, minime vero per solam attritionem, condonantur quaelibet peccata quorum aliquem paenitet (n. 277).

CAPUT II

DE CONFESSIONE

CASUS I

Blasius apud Quadratum vicarium confitetur se fovisse turpes cogitationes. Interrogat Quadratus : « Utrum cogitasti de fornicatione an de turpibus tactibus ? » — Bl. « Non recordor. » — Quadr. « An fovisti etiam desideria ? » — Bl. « Ita, ni fallor. » — Quadr. « Quid facere desiderasti ? Utrum volebas peccare solus an,cum alia persona ? » — Bl. « Utrumque. » — Quadr. « Utrum cum viro an cum muliere ? Utrum cum persona Deo dicata vel non ? Mi bone, debebas haec omnia sponte manifestare. » His auditis, Blasius impatientia abreptus vicarium relinquit, ad parochum tendit, et, postquam confessus est se fovisse turpes cogitationes, statim absolvitur.

SOLUTIO. — Uterque Blasii confessarius erravit ubi nihil interrogavit de re omnium praecipua, vid. de consensu turpibus cogitationibus dato vel negato. Itaque imprimis de hac re interrogandus esset paenitens : qui si affirmasset se reapse consensisse, prudenter quoque inquirendum foret quotiens adhaeserit (Vol. I. n. 164, Reg. I). Quandoque etiam paenitentes rudes utiliter docentur peccari posse per cogitationes, licet desiderium non perducatur ad effectum : plures enim negant se turpibus cogitationibus consensisse, dummodo eas exsequi renuerint. His interrogationibus quoad speciem theologicam et numerum expletis, de speciebus moralibus inquirendum erit, quatenus, pro condicione paenitentis, prudenter sperari potest eum aptum esse ad responsum dandum neque, propter quaestiones quibus aegre responsurus sit, animum a sacramento aversurum esse (n. 284). In casu, vicarius ultra limitem progressus esse, parochus infra haesisse videtur. Frustra

enim a rudibus inquiretur utrum, in delectatione morosa, de fornicatione an de turpibus tactibus cogitaverint. Nam, quamdiu non efformaverint aliquod desiderium concretum, vel in ipso momento turpem delectationem tantum in genere mente revolvunt (Vol. I. n. 175, 1°), vel saltem postea ubi confitentur, quid praecise recogitaverint, obliti sunt. Neque, propter unum inter mille qui haec distinctius cogitaverit vel recordetur, obligari possunt omnes confessarii ut quoslibet huius modi paenitentes (quales profecto permulti occurrunt) tot interrogationibus vexent. Si Blasius intellexit distinctionem inter cogitationes et desideria, utiliter interrogari poterat utrum personas alterius sexus turpiter concupivisset. Facilius tamen Quadratus, praesumptione nixus, interrogasset : " Profecto desideria erant de personis alterius sexus „ ? Addere potuisset quaesitum : " Num recordaretur aliquod determinatum opus turpe quod facere desiderasset „. At de iis quae rarius occurrunt, puta de concupiscendis personis Deo devotis, nisi speciales circumstantiae culpam veri similiorem reddant, nihil interrogandum videtur. Haec enim si paenitentes cognoverint, sponte fatebuntur, dummodo benigne, sed generice interrogentur de circumstantiis quas forsan declarandas putent. Reliquis, qui sane longe maiorem partem paenitentium efficiunt, non est obligatio fatendi quae non adverterint vel penitus ignoraverint, neque iis faciendae sunt plurimae interrogationes quibus taedium sacramenti gigni solet.

CASUS II

Camilla, quae cum matre sua ad Tarquinium confessarium pergere solebat ut peccata mere venialia confiteretur, infeliciter incidit in gravem culpam : permisit enim se turpiter a iuvene quodam attrectari. Verita ne mater mutationis causam postularet, non est ausa ad alium confessarium pergere. Sed non minus formidabat integre apud Tarquinium confiteri. Tandem industria puella medium repperit quo omnia pericula removerentur. Accusatis apud Tarquinium solitis venialibus, addidit : « Accuso me etiam de peccatis praeteritae vitae, praesertim vero quod me semel a iuvene turpiter tangi permisi ».

SOLUTIO. — Illicite egit Camilla : dum enim adhibuit formulam quae ex universali piorum consuetudine significat peccatum

quod subiungitur iam fuisse alias absolutione remissum, notabiliter pervertit iudicium confessarii. Is enim confessionem e mera devotione institui invincibiliter existimabit, dum reapse de confessione necessaria agitur ; paenitentiam quoque imponet quasi nullum peccatum mortale ab ultima confessione admisisset Camilla (n. 288). Attamen, cum peccatum suum prout factum erat, clavibus subiecerit, non tenetur confessionem istam repetere, si eam forte bona fide instituerit, existimans nullum vel leve mendacium in hac fraude reperiri. Si melius novisset moralem theologiam industria puella, potuisset aliam viam inire, tuta conscientia : nempe ut, instituta generali confessione, hoc recens peccatum aliis iam condonatis misceret (ib.).

CASUS III

Polycarpus sacerdos, dum mane expergiscitur, se turpi tactu polluit. Attamen, cum opinaretur se nondum fuisse eo momento plene compotem sui, Sacrum, omissa confessione, immo et contritione, celebravit. Vespere autem hoc peccatum tamquam dubium confessus est. Sed postridie, re melius perpensa, clare percepit se amore proprio deceptum fuisse ubi hoc peccatum clavibus subiecit. Quare iterum anxius ad confitendum accessit.

SOLUTIO. — 1° Non peccavit Polycarpus ubi Missam celebravit omissa huius pollutionis confessione, seu probabiliter iudicaverit eam actionem fuisse plene involuntariam vel tantum semi-deliberatam (n. 290, I), seu mere negative dubitaverit utrum graviter an leviter peccaverit (n. 290, III). Neque stricte tenebatur ad actum contritionis eliciendum (n. 291, VII) : quod tamen summopere decebat, si sui compos sat crebro pollutionis peccato indulgere solebat, ac proinde dubium consensus praestiti contraria praesumptione removere non poterat.

2° Non erat cur Polycarpus iterum, et praesertim anxius, pollutionem illam ad S. Tribunal deferret. Etenim, etiamsi ad moralem certitudinem consensus plene deliberati pervenerat, probabiliter ab iteranda accusatione excusabatur (n. 291, VI). Insuper plerumque falluntur qui, postquam de consensu dato aliquandiu dubitaverunt, existimant se plenam certitudinem cogitando acqui-

sivisse : rarissime enim fiet ut de huius modi internis actibus rectioris iudicii elementa suppeditet memoria post plures horas vel dies quam ubi recentissima sunt facti vestigia.

CASUS IV

Melchior confessarius dubitat num recte egerit in tribus adiunctis. Primo absolvit, sine ulla confessione, mulierem nuper e Polonia in Belgium trangressam, quam nullus sacerdos intellegere poterat : hanc ad eum duxerat alia mulier Polona, quae gallicam linguam callebat. Deinde singulis hebdomadis absolvit vetulam quandam, dentibus orbatam, quae tam confuse verba pronuntiabat ut, in prolixa confessione, confessarius vix ullum verbum intellegeret. Tandem contulit se ad confessiones excipiendas in partem Flandriae in qua viget dialectus tam singularis ut pleraque, etiam bis terve repetita, intellegere nequiret : ideo, paucis paenitentibus auditis, e sede confessionum aufugit.

SOLUTIO. — 1° Licebat Melchiori absolvere mulierem hanc Polonam, si diu exspectandum erat donec ipsa linguam regionis didicissit ita ut sufficienter peccata explicare posset : quod facile praesumendum est de muliere quae huius linguae penitus nescia foret, praesertim si litteras non didicit (n. 292, 3°). Generica peccatorum accusatio tunc requisita satis fiet seu per comitem quae paenitentis nomine desiderium confitendi exprimit, seu per ipsam paenitentem dum ad pedes confessarii provolvitur, pectus tundit etc. Aliter dicendum foret si, ob quandam huius linguae notitiam, speraretur hanc brevi sufficientem fore ut saltem interroganti confessario rite responderet. In hoc casu aliquantum, puta per unam alteramve hebdomadam, exspectare vel per mulierem sociam, tamquam interpretem, confiteri deberet.

2° Nihil est cur de confessione huius vetulae anxius sit confessarius, modo fecerit quod potuit ad eam intellegendam. Hunc in finem iuvabit eam interrogare praesertim de iis peccatis quae facilius ab ea committi possint vel de quibus, ob accusationes factas, aliquod dubium habeatur. Ceterum plerumque huius modi vetulae, ubi devotioni insistunt, raro in peccata gravia cadunt, cum a ple-

risque periculis et occasionibus remotae vivant. Quare, cum distinctior confessio sit ipsis physice impossibilis (n. 292, 1°), nihil obstat quominus post generalem accusationem peccatorum vitae praeteritae absolvantur.

3° Si reapse pleraque nullatenus intellegere potuit Melchior ob miram dialecti formam, recte reliquit confessiones : quippe quas sine maximis erroribus et omissionibus, forsan paenitenti damnosis, audire non posset. Sed fere semper, adhibitis interrogationibus pleraque scitu necessaria intellegere poterit : fugient eum tantum illae fusae narrationes quibus rudes specificam accusationem involvere solent, additis multis circumstantiis plane otiosis. Quod si assecutus esset, iam posset pergere in audiendis confessionibus. Iusta enim causa aderat permittendi exiguam quandam laesionem integritatis : Melchiorem in hunc locum perrexisse ad confessiones audiendas, ac proinde ex eius fuga secuturam esse populi admirationem, immo et offensionem, vel multos omissuros esse sacramentorum receptionem ob extraordinarii confessarii recessum.

CASUS V

Leontius parochus ancillam suam Cunegundam, quam consentientem turpiter tetigerat, monuit non posse hoc peccatum ab ipsa accusari apud se vel apud vicarium, qui statim complicem agnosceret. Quare, in oppidum vicinum profecta, Cunegunda confessa est se tactus turpes habuisse cum parocho cuius esset ancilla. Confessarius autem, in sacristiam redux, rogavit aedituum, quem fere nemo aut nihil latebat, e quo pago esset mulier illa quae modo apud ipsum confessa esset. Responso accepto, complicem agnovit, sed simul dubitare coepit num potuerit uti scientia e confessione hausta ad hanc cognitionem acquirendam.

SOLUTIO. — 1° Iure suo usus est Leontius ubi Cunegundam monuit ne culpam suam apud vicarium confiteretur : poterat enim uti sententia probabili quae talem manifestationem prohibet (n. 295), ut propriam infamiam vitaret atque a vicario suo averteret plura incommoda et anxietates, quae e notitia peccati a parocho commissi sequerentur. Ceterum, cum Cunegunda facile possit

ad confessarium cui complex ignotus sit tendere, tenetur hoc medium avertendae infamiae parochi adhibere.

2° Cunegunda perperam egit si sponte confessario manifestavit turpe peccatum commissum esse cum parocho apud quem famularetur; id enim facillime in cognitionem complicis ducere debebat confessarium, cum sacerdotes oppido vicini eorumque ancillae soleant clero oppidano noti esse, saltem pro moribus Belgii. Nihil tamen prohibebatur confessarius quominus, ad dignoscendam occasionem proximam, interrogaret num habitaret apud hunc ecclesiasticum virum quocum peccaverat, et quominus paenitens responderet se illius famulam esse (n. 364). Sed plerique paenitentes optima fide pandunt circumstantias quae minime scitu necessariae sint.

3° Illicite egit confessarius dum, sola motus cupidine cognoscendi parochum turpis peccati reum, aedituum rogavit e quo pago illa paenitens veniret. Etenim ita destruit apud se ipsum illius sacerdotis famam, perinde ac si quis, sine ulla iusta ratione, legeret secretum documentum in quo sciret alicuius personae sibi notae scelus occultum explicari. Neque magis licet proximi famam penes nosmet ipsos quam penes tertium destruere. Nullatenus tamen laeditur confessionis sigillum : siquidem nullus usus fit scientiae e confessione haustae, sed quaestio fit quae de se nullam relationem cum dictis in sacramento habet; scientia autem e sacramento hausta tantum dat per accidens ampliorem cognitionem.

CASUS VI

Symphorosa monialis, post multas sacrilegas confessiones apud ordinarium confessarium peractas, tandem apud extraordinarium cuncta peccata sua sincere accusavit. Sed brevi post, unius mortalis peccati, in hac generali confessione praetermissi, recordatur : quod cum apud ordinarium confessarium nullatenus accusare auderet, exspectavit donec post tres menses rediret extraordinarius. Is autem Symphorosae prudentiam laudavit, atque ut in simili casu similiter ageret hortatus est.

SOLUTIO. — Si novum illud peccatum, quod sibi visa est detexisse Symphorosa, non nisi specie tenus novum erat, quia iam in

confessione generali continebatur, vel quia immerito ab anxia et nervosa muliere tamquam certo mortale apprehendebatur, recte egit Symphorosa silendo, recte extraordinarius dilationem laudando : deerat enim stricta huius peccati accusandi obligatio (n. 270).

Sed si reapse peccatum certo non accusatum certoque mortale detexit Symphorosa, tenebatur petere confessarium extraordinarium, quam primum poterat : qui si non nisi post quosdam dies adventurus erat, interim debebat abstinere ab adeundo ordinario, ne sine gravi causa integritati deesset. Quod si diu defuit facultas confessarii extraordinarii, seu quia nullus in loco aderat, seu quia Superiorissa eum vocare distulit etc., et simul invincibilem repugnantiam experiretur Symphorosa contra manifestationem ordinario faciendam, probabiliter poterat apud ordinarium confiteri, reticito hoc peccato iam indirecte remisso (n. 296, VI). Hinc patet quomodo laudes suas temperare debuisset confessarius extraordinarius.

CASUS VII

Martialis missionarius, si quos fideles agnoscit confessione generali indigere ob peccata diu reticita iubet statim confiteri, quamquam paenitentes huic confessioni, plures annos complectenti, minime se ipsos paraverint. Postquam autem accusationes audivit et congruas quaestiones fecit, addere solet : « Iam omnia quoad praeteritum sunt quasi numquam fuissent. Etiamsi recordaris peccati nondum accusati, non est opus ut illud in confessione exponas » (1).

SOLUTIO. — 1° Omnino laudandus est Martialis quod paenitentes illos statim confiteri iubet, ne iterum apud alium confessarium pravo pudore corripiantur vel plane a confessione abstineant (n. 303, VI). Sed defectui praeparationis supplere debebit interrogationibus quibus percurrat omnia illa peccata gravia quae, pro condicione paenitentis, ab eo commissa esse prudenter suspicari poterit.

2° Hanc ultimam commendationem facere potest Martialis iis

(1) Cfr. Manuale Missionum, auctore P. Isid. Van de Kerckhove (Gandavi, 1856, p. 44 seq.

qui mente valde inquieta videntur vel plane rudes : hi enim inepti erunt iudicium practice certum elicere de peccato illo, utrum iam in hac generali confessione contineatur necne (n. 296, VI). Sed omnibus indiscriminatim hanc practicam regulam dare non licet : esset enim directe contraria genuinae doctrinae catholicae et practica applicatio prop. 11ae damn. ab Alexandro VII (n. 283). Neque eam regulam proponere potest iis quos praevidet non ausuros esse ea peccata ordinario confessario declarare : talis enim praevisio sufficit ut quandoque a declaranda aliqua obligatione abstineat confessarius, minime vero ut eam neget (n. 359). Adde : multos relapsuros esse in idem mortale peccatum, ac proinde periculum novi sacrilegii hac commendatione non vitari. Satius esset his paenitentibus commendare ut, in huius modi angustiis, ignotum confessarium adeant.

CASUS VIII

Plautinus sacerdos, vocatus ad Chrysogonum massonem moribundum, ab eo cum multis conviciis repulsus est. Postridie autem regressus invenit hominem suspiria edentem et quaedam murmurantem quae nemo intellegebat. Plautinus moribundum, ad peccata detestanda excitatum, sub condicione absolvit et extrema unctione munivit.

SOLUTIO. — 1° Laudabiliter egit Plautinus dum hunc moribundum, praemissa exhortatione ad contritionem (si forte hortantem intellegere posset), sub condicione absolvit (n. 298, II). Attamen non peccasset si absolutionem dare omisisset, ratus eam illicite dari : probabilitas enim sententiae quae etiam in hoc casu eam licite dari affirmat non est ita communiter admissa seu *publica*, ut absque temeritate negari nequeat (n. 298, III).

2° Num recte egerit administrata etiam extrema unctione, ab adiunctis pendet. Nam si testes sunt huius administrationis, praesertim parum pii, timendum erit eorum scandalum : vilescent enim in eorum existimatione sacramenta quae videbunt quasi nolentibus obtrudi, ac proinde praevalebit bonum commune utilitati valde dubiae quam moribundo afferret talis unctio. Contrarium obtineret si hoc sacramentum conferri posset absque teste vel iis tantum videntibus a quibus, propter notam eorum pietatem, nullum huius modi scandalum timendum esset (n. 423, II).

CASUS IX

Anastasius sacerdos, incola regionis in qua multi Protestantes Catholicis immixti commorantur, solet obvios quosque moribundos sensibus destitutos sub condicione absolvere et inungere, nihil sciscitatus utrum Catholici sint an Protestantes. Idem, cum quondam Tiburtium amicum Protestantem, quem invisebat, repperisset morti proximum, nihil praemonitum sub condicione clam absolvit.

SOLUTIO. — 1° Probanda est consuetudo Anastasii indiscriminatim absolventis quoslibet moribundos sensibus destitutos : licet enim absolvere huius modi homines, etiamsi inter Protestantes recenseantur, modo removeatur scandalum quod ex illa communicatione in sacris cum Protestantibus oriri posset (n. 298, II), Extremam autem unctionem indiscriminatim omnibus conferre, etiam ubi testes adsunt, non licet : talis enim praxis vix non necessario duceret ad sacramenti contemptum. Igitur, ubi per tempus licet, deberet exquirere utrum moribundus catholicus sit an haereticus, et si haereticus sit, non inungere nisi res peragi possit secreto, absque scandali periculo. Si tempus vel investigationis medium deest, nihil obstat quominus sub condicione inungatur moribundus. Neque professio forsan inculpabilis sectae haereticae obstat quominus hoc sacramentum accipiat : si enim licet ei conferre paenitentiam, non apparet cur prohibendus sit ab extrema unctione, qua cum maiore securitate succurritur sensu destitutis.

2° Si Tiburtium sensibus destitutum repperit, Anastasius recte egit dum nihil praemonitum clam absolvit. Si vero sui compos erat moribundus, saltem hortandus erat ut dolorem de peccatis excitare et propositum praestandi quicquid ad salutem necessarium esset efformare conaretur : secus enim facile fiet ut, ob attritionis carentiam, absolutio effectu suo privetur. Immo etiam Anastasius, nisi noverit amicum sunm ob praeiudicia sua esse plane obstinatum in secta sua vel conversionem abhorrere ob difficultates honoris vel fortunarum, quae nondum evanuerint, conari debet ut eum ad fidem catholicam perducat. Planum est difficultates illas multo minores fore si conscius sit imminentis mortis quam si fucum sibi faciat (n. 298, II).

CASUS X

Urbanus vix ad confitendum venerat, cum confessarius advolavit atque aediculam suam ingressus est. Quare, ne sacerdos exspectare cogeretur, Urbanus, statim ad eius pedes provolutus, peccata prout menti occurrebant accusavit. Sed postridie mane, ad alium confessarium regressus, manifestavit se duo gravia peccata in ultima confessione, festinationis causa, oblitum esse. Quare graviter admonitus de diligenti examine singulis vicibus praemittendo, confessionem iterare iussus est.

SOLUTIO. — Re obiective spectata, Urbanus graviter defuit diligenti examini, quod requirebat eius conscientia, quae pluribus gravibus peccatis onerabatur. Neque levis ratio urbanitatis sufficiens erat ut hoc officium gravis momenti postponeret (n. 301). Attamen peccati formaliter gravis non videtur culpandus fuisse Urbanus : plerumque enim paenitentes ad hanc gravitatem non attendunt, potissimum si confessarius imprudenter statim, ubi paenitens advenit, aediculam suam ingreditur (n, 303, III). Prudentes sane confessarii, qui norunt quam facile plerique paenitentes hanc agendi rationem aspiciant tamquam invitationem ad quaslibet moras vitandas, aliter omnino agerent : diserte enim interrogarent paenitentem, praesertim ignotum, num iam paratus esset, ac se libenter exspectaturos esse monerent.

Igitur non erat cur Urbanus confessionem suam iterare inberetur. Potuisset tamen interrogari ad cautelam num in hesterna confessione sibi conscius fuisset gravis neglegentiae admissae. Deinde monendus erat de obligatione examinandi conscientiam et potissimum excitandae contritionis antequam confessionarium ingrederetur.

CASUS XI

Hercules sacerdos, cum aliquandiu anglicae linguae studio operam dedisset, satis se provectum existimavit ut paenitentes apposita schedula : « English priest » alliceret.

Accessit igitur ad eum Zephyrina, natione Angla, quae citissime loqui et prolixas narrationes facere solebat. Pauca e multis verbis intellexit Hercules, sed frustra conatus est scire utrum voluntaria an involuntaria fuissent turpia desideria, tactus etc. de quibus paenitens locuta erat. Postquam diu desudaverat, veritus ne Zephyrinam dimittendo offenderet, exhortationem sedulo paratam dedit absolutionemque impertivit. Postea vero, anxietate pressus, factum pandit confessario suo, a quo iussus est mulierem illam, si rediret, ad alium linguae anglicae peritiorem remittere et monere ut confessionem suam repeteret.

SOLUTIO. — 1° Per se graviter defuit officio suo Hercules, ubi Zephyrinam absolvit dubitans utrum graviter an leviter vel etiam nullatenus in pluribus circumstantiis peccasset paenitens : ita enim eum fugit ipsa substantia moraliter sumpta plurium accusationum quae facile peccata gravia continere possent (n. 356, III). Excipe si forsan Zephyrina diu caritura sit copia confessarii a quo intellegatur (n. 292, 3°), vel si confessarius aliunde satis norit haec omnia accusari tantum ob scrupulos aut valde timoratam conscientiam. Neque tam notabile incommodum erat in mulieris dimissae offensione, ut propterea eam post dimidiatam confessionem absolvere posset (n. 294).

2° Merito iussus est Hercules Zephyrinam ad alium confessarium anglicae linguae peritiorem remittere, si quidem ineptus erat eidem audiendae sicut oportet. Attamen a monitione de repetendis peccatis iam accusatis abstinere posset Hercules, siquidem nullum detrimentum ex eius errore seu Zephyrinae seu alii cuilibet proveniet (n. 378).

CASUS XII

Chrysostomus missionarius vehementer commendabat, ubi de confessione ad populum verba faciebat, ut omnes, tempore missionis, generalem confessionem facerent, cum plurimi defectus in confessionem irrepere soleant. Primitivus vero, eius socius, saepe magnas molestias in his prolixis confessionibus perpessus, ubi de divina misericordia con-

tionatus est, commendavit ut omnes potius in dolorem bonumque propositum excitandum incumberent quam in repetendas confessiones ; paenitentes autem qui generaliter confiteri volebant, ubi nulla necessitas urgere videbatur, ad Chrysostomum remisit.

SOLUTIO. — 1° Chrysostomus laudabiliter fideles omnes ad confessionem generalem tempore missionis peragendam hortatur, monita secutus ipsius Bened. XIV in Constitutione pro iubilaeo anni 1759 (n. 309, II). Attamen duo cavere debet in huius modi exhortatione : Primum, ne ita de confessionis generalis emolumentis loquatur ut innuat eam esse passim necessariam, etiam iis qui pie vivunt neque sibi conscii sunt de gravi peccato voluntarie reticito : id enim falsum foret, cum tam grave sacrilegium non soleat patrari ab homine inscio vel facile e memoria labi, ac praeterea animos omnium timoratorum in summas easque plane inanes anxietates coniceret. Alterum cavere debet, ne omnes stimulet ad confessionem de tota vita instituendam, etiamsi iam antea generaliter et rite confessi sint : haec enim causa foret ob quam multi se totos immergerent in recolenda peccata dubia dudumque deleta, de contritione et proposito parum cûrarent, in scrupulos laberentur atque confessariis frustra plurimum negotii facesserent. Iuvat ergo ut Chrysostomus explicet iis quibus nulla sacrilegia reparanda sint commendari tantum confessionem generalem ab ultima generali quam rite fecerint.

2° Merito potuit Primitivus commendare ut omnes de dolore ac proposito magis solliciti sint quam de materiali integritate : illa enim prorsus necessaria sunt ad veniam a Deo assequendam dum integritatis defectus inculpabiliter admissus nihil nocebit ; praeterea multorum fidelium, praesertim rudium, hoc vitium est ut de nulla alia re solliciti sint quam ut nullius peccati obliviscantur. Sed modum excessit si auditores deterruit a praxi confessionis generalis quam Summorum Pontificum Constitutiones validaeque rationes commendant. Pariter officio boni confessarii ac missionarii defuit ubi confessiones generales audire renuit quotiens non videbantur necessariae, quasi nihil prodessent quae e devotione fiant.

CASUS XIII

Petronilla, ubi confessionem instituit et absolutione donata est, ad confessarium dicit : « Aliquid oblita sum.

Ante tres annos rem cum alieno viro habui, neque ausa sum hoc peccatum dicere in confessione. » — Conf. « An numquam hoc dixisti in sequentibus confessionibus ? » — Petron. « Semper oblita sum. » — Conf. « Fieri nequit ut tantum peccatum oblita sis. Repete omnes confessiones tuas a tribus annis : nam certo sacrilegae fuere. »

SOLUTIO. — Nimis festinanter pronuntiavit confessarius fieri non potuisse ut Petronilla bona fide oblita sit adulterii sui et sacrilegae confessionis, ubi iterum ad confitendum accessit. Aliter sane sentiebant Lugo, La Croix aliique Theologi qui hunc casum solventes nequaquam dicunt eum esse metaphysicum, sed iubent inquirere a paenitente num in intermediis confessionibus et communionibus tranquillo animo ad sacramenta accesserit (n. 307, V). Id propria experientia novimus : siquidem casum Petronillae obvium habuimus in iis adiunctis in quibus de bona paenitentis fide dubitari non poterat. Tandem non ita incredibilis videbitur Petronillae oblivio attendenti quam labili memoria sint plebeii quidam homines et quam mancam confessionem, etiam cum magno conatu, saepe instituant. Attendendum quoque Petronillam forsan semel vel bis in anno confiteri solere, ac proinde tantum bis terve sui sacrilegii immemorem fuisse.

CAPUT III

DE SATISFACTIONE

CASUS I

Quadratus, dum tempore Paschali confessiones excipit, omnibus paenitentibus tamquam satisfactionem imponit ut quinquies Pater et Ave recitent. Si qui se accusant quod paenitentias ab aliis confessariis impositas non impleverint, respondet : « Recita quinquies Pater et Ave et bene com-

munica : hac paenitentia simul pro praeteritis satisfacies ». Iis vero qui post receptam absolutionem nova peccata accusant, nullam novam paenitentiam imponit.

SOLUTIO. — 1° Benignitatis limites excedit Quadratus dum paenitentibus omnibus, etiam iis qui gravissimorum peccatorum rei sunt, non nisi quinquies Pater et Ave recitare imponit. Haec enim satisfactio per se levis est (n. 312) ac proinde ut huius modi paenitentibus nihil amplius imponatur, necessaria est causa excusans. Iam vero talem causam inesse omnibus omnino paenitentibus qui ad Quadratum accedant, vix credi potest. Id libenter admittemus in magnis civitatibus saltem Belgii pro omnibus paenitentibus qui e confessione sua cognoscuntur esse valde tepidi in officiis christiani hominis : hi enim saepe ampliorem paenitentiam mussitantes acceptant, male implent vel procrastinant ac tandem, ubi post multos menses ad confitendum redeunt, paenitentiam oblivioni datam esse narrant. Verum haec tanta aliquorum paenitentium socordia nullam rationem praebet ob quam tam levis satisfactio imponatur etiam ubi maior utiliter dari potest, utputa iis qui, licet graviter deliquerint, e confessione vel aliunde cognoscuntur satis seduli in rebus religiosis ut non sit timendum ne maiorem paenitentiam nullatenus vel neglegenter impleant. Idem dic si in ea regione in qua confessiones audit Quadratus paenitentes facile maiores paenitentias acceptant et exsequuntur.

2° Ubi paenitens fatetur paenitentiam quandam a se omissam esse, confessarius tam festinus esse non debet in ea commutanda, ut tantam neglegentiam fovere vel nihili facere videatur. Imprimis ergo inquirere debet num paenitens recordetur paenitentiae sibi iniunctae, et si recordatur, num difficultatem aliquam in ea exsequenda sentiat. Quod si eam oblitus est, non requiritur commutatio, siquidem exsecutio facta est impossibilis (n. 320, V) : nihil ergo aliud praestandum erit quam ut paenitens de praeterita neglegentia reprehendatur. Quod si illius adhuc recordatur, et revera putatur brevi eam exsecuturus esse, admoneatur tantum ut eam amplius ne differat, puta ut rosarium vel Litanias sequenti die sub Sacro recitet. Si vero exsecutionem difficilem fore paenitens dicit vel saltem confessarius praevidet, commutationi locus erit (n. 316). Modus autem commutationis a Quadrato usurpatus in rigore sufficit, etiam ubi gravis paenitentia danda erit : communio enim opus est quod sub gravi imponi potest, neque obstat eam iam lege

ecclesiastica tempore Paschali praescriptam esse, ut dictum est n. 313, 2°.

3° Licite agere Quadratum dum nullam novam paenitentiam imponit pro peccatis novis post absolutionem accusatis, liquet ex dictis n. 311.

CASUS II

Ursula monialis confessionem instituebat apud Eusebium, qui, somno pressus, omnibus accusationibus paenitentis capite annuebat. Ubi siluit Ursula, confessarius oculos aperiens : « Soror mea, inquit, pro paenitentia recitabis Litanias SS. Cordis Iesu ». Post novum capitis nutum : « Soror mea, ait iterum, pro paenitentia recitabis Litanias B. M. V. ». Atque iterum, brevi quiete sumpta : « Soror mea, inquit, pro paenitentia recitabis Litanias S. Ioseph, » absolutionemque impertivit. Quae cum narrasset Ursula quibusdam sororibus suis, acriter inter eas disputatum est utrum tres illas Litanias an partem tantum illarum recitare deberet Ursula.

SOLUTIO. — Ex adiunctis patet Eusebii dormitantis mentem minime fuisse ut tres Litanias paenitenti, quae probabiliter non nisi levia peccata accusaverat, imponeret, sed confessarium somno oppressum, ubi duas posteriores Litanias recitari iusserit, minime recordatum esse earum quas primo loco imposuerat. Tres igitur certe non debuit recitare Ursula. E tribus autem recitandae videntur Litaniae SS. Cordis Iesu. Haec enim paenitentia, a confessario imposita et a paenitente acceptata, non fuit revocata duabus sequentibus Eusebii sententiis : quippe quas confessarius unice tulerit ex oblivione primae sententiae.

CASUS III

Pamphilius, exiguo devotionis spiritu imbutus, saepe sacramentales paenitentias diu differt et tandem oblivisci-tur. Quondam, brevi post confessionem, advertit se iam

oblitum esse quid sibi a confessario iniunctum fuisset, sed, ne scrupulosus videretur, non rediit. Alias, iussus recitare Litanias Immaculatae Conceptionis, cum eas frustra in suo libello precum quaesivisset, recitavit Lauretanas. Tandem, cum Viam Crucis obire iussus esset, diu haesitavit quid acturus esset, sed, rem nimis onerosam arbitratus, uxorem suam rogavit ut eam pro marito suo obiret.

SOLUTIO. — 1° Supponere licet (ut in praxi plerumque contingit) nullum tempus fuisse a confessario statutum quo Pamphilius paenitentias illas implere deberet. Igitur, in hac hypothesi, Pamphilius leviter peccat si satisfactionem, absque ulla causa rationabili, differt per plures dies, quamvis eam commode exsequi possit ; graviter etiam peccabit si paenitentiam sub gravi urgentem tam diu differt ut manifeste periculum oblivionis incurrat (n. 320, IV). Attamen saepe huius modi homines gravem reatum talis dilationis non animadvertunt, ideoque eum minime incurrunt.

2° Si Pamphilius brevi post confessionem iam oblitus est quam satisfactionem imposuerit confessarius, id signum plerumque erit eandem levem fuisse : quare causa sat levis, puta fundatus timor ne ab aliis ante confessionale exspectantibus irrideatur ut scrupulosus, sufficiet ut ab adeundo iterum confessario excusetur. Paulo maior causa requireretur si paenitentiam notabilem accepisset, quippe quae maiorem curam postulat ut rite impleatur. Semper excusaretur ab adeundo iterum confessario Pamphilius si iam plures alii post eum adiissent eundem sacerdotem : hic enim valde probabiliter iiunctae paenitentiae oblitus esset.

3° Laudandus Pamphilius quod, cum Litanias Imm. Conceptionis in suo precum libello non invenerit, Lauretanas recitaverit. In rigore enim si quis paenitentiam sibi impositam peragere nequit, aliam etiam valde similem exsequi non tenetur. Sicut enim non potest unam in aliam mutare (n. 319, 2°), ita neque unam alteri substituere potest. Iam vero si paenitentiam in suo quisque libello precum non reperit, non tenetur ad eam in aliorum libellis quaerendam ; rationabiliter enim supponi nequit confessarius sollicitam hanc inquisitionem mandasse.

4° Non satisfecit Pamphilius ubi Viam Crucis per uxorem obivit (n. 319, 3°). Quod si nimis arduum censeat hoc devotionis exercitium, commutationem petat.

CAPUT IV

DE OBLIGATIONE SUSCIPIENDI SACRAMENTI PAENITENTIAE

CASUS

Paschasius declarat Egbertô confessario suo se, quotiens semel in peccatum pollutionis ruerit, iterum iterumque relabi, nisi ad sacramenta accedat. « Si ita est, mi bone, respondet Egbertus, urget te stricta obligatio ut post talem lapsum quam primum confitearis, siquidem hoc tibi necessarium medium est ad peccatum vitandum. » Cum autem relapsus Paschasius confessionem per plures dies distulisset, confessarius declaravit eum hac dilatione graviter deliquisse.

SOLUTIO. — Profecto erravit Egbertus ubi iussit Paschasium *confiteri quam primum* in peccatum pollutionis relapsus esset. Etenim etiam ii DD. qui cum S. Alphonso (l. 6. nn. 437, 663) aliquam obligationem statuunt se reconciliandi cum Deo antequam Paschalis confessionis tempus advenerit, in arbitrio peccatoris relinquunt utrum malit confiteri an conteri, ac praeterea alterutrum medium non dicunt esse adhibendum quam primum, sed tantum non posse tam diu differri ut homo se coniciat in morale periculum novorum lapsuum. Si ergo, S. Alphonsi opinionem secutus, Egbertus declarasset obligationem non diutius differendi reconciliationem cum Deo per alterutrum ex his duobus mediis, carpendus non fuisset. Attamen si norat benignioris sententiae probabilitatem (quam censemus non posse rationabiliter negari), multo laudabilius per modum consilii proposuisset quod tamquam strictam obligationem imposuit; ita enim non coniecisset paenitentem in periculum, nequaquam leve, huius praecepti transgrediendi (Vol. I. n. 79).

SECTIO III. — DE MINISTRO SACRAMENTI PAENITENTIAE

CAPUT I

DE POTESTATE MINISTRI

CASUS I

Canius parochus dioecesis Leodiensis cum Pythio, olim parocho, nunc monialium directore, multos fideles e paroecia sua et quosdam e locis vicinis ad B. M. V. Aspricollensem duxit. Cum ad celebre illud sanctuarium in archidioecesi Mechliniensi situm pervenissent, uterque aliquorum e peregrinationis suae sociis confessionem audivit. Insuper, cum etiam ex aliis locis fidelium multitudo confluxisset, et confessarii deessent, Canius et Pythius, rogante parocho, eorum confessionibus aurem praebuere.

SOLUTIO. — 1° Canius valide et licite audivit confessionem suorum paroecianorum in dioecesi Mechliniensi (n. 325, II), invalide confessiones eorum fidelium qui ad dioecesim Leodiensem, non autem ad ipsius paroeciam pertinebant, in quos proinde ordinariam iurisdictionem non habebat (n. 326, II). Pythius vero invalide confessiones illas excepit, cum iurisdictionem ordinariam in illos fideles non haberet et approbatione Archiepiscopi Mechliniensis destitutus esset (n. 326, II). Dubitabit forsan quidam de monialibus quae directorem suum comitatae sint in pia illa peregrinatione. Sed etiam illas invalide audiret : moniales enim nostrae iuridice non sunt exemp-

tae a iurisdictione parochiali, quamquam de facto a directore suo sacramenta accipere solent, ac proinde hic non est vere ordinarius earum pastor (n. 85).

2° Valide confessiones aliorum fidelium, rogante parocho Aspricollensi, audivit Canius. Etenim saltem probabile est eum qui actu parochus est, vocari posse a parocho alius dioecesis ut suorum confessiones audiat (n. 325, II) : quod sufficit ut practice omne dubium excludatur (n. 330, II). Nec refert, eos fideles non fuisse incolas paroeciae Aspricollensis : consuetudo enim universalis habet ut peregrini habeantur sicut incolae loci, quod censemus de paroecia aeque ac de dioecesi intellegendum (n. 328, VII). Sed Pythius invalide confessiones illas excepit : caret enim approbatione episcopi loci, neque ipsi suffragatur inanis titulus parochi sine paroecia actu possessa (n. 326, III). Sed an forsan propter errorem communem confessiones illae, supplente Ecclesia, validae erunt (n. 331) ? Non censemus in casu locum esse huic sententiae probabili. Ut enim vere communis sit error, non videtur sufficere aliquem semel in ecclesia, more ceterorem confessariorum, fidelibus aurem praebere : hoc enim factum eos tantum qui hic et nunc in sacra aede versantur in errorem ducit, dum reliqui omnes huius loci incolae nullatenus opinantur hunc sacerdotem iurisdictione praeditum esse. Ut error vere communis dicatur necessarium videtur aliquod factum, ut intrusio occulta, vel habitus, puta munus confessarii hucusque impletum, vi cuius passim huius loci fideles hunc sacerdotem iurisdictione praeditum esse putent.

CASUS II

Ursinus sacerdos, dum per Galliam iter agebat, Sacrum in sacello quodam monialium celebraverat, cum a Sorore aeditua rogatus est ut cuiusdam puellae confessionem audiret. « Hoc facere nequeo, respondit, quia iurisdictionem in hac dioecesi non habeo. » — « Reverende Domine, inquit Soror, Mater nostra, ex facultate Ill. Episcopi, tribuit iurisdictionem sacerdotibus qui in sacello nostro celebraverint. » — « Quid dicis, Soror mea, exclamavit Ursinus ? Feminae divino iure incapaces sunt iurisdictionis. Nemo dat quod non habet. »

SOLUTIO. — Admiratio Ursini, prout saepe contingit, non nisi ex eius ignorantia procedit. Profecto inaccurate locuta est Soror ubi dixit Superiorissam concedere iurisdictionem; sed quoad intentum, vid. Ursino obtingere iurisdictionem mediante Superiorissa, verum dixit. Ursinus, si melius theologiam moralem nosset, intellexisset iurisdictionem ab Episcopo loci tribui iis sacerdotibus quos Superiorissa censeret utiliter audituros esse confessionem in sacello communitatis (n. 326, II). Haec ignorantia in sacerdote turpior est quam inaccurata locutio in moniali.

CASUS III

Homobonus, sacerdos Regularis, cuius iurisdictio prima feria IV[a] maii expiratura erat, folium facultatum suarum paucis ante diebus ad curiam episcopalem misit. Feria V[a] mane, nondum receperat folium cum ad confitendum accessit matrona quaedam, inter clientes Homoboni primatum gerens. Quid faciet miser? Si confessionem audire detrectat, timet ne ovis illa praedilecta ad alium pastorem tendat et forsan numquam redeat. Re paupulum perpensa, ad confessionale perrexit, ad seipsum dicens : « Iam certo subscriptum atque etiam missum est a Vicario Generali folium facultatum, et si casu nondum subscriptum esset, Ecclesia suppleret ».

SOLUTIO. — Hallucinatur Homobonus, timore perdendae oviculae suae obcaecatus. Ut enim incipiat nova iurisdictio, non sufficit folium esse signatum vel publico vectori commissum : si quidem neque privata notitia facultatis concessae sufficit, sed omnino requiritur authentica significatio, quae certe in casu non contigit (n. 327, V). Nihil quoque eius causam iuvat probabilis sententia iuxta quam Ecclesia supplet ubi communiter putatur sacerdos legitima potestate praeditus : nam, quamquam in casu recte ista sententia invocatur ad probandum valorem confessionis, minime ex ea sequitur licite acturum confessarium qui Ecclesiam ad supplendum cogat (n. 331).

CASUS IV

Valentius confessarius solus cum Lucio adulescente in raeda via ferreae iter agebat. Colloquio inito, audivit hunc iuvenem, a pravis sociis abreptum, iam dudum a confessione recessisse, eumque tam sollerter ad meliorem frugem adduxit ut Lucius se paratum ad confessionem statim faciendam ostenderet. Sed eo ipso momento dubitare coepit Valentius utrum adhuc in propria dioecesi versaretur an vicinam iam ingressus esset. Nihilo minus Lucium, ne a bono proposito deficeret, confitentem audivit confessumque absolvit.

SOLUTIO. — Imprimis videndum num, eo momento quo confessio Lucii audiri coepit, adhuc probabile sit Valentium manere in dioecesi in qua iurisdictionem habeat. Quod si, re perpensa, ratio solida apparet ob quam ita opinetur Valentius, certe potest et valide et licite audire Lucii confessionem, siquidem utitur iurisdictione probabili (n. 330, II). Quid autem si, adiunctis summarie inspectis, iam non serium dubium est de transitu in aliam dioecesim, quamquam nondum omnino de eodem constat, qui casus dubii negativi est (n. 330, I) ? Profecto illicitum est audire confessionem Lucii, si non est timor ne postea confessionem, quam nunc facere paratus est, omittat. Si vero prudenter timet Valentius ne iuvenis non habeat brevi occasionem ipsum adeundi, ubi certa iurisdictione polleat, apud alium vero confiteri detrectet, poterit, ob urgentem necessitatem, confitentem audire confessumque absolvere sub condicione *si possum* (n. 330, I). Per se in hoc casu monendus est paenitens ut peccata nunc declarata, iterum clavibus subiciat. Attamen, si magnopere timet Valentius ne talem repetendae confessionis obligationem moleste audiat Lucius cognitamque implere omittat, videtur haec monitio reticenda : praestat enim exponere iuvenem aliquali periculo spirituali e defectu iurisdictionis in sacerdote orituro quam eundem magno formalis peccati iterum committendi periculo obicere (n. 359).

CASUS V

Meleusippus, sacerdos Regularis, media nocte expergefactus est contubernalis cuiusdam gemitibus. Cito surrexit

et ad vicini cubiculum cucurrit. Invenit Nestorem aetate provectum, in gravi mortis periculo versantem ob cordis morbum quo iam dudum laborabat. Rogavit Meleusippus Nestorem num vellet ut Superiorem vel aliquem e domus confessariis arcesseret. « Tu ipse audi meam confessionem, » respondit Nestor. — « Sed non sum confessarius Nostrorum, » — « In periculo mortis, ait Nestor, omnes habent iurisdictionem. » His auditis Meleusippus bono seni morem gessit.

SOLUTIO. — Censemus recte egisse Meleusippum. Nam quamvis facile alium sacerdotem vocare potuisset ordinaria iurisdictione praeditum, probabiliter et ipse vi generalis Ecclesiae legis (Trid. Sess. 14. c. 7) iurisdictionem accipit pro Nestore qui in periculo mortis versatur (n. 332). Neque ulla lege ab illa benigna Ecclesiae dispositione excipiuntur vel etiam rationabiliter excipi potuere Regulares, ne deterioris sint condicionis quam laici in hoc momento a quo potissimum pendet aeterna hominis salus.

CASUS VI

Antonius sacerdos, nulla iurisdictione praeditus, quondam perrexit ad invisendum Claudium vicinum aegrotantem. Invenit lecto assidentem parochum, qui frustra hominem ad confessionem peragendam incitabat, monens medico visum esse omnino serium instantis mortis periculum. Ut vidit Antoninum aegrotus : « En bonus socius, ait ad parochum. Si vis, huic confitebor. » — « Sed non habet facultatem audiendi confessiones, » reposuit parochus. Instat Claudius ut apud Antonium confiteri valeat. Diu cunctatus parochus facultatem ab Ordinario per telegraphum petiit, sed infeliciter ubi nuntius concessae facultatis advenit, iam sensibus destitutus iacebat Claudius, mox mortem obiturus.

SOLUTIO. Antoninus debuisset morem gerere Claudio usque confessionem excipere, quo citius et securius moribundus

ultima sacramenta acciperet. Id enim magnopere suadebat caritas, neque obstabat parochi praesentia, siquidem probabile est, etiam praesente approbato, pro mortis articulo iurisdictionem dari non approbatis (n. 332).

CASUS VII

Didymus sacerdos, iter Sinense aggressurus, Massilia solvit. Facultate ab episcopo Massiliensi donatus, toto itinere durante, absolvit omnes ad eum recurrentes, quamquam plures in portubus intermediis navem ingressi erant. Cum per integrum diem in portu quodam insulae Ceylanensis constitisset navis, urbem perambulavit Didymus, sed de adeundo episcopo ibi residente non cogitavit. Tandem ad portum Hong-Kong, itineris terminum, navis appulsa est. Sed Didymus, paucis diebus in terra Sinensi commoratus, tam graviter aegrotare coepit ut medici ei celerem reditum in Europam suaderent. Itaque, in eandem navem regressus, absolutionem iterum omnibus hominibus bonae voluntatis impertivit.

SOLUTIO. — 1° Valide et licite absolvit Didymus etiam illos fideles qui e portubus intermediis navem congressi sunt, si iurisdictionem ab Ordinario proprio suo accepit, ut patet ex decreto S. Off. 4 apr. 1900.

Idem censemus dicendum si facultatem ab episcopo Massiliensi solo accepit; nam decretum S. Off. 17 mart. 1869 (n. 333, II, 2°) recenti decreto nobis non videtur abrogatum nisi in quantum requirebat facultatem episcopi eius loci a quo solvebatur, non vero in quantum eam facultatem sufficere statuebat.

2° Nullo iure tenebatur Didymus petere facultatem ab episcopo huius portus Ceylanensis; potest enim toto itinere durante absolvere secum navigantes " quamvis inter ipsum iter sit aliquandiu consistendum diversis in locis diversorum Ordinariorum iurisdictioni subiectis „ (Decr. 4 apr. 1900).

3° Atque inde potest Didymus qui, vix in terra Sinensi moratus, eandem navim rursum ascendit, fideles absolvere in reditu. Quod olim a plerisque negatum, affirmandum nunc est iuxta idem decretum.

CASUS VIII

Pomponius sacerdos Regularis, ab episcopo loci approbatus, imprudenter cum devotulis quibusdam agebat. Postquam varia monita frustra dederat, Superior ad eum dixit : « Iam severe prohibeo ne vel unam confessionem audias et omnes facultates tuas revoco ». Nihilo minus Pomponius devotulas quasdam, in locutorio exceptas, absolvit.

SOLUTIO. — Absolutio a Pomponio, contra prohibitionem Superioris sui data, valida est quia Superior potuit quidem ei auferre iurisdictionem quam per Ordinis praelatos a S. Sede acceperat, minime vero eam quam ab Ordinario loci iuxta hodiernam praxim, una cum approbatione acceperat. Excipe (quod in casu vix supponere licet) si Pomponius absolvisset a casu S. Sedi reservato super quem potestatem a solo Superiore suo habuisset (n. 334, II). Eadem tamen absolutio ob duplicem rationem illicite collata est : 1° Quia Pomponius egit contra Superioris sui prohibitionem. Haec tamen inobœdientia, seclusa contemptu formali, non videtur gravis, quia Superior non satis clare voluntatem suam obligandi sub gravi expressit (n. 99). — 2° Quia mulierum confessiones audivit extra ecclesiam. Hac in re peccavit graviter si multarum confessionem vel per modum consuetudinis in locutorio excepit, leviter si unam alteramve, absque consuetudine, audivit. Facilius tamen in casu ad grave peccatum pertingeret haec legis ecclesiasticae violatio, quia confessarius iam imprudenter egit cum iisdem devotulis atque ita forsan se ipsum proximo periculo vel monasterium suum saecularium detrectationibus exponet (n. 268, 2°).

CASUS IX

Hilarius, sacerdos Regularis, cum Mario eiusdem Ordinis sacerdote valde scrupuloso iter instituebat. Quondam degens in civitate a qua una tantum leuca distabat eiusdem Ordinis coenobium, a Meletio presbytero saeculari, quem forte in ecclesia viderat, petiit ut ipsius confessionem exci-

peret. Respondit Meletius se carere iurisdictione. « Nihil ad rem, inquit Hilarius. Approbatio non est necessaria ad audiendas Regularium confessiones. Habeo quidem socium : sed scrupulis suis me et se ipsum turbaret si illi confiterer. Insuper nulla peccata admisi nisi venialia. »

SOLUTIO. — Valide et licite potuit Hilarii confessionem audire Meletius. Non enim obstat defectus approbationis, cum saltem probabile sit eam non esse necessariam ad audiendam Regularium confessionem (n. 337. II, 1°). Neque obstat praesentia socii ex eodem Ordine, etiamsi Hilarius ad eos Regulares pertinet qui extraneo sacerdoti in itinere confiteri prohibentur quotiescumque vel unum eiusdem Ordinis socium confessarium habent. Etenim si vera sunt quae Hilarius de Marii scrupulositate dicit, non videtur vere idoneus ad confessionem socii sui audiendam, perinde ac si debita scientia vel capitis firmitate careret. Haec tamen ratio admittenda non esset si forsan Superior utriusque itinerantis, antequam proficiscerentur, unum alteri confiteri expresse iussisset : in hac enim hypothesi, standum esset iudicio Superioris, nisi manifeste erroneum foret. Patet nullam difficultatem e praesentia socii illius orituram esse si Hilarius pertineret ad Ordinem in quo licet itinerantibus confiteri cuilibet sacerdoti, etiamsi unus socius proprii Ordinis habetur, sicut ex. gr. indultum est Patribus Capuccinis a Pio IX 27 sept. 1852, dummodo eligant presbyterum saecularem ab Ordinario loci vel regularem a Superiore suo regulari probatum (Piat. Prael. I. Reg. t. I. p. 443). Neque obstat domus eiusdem Ordinis a qua una tantum leuca absint peregrinantes : dummodo enim non sit in eodem loco (civitate vel pago), peregrinantes non censentur habere copiam confessariorum qui in eadem versantur, quippe quos adire nullo iure tenentur. Tandem ultima ratio ab Hilario allata probat saltem validam esse confessionem quam de solis venialibus vel mortalibus iam remissis instituere intendat : siquidem theoretice probabilius et practice certo iurisdictionem habebit Meletius ad haec absolvenda. Haec ratio per se solam non probat huius modi confessionem non adversari regulae : sed de hac re, in casu, aliunde constat, nempe quia deest socius idoneus. Cfr. n. 337, II, 4°.

CASUS X

Eustorgius Regularis, incola Belgii, tempore feriarum, iter instituit per Galliam cum quibusdam alumnis collegii in quo professorem agebat. Cum esset ordinarius alumnorum confessarius, iurisdictione hac sua usus est in quadam Galliae dioecesi ad socios suos absolvendos.

SOLUTIO. — Si inter eos alumnos quos absolvit Eustorgius, quidam non erant illius collegii convictores, certo invalide absoluti sunt : quia cum certo careant exemptione, subsunt regulis pro reliquis fidelibus communiter latis, Eustorgius autem careat approbatione episcopi loci (n. 326, II). De convictorum vero confessionibus idem dicendum opinamur quod dicendum foret de aliorum Regularium confessionibus in iisdem adiunctis audiendis ; si quidem probabile est eos communicare exemptionem, ac proinde in favorabilibus iisdem legibus regi ac Regulares ipsos (n. 338). Iam vero confessarii ordinarii Regularium generatim possunt eos quorum confessionibus audiendis deputati sunt, absolvere etiam extra domos proprias : unde, sicut id possent facere in eadem dioecesi, extra domum propriam, ita etiam eadem facultate potiuntur in alia dioecesi, quoniam iurisdictio accipitur a Praelato Regulari, non ab Ordinario loci, neque approbatione opus est.

CASUS XI

Symphorosa, monialis ruricola, quondam in urbem vicinam duxit aliquas e conservatorii sui alumnis. Hac occasione usa est ut, in quadam ecclesia Regularium, confessionem institueret apud Patrem Mellifluum, suavitate sua in omnibus conservatoriis longe lateque celebrem. Audita confessione, coepit Mellifluus quaerere quo felici vento ad hunc portum appulsa esset. Rem candide manifestavit Symphorosa. Verum Mellifluus, ubi eam sine ulla Superiorissae licentia ad confitendum venisse audivit : « Soror mea, ait, quid fecisti ? Ego non sum pro monialibus appro-

batus, ac proinde confessio tua invalida fuit. » His verbis territa aufugit Symphorosa.

SOLUTIO. -- Inani terrore se ipsum et paenitentem turbavit Mellifluus. Etenim Symphorosa legitime extra monasterium versabatur dum alumnas in urbem vicinam duxit : validae autem sunt, saltem probabilius, confessiones monialium etiam votorum simplicium (qualem Symphorosam esse supponimus) quae legitime extra monasterium versantur, etiam ubi confessarius nullam specialem facultatem accepit (n. 340, II). Excipienda tantum esset dioecesis in qua Ordinarius expresse declarasset confessiones talium monialium in his adiunctis institutas fore invalidas : quae declaratio, in nostris saltem regionibus, fieri non solet. Aliter dicendum esset si monialis quaedam sine ulla etiam praesumpta Superiorissae suae venia e monasterio egressa esset vel diu extra illud moram faceret. In hoc enim casu, nulla ratione iurisdictionem qua generatim in monialem illam caret, accipit alius confessarius, nisi statuta synodalia vel instructiones Ordinarii declarent confessiones extra monasterium factas valere, nulla distinctione facta inter legitimum et illegitimum egressum. Patet Symphorosam, in casu nostro, deliquisse ubi, nullam facultatem a Superiorissa assecuta, apud Mellifluum confessa est, nisi forte nosset Superiorissam minime invitam esse quominus haec licentia praesumeretur. Haec tamen culpa maior non est quam alia transgressio regulae vel praecepti a Superiorissa dati.

CASUS XII

Cicercula monialis, scrupulis corrosa, iam pluries a Superiorissa obtinuerat ut arcesseret Longinum confessarium, qui, mirabili patientia, per horam et amplius confitenti aurem praebebat. Quem cum iterum petiisset, Superiorissa primum petitionem prorsus reiecit, tamquam nulla necessitate nixam. Instante tamen et eiulante Cicercula, Superiorissa alium confessarium arcessere promisit. Venit itaque Quadratus, scrupulos radicitus evellere solitus. Is vixdum confessionem Cicerculae audire coeperat, cum iussit actum contritionis elici frustraque reclamantem et multa dicere volentem absolvit.

SOLUTIO. — 1° Per se male egit Superiorissa ubi Cicerculae denegavit optatum confessarium : ad eam enim non pertinet discernere utrum petitio fiat ob veram necessitatem an ob meros scrupulos. Attamen si clare perspicit non nisi ex hac ultima causa prodire hanc postulationem, ut facile continget Superiorissae cui optime nota sit monialis scrupulis corrosa, non nisi levis culpa in hac recusatione erit. Immo etiam quandoque omnis culpa aberit, vid. si scrupulorum suorum nugis adeo agitatur Cicercula ut minime sui compos videatur, ac proinde eius petitio non sit censenda actus plene humanus. In hoc casu tamen iuvabit postulare ab Ordinario vel ab eius delegato, puta a Visitatore monialium, quid agendum sit ubi huius modi petitiones renoventur (n. 341,2°,3°).

2° Per se perperam egit Superiorissa dum arcessivit Quadratum pro Longino : nam electio confessarii extraordinarii inter sacerdotes idoneos pertinet ad subditum, non ad Superiorem (n. 341, 4°). Sed si tanta erat scrupulorum tempestas ut Cicerculae mens prorsus perturbaretur, ac proinde nulla obligatio advocandi optatum confessarium Superiorissae incumberet, haec non esset carpenda quod alium confessarium, Longino aptiorem, filiae suae praebuisset : siquidem nihil prohibet quominus, ob iustam causam, hanc ei copiam tribuat. Sed profecto parum aptum ad finem intentum elegit : talis enim dimidiata confessio eamque subsecuta absolutio reluctanti impertita potius ad augendos quam ad sedandos Cicerculae scrupulos iuvabunt. Rectius egisset Quadratus si declarasset moniali nihil quod iustam anxietatem cieret, in eius accusationibus reperiri : non esse igitur opus ut ipse eius confessionem audiret.

CASUS XIII

Menippus confessarius mirabundus vidit singulis hebdomadis ad suum confessionale adire duas tresve moniales. Causam huius phaenomeni sciscitatus, ab iisdem paenitentibus audivit earum animum prorsus alienatum esse ab ordinario conservatorii sui confessario : quippe quem secum dure et acerbe egisse quererentur. Postquam earum confessiones per duos fere menses audivit, certior factus est ordinarium illum confessarium amare conqueri quod moniales illas iuvaret ad violandam legem Ecclesiae iubentis monia-

les regulariter apud solum ordinarium confessarium confiteri. Quamobrem, ubi primum rediere querulae Sorores, earum confessionem audire recusavit.

SOLUTIO. — Quam primum advertit Menippus moniales illas, relicto ordinario confessario, ad suum tribunal per modum consuetudinis accedere, tenebatur eas admonere ut ad se non nisi per modum exceptionis, urgente vera necessitate, accederent (n. 341, 5°). Confessarii enim est monere paenitentes ut officia sua rite impleant, ac proinde etiam denegare ministerium suum, ubi novit illud contra Ecclesiae legem implorari. Neque sane aliqua verba duriora vel acerbior agendi ratio sufficiunt ut moniales iudicent se iam non posse peccata sua apud ordinarium confessarium deponere : haec enim verum incommodum grave, quo a lege adeundi ordinarii confessarii excusentur, minime efficiunt. Sed si vere constaret ab ordinario confessario magnos errores admitti vel paenitentibus imponi quae iisdem nociva aut intolerabilia essent, non censemus Menippum prohiberi quominus confessiones illarum monialium audire pergat, donec causa illa cessaverit. Conandum tamen esset ut Ordinarius de hac difficultate edoctus vel alium confessarium assignaret vel facultatem adeundi Menippi monialibus illis tribueret.

CASUS XIV

Callistus confessarius, nulla facultate in casus reservatos donatus, quotiens incidit in paenitentem reum peccati inter casus episcopales relati, interrogare solet : « Sciebasne hoc peccatum esse reservatum ? » Negantem absolvebat, affirmantem vero iterum rogabat : « An eo momento quo peccasti ad reservationem attendisti ? » Paenitentes autem qui se attendisse negabant (quales fere omnes erant) pariter absolutione donabat, nixus axiomate : inadvertentiam cum ignorantia aequiperari.

SOLUTIO. — 1° Illicite et invalide a casu episcopali absolvit Callistus eos qui reservationem ignorabant, si Ordinarius loci, ut quandoque fit (ex. gr. in hac archidioecesi Mechliniensi), expresse declaravit non excipi a reservatione eos qui eam ignorabant, siqui-

dem iurisdictionem a se datam limitare potest prout vult. Idem dicendum si nullam specialem rationem habet Callistus opinandi Ordinarium illum aliter intellegere reservationem suam quam communiter intellegi soleat, nempe inclusis ignorantibus. Licite et valide egit tantum si Ordinarius loci voluntatem excipiendi ignorantes manifestaverit, seu expressa declaratione, seu implicite, puta dum sciens volens sinit publice doceri opinionem iuxta quam casum reservatum non incurrant ignorantes (n. 345, VI).

2° Multo magis a veritate deflexit Callistus ubi, sine speciali facultate, absolvit eos qui, dum peccabant, ad reservationem non attenderunt. Quamquam enim plena inadvertentia ignorantiae aequiperatur in ordine ad reatum actus humani (Vol. I. n. 18), prorsus dissimilis ratio utriusque est in ordine ad casuum reservationem. Nam ratio cui innititur sententia quorundam DD., a reservatione excipientium eos qui eam ignorent, minime aptatur inadvertentiae transeunti : haec enim minime impedit quominus is qui habitualiter novit casum esse reservatum, habitualiter etiam reservationis metu a peccato reservato deterreatur (n. 345, VI). Quare hic absolvi nequiret etiam in iis dioecesibus in quibus, iuxta supra dicta, reservationem non incurrant ignorantes.

CASUS XV

Didymus, sacerdos dioecesis N., in qua inter casus episcopo reservatos recensebatur omnis positiva cooperatio ad abortum vel abortus attentationem, etiamsi nullus effectus sequatur, mulieri quacum rem habuerat suasit ut foetum, si quem concepisset, abortu abigeret. Sequenti die, Sacrum pro monialibus, quarum cappellanus erat, celebraturus, vehementi dolore de tantis peccatis commotus est ; nullus autem confessarius praesto erat nisi Iuniperus, facultate in reservata destitutus. Itaque, cum existimaret se in casum reservatum incidisse ob consilium abortus datum, neque a Iunipero absolvi posse, actu contritionis elicito celebravit.

SOLUTIO. — Saltem duplicem errorem admisit Dydimus. 1° Erravit dum putavit se in casum reservatum incidisse ob nudum consilium datum abortus procurandi, si quando conceptus esset

infans. Consilium enim inducendi abortus non constituit casum reservatum nisi constet ex eo secutam esse saltem attentationem abortus, quamquam ob verba *etiamsi nullus effectus sequatur*, minime necessarium est abortum reapse induci : quamdiu enim nulla secuta est attentatio, non fuit posita vera cooperatio ad abortum eiusve attentationem (1). Neque mulier ipsa, in casu, scire poterat num conceptio secuta esset, cum id certe postridie copulae non innotescat ; ac proinde si quid fecit ad impediendos copulae effectus, non constabit utrum semen an foetum expellere conata sit: quo ex capite iterum patet non esse cur Didymus se gerat tamquam incurrisset casum, cuius condiciones impletas esse nequaquam constat (n. 348). — 2° Erravit dum putavit sufficere ut contritionis actum Missae celebrationi praemitteret. Nam cum aliud peccatum mortale non reservatum commiserit, hoc certe tenebatur confiteri apud Iuniperum (n. 347, 4°). — Forsan etiam in tertium errorem incidit miser sacerdos. Nam non raro fit ut Ordinarius declaret cuilibet confessario competere facultatem absolvendi a reservatis eos qui celebrationem Missae omittere nequeant sine notabili damno famae, sinistris suspicionibus aut gravi obloquio (Stat. Mechl. n. 270, 5°), neque improbabile est tale quid metuendum esse Didymo si a celebratione in sacello monialium abstineat (quamquam per se tantum incommodum in iis adiunctis non est timendum). Igitur si Didymus versatur in dioecesi in qua huius modi facultas fit omnibus confessariis et rationabiliter huius modi incommodum timet, tenebitur peccatum etiam reservatum quod commiserit fateri Iunipero, utpote qui pro his adiunctis habeat facultatem directe absolvendi a reservatis.

CASUS XVI

Didacus, confessarius Regularis cuiusdam Ordinis in quo inter peccata reservata reperitur quodlibet peccatum grave contra votum castitatis quod in actum externum prodeat, saepe absque speciali facultate absolvit sodalem suum Thyrsum, qui consenserat pravis motibus e lectione libri cuiusdam romanensis secutis. Eundem etiam ter, petita et

(1) Cfr. Tract. de Casibus reservatis, censuris etc. ad usum Seminarii Mechliniensis (1898), p. 131.

obtenta a Superiore facultate, absolvit a peccato voluntariae pollutionis. Sed cum eam facultatem quarta vice postulasset, Superior eam negavit. Didacus vero, ratus paenitentem aegerrime aditurum esse ad Superiorem, iterum absolvit Thyrsum atque eadem benignitate diu cum eodem paenitente agere perrexit.

SOLUTIO. — 1° Videndum est utrum liber romanensis quem legit Thyrsus fuerit graviter an leviter turpis. Si leviter tantum turpis erat, licebat Didaco hunc paenitentem absolvere : siquidem lectio illa in se spectata non constituit grave peccatum contra castitatem, motus autem carnalis, qui ad pollutionem non pertingit, probabilius non cadit sub reservationem, ne dicamus reservari in hoc Ordine quamlibet cogitationem veneream voluntarie admissam, quippe quae naturaliter post se trahat huius modi motus. Si vero liber ille erat graviter turpis, utputa unus ex illis foedis libris ab Aem. Zola conscriptis, lectio illa per se est actio externa graviter opposita castitati, ac proinde cadit sub reservationem (La Croix., l. 6. p. 2, n. 1671 seq.).

2° Pollutio voluntaria, seu tactibus, seu cogitationibus turpibus procuretur, sub reservationem cadit, etiam in Ordinibus in quibus viget solus casus a Clemente VIII reservari permissus : Lapsus carnis voluntarius opere consummatus (La Croix. n. 1670). Quare merito facultatem a Superiore petivit Didacus.

3° Quando petitam facultatem absolvendi denegavit Superior, valide et licite a peccato pollutionis absolvit Didacus, si existimavit necessitatem adeundi Superiorem cessuram esse in spirituale detrimentum Thyrsi, utputa si existimaret eum sacrilege recepturum esse sacramenta vel diu ab iis recessurum esse. Ratio desumitur e speciali facultate quam pro tali casu confessariis Regularium concessit Clemens VIII (n. 349. VI). Accedit ratio : hic agi de peccato solitario, e quo nullum proximum scandali vel communis damni periculum imminet. Pariter valide et licite absolvit sequentibus vicibus, modo eaedem similesve rationes recurrant et totiens quotiens a Superiore veniam petat. Invalide vero ageret si ad Superiorem iterum recurrere omitteret, cum Clemens VIII non tribuat facultatem nisi pro *illa vice*. Superior autem denegans facultatem in casu per se graviter peccat, si quidem eum qui in peccatum reservatum incidit exponit sine iusta causa periculo gravis ruinae spiritualis. Ubi enim vir prudens, qualem supponimus esse Dida-

cum, asserit casum huius modi esse ut neque tertio, neque communitati detrimenti periculum afferat, non apparet quomodo Superior rationabiliter fidem retractet; dum autem denegat irrationabiliter, subditum gravi detrimento spirituali exponit.

CASUS XVII

Flosculus sacerdos ita confitetur : « Pater, a duobus mensibus turpem amorem concepi erga Symphorosam, paenitentem meam. Saepe cum ea tenera colloquia miscui, eius manum cum turpi delectatione apprehendi, eam in partibus inhonestis tetigi. Cum puella ista videretur anxia de his relationibus nostris, ei declaravi non nisi levia peccata in iis contineri, ac reapse, quando ea in confessione accusavit, testata est se ea tantum ut levia habuisse. Ita pluries eam absolvi ».

SOLUTIO. — Videri potest Flosculus incidisse in excommunicationem R. P. specialiter reservatam, iuxta resp. S. Paenit. 19 febr. 1896, quia indirecte complicem induxit ad reticendum peccatum (n. 353, 2°). Sed reapse casus hic propositus non nihil discrepat ab eo qui in cit. responso solvitur. Etenim in quaestione quam solvit S. Paenit. manifeste supponitur vera obligatione confitendi peccati sui premi complicem, ac proinde ab ea commissum esse peccatum grave. Ceterum semper lex intellecta est de peccato quod ex utraque parte grave fuerit (n. 352, 1°). Sed in casu Flosculi et Symphorosae, quamvis procul dubio graviter deliquerit sacerdos, non necessario supponendum est etiam graviter deliquisse paenitentem. Profecto fieri potest ut eo momento quo turpiter cum sacerdote ageret, conscientiam gravis peccati habuerit vel saltem, dubitans de peccati gravitate, temere processerit, et tantum post falsas assertiones confessarii coeperit opinari non nisi levia fuisse haec peccata : quibus in adiunctis, incurrit Flosculus censuram, prout in cit. responso edicitur. Nullum enim discrimen apparet inter casum paenitentis qui (ut in responso ponitur) reticet peccatum complicitatis, et inter eum qui illud exprimit tamquam liberae confessionis materiam. Sed, in casu, fieri etiam potest ut Symphorosa, eo ipso momento quo relationes turpes cum confessario suo habuit, non nisi leviter a se peccari existimarit, ac prop-

terea non verificetur condicio requisita ad censuram incurrendam, quia ex una parte non nisi leviter peccatum erit. Neque haec hypothesis omnino improbabilis est in casu : nam de turpiloquio facile dubitari potest a sacerdote num etiam altera pars turpia obiective gravia responderit vel colloquii turpitudinem satis apprehenderit. Pariter ubi manum suam sacerdoti tangendam praebuit, nihil fecit quod ex ipsius parte et externe graviter turpe sit (n. 352, 2°). Res minus credibilis videri potest de tactu permisso in partibus inhonestis. Attamen, cum non agatur de actibus completis, et mulier se potius passive quam active habuerit, non putamus a priori reiciendam esse hypothesim in qua nunc versamur. Experientia etiam comprobat quandoque de gravitate, vel etiam de qualibet illiceitate huius modi tactuum, miras illusiones foveri, praesertim si sacerdos, cuius omnia verba tamquam oracula accipere solet mulier, eam ita deceperit. Multae etiam feminae, in huius modi rebus permittendis, non attendunt ad scandalum quod alteri parti praebent, sed tantum ad id quod ab ipsismet agitur.

Igitur confessarius interrogare debet Flosculum utrum hae absolutiones datae fuerint in priore an in posteriore e duabus illis hypothesibus supra positis. Si constat vel saltem probabile est eas in posterioris hypothesis adiunctis datas esse, paenitens non est censendus censura ligatus.

CASUS XVIII

Nicomedius parochus plurima peccata turpia cum Bernardina ancilla sua commiserat. Quae dum graviter aegrotabat, Nicomedium invisit Gorgonius, vicinus parochus. Nicomedius autem, cum nondum omnino proximum esset mortis periculum, noluit ancillam inducere ut Gorgonio confiteretur, ne huic innotescerent ipsius scelera. Eadem vero nocte, ingravescente periculo nulloque alio sacerdote praesente, moribundam absolvit.

SOLUTIO. — Incurrit excommunicationem R. P. reservatam Nicomedius, quia de industria omisit adhibere medium quo facile removere potuisset necessitatem audiendi complicis suae confessionem. Nam, cum nosset graviter aegrotare ancillam et forsan brevi prorsus imminens fore mortis periculum, satis perspiciebat pos-

tulandam esse Gorgonii operam aut ipsum (deficiente in hoc loco alio sacerdote) ancillae confessionem excepturum esse; immo etiam rogasset collegae sui subsidium nisi propriam infamiam timuisset (n. 354, IV). Attamen a censura immunis esset si ignorasset dispositionem modo recensitam e Bened. XIV Constitutione et forsan putasset se tutum fore dummodo eo momento quo moribundam absolveret, nullus alius sacerdos praesto esset : nisi ignorantia fuisset graviter culpabilis, ut contingeret si, dubio de hac re exorto, librum theologiae moralis, cum facile posset, consulere omisisset (n. 570, I).

CASUS XIX

Vulpianus, post multa peccata turpia cum Zenobia paenitente sua patrata, semper in eiusdem confessione excipienda pergebat. Sed, pro absolutione, quandoque preces quasdam recitabat, quandoque ipsam absolutionis formam pronuntiabat exclusa intentione conficiendi sacramenti. Tandem, tot scelerum paenitens, bonam confessionem instituit apud Exsuperium. Hic declaravit non esse sibi facultatem absolvendi hominem qui in casum absoluti complicis incidisset. Vulpianus vero, frustra conatus obtinere absolutionem, allegata S. Alphonsi sententia (l. 6. n. 555), maluit in peccatis tabescere quam onera gravissima subire quae absolventibus complicem imponi solent.

SOLUTIO. — Merito respondit Exsuperius sibi non esse facultatem absolvendi Vulpiani : siquidem e repetitis S. Sedis responsis hodie patet (quod olim immerito fuerat negatum) excommunicationem incurrere sacerdotes qui complicem, variis dolis adhibitis, absolvere fingant (n. 353, 3°). Neque se opinione S. Alphonsi tueri potest Vulpianus : haec enim iam recentioribus S. Sedis responsis omnem vim suam amisisse videtur. Attamen si ignorantia Vulpiani non fuit crassa, seu graviter culpabilis, absolvi posse videtur : si quidem a censura incurrenda etiam ignorantia censurae invincibilis excusat (n. 570, I).

CAPUT II

DE OBLIGATIONIBUS MINISTRI PAENITENTIAE

CASUS I

Ladislaus, sacerdos Regularis, cuius mens senio morboque plurimum debilitata erat, nihilo minus in audiendis confessionibus pergebat. Iam plures paenitentes Marcianum, eius Superiorem, monuerant aliisve narraverant eum saepe inter audiendas confessiones dormire, quandoque etiam responsa dare quae nullatenus cum accusationibus paenitentium congruebant, quin et paenitenti eas facere interrogationes eaque monita quae melius peccatis praecedentis paenitentis convenire viderentur. Marcianus tamen, cum probe sciret quantum in maerorem lapsurus esset Ladislaus si confessiones audire prohiberetur, nihil aliud egit quam ut bonum senem hortaretur ad eas minuendas atque, ubi fessus esset, omittendas : quae exhortatio nullum fructum tulit.

SOLUTIO. — Si Ladislaus defectuum quos in audiendis confessionibus admittebat conscientiam habuisset, graviter deliquisset dum in confessionibus audiendis perrexisset. Nam quilibet e tribus defectibus in casu enumeratis confessionem notabiliter mancam efficit. Si enim saepe dormit dum paenitentes ea accusant quae forsan magni sint momenti, multa etiam notabilia a paenitente dicta perinde sunt ac si dicta non essent. Magnum quoque detrimentum animae paenitentis vel saltem materiali integritati inferri potest si confessarius ea non intellegit quae ipsi dicuntur vel ab eo quaeruntur, ut per se patet (n. 356, III). Tandem si paenitenti dicuntur a confessario quae praecedentis paenitentis peccatis congruunt, ipsum sigillum indirecte violatur, vel, si abest probabilis coniectura de peccatis quae confessarius ab aliis audivit, saltem ludibrio exponitur sacramentum Paenitentiae. Sed cum

bonus senex horum defectuum sibi conscius non sit, profecto a peccato illo excusatur. Marciani vero ignorantia vel levitas probrosa est, si quidem manifestum est eum sub gravi teneri ad removendum Ladislaum a confessionibus audiendis (n. 355), neque dolorem bono seni iniciendum sufficere ut tanta iniuria sacramento irrogetur atque ipsis fidelibus scandalum creetur. Practice tamen saepe a gravi peccato excusabitur huius modi Superior, si in ceteris est pius ac timoratus : nam si perciperet gravitatem huius obligationis suae, eam implere non detrectaret.

CASUS II

Victorinus, dum missionem in aliquo pago tradebat, certior factus est Florentinum, burgimagistrum liberalem, simultates cum parocho exercere, permittere choreas indecentes et publicos Socialistarum coetus, in diario aggressum esse scholas catholicas, tamquam instituendae iuventuti ineptas, etc. Igitur cum Florentinus ad confitendum accessisset et de his rebus altum silentium servasset, Victorinus eum monuit quam graviter hac sua agendi ratione deliquisset, atque renuntiare nolentem sine absolutione dimisit.

SOLUTIO. — Inter puros liberalismi fructus in casu enumeratos, maxime reprobanda est licentia a Florentino data choreis indecentibus publicisque Socialistarum coetibus : utpote quae magis directe et notabiliter communi bono nocitura sit. Gravem quoque reatum secum trahunt simultates cum parocho exercitae, si tam apertae violentaeque fuerint ut verum contemptum auctoritatis ecclesiasticae expresserint, conatusque adhibiti ut pueri a scholis catholicis ad eas quae neutrae vel neutris proximae sint trahantur, maxime si hae scholae magnum periculum puerorum fidei moribusve gignunt et falsa sit asserta catholicorum magistrorum imperitia. Attamen ex adiunctis locorum et personarum videndum erit num forsan aliquam excusationem afferant burgimagistro moralis impotentia in qua versetur impediendi illas choreas vel coetus, personales quidam parochi defectus, minor catholicorum magistrorum peritia etc. Si eae circumstantiae Florentino faverent, imprudenter egisset Victorinus dum eum aperte monuit gravem reatum in hac eius agendi ratione contineri. Merito

enim supponere potuisset burgimagistrum illum, qui in sacramentis frequentandis ceterisque (ut videtur) christiani hominis officiis perseverat, versari in ignorantia quae non sit graviter culpabilis. Contingit enim facile ut huius modi homines sibi fucum faciant dum existimant simultates cum parocho excusari ob aliquos, etiam leves, pastoris sui defectus vel errores, maiora mala e licentia negata quam concessa oritura esse, probari posse quaslibet scholas in quibus saltem catechesis a viro ecclesiastico tradatur etc. Prudentia igitur fuisset Florentinum caute de his factis interrogare, ab iis quae maxime reprobanda essent deterrere, absolutionem vero concedere si gravis reatus conscientia carere videretur paenitens. Sed omnino probanda esset Victorini severitas, si Florentinus ex adiunctis dignosceretur nulla excusatione dignus, quamquam forsan non habuerit distinctam notitiam gravis reatus liberalismi sui. Etenim si eius agendi ratio aperte favit Ecclesiae hostibus eiusque iuribus nocuit, si cum magno fidelium scandalo sprevit pastoris sui auctoritatem vel pueros catholicos a bonis scholis ad pravas adducere conatus est, verum scandalum oriretur si sineretur ad S. Communionem, sine ulla emendatione, accedere : vulgo enim existimarent fideles nihil graviter mali in his tam funestis conatibus reperiri vel a sacerdotibus ob lucri spem permitti potentioribus quae ceteris prohibeant, unde ipsae res sacrae in vulgi opinione vilescerent (n. 359).

CASUS III

Nicolinus confessarius, spiritualis profectus paenitentium suarum studiosissimus, acriter eas reprehendit quotiescumque ab eius directione deflectunt, ex. gr. dum libros romanenses legunt, Sacrum diebus feriatis omittunt, a Congregatione Mariana absunt, etc. Iis vero quae tam crebro communicare nolunt quam ipse earum animae expedire iudicavit, vel quae examen particulare a confessario determinatum neglegunt, post unam alteramve monitionem, declarat nolle se in audiendis earum confessionibus pergere.

SOLUTIO. — 1° Non est universe vituperandus Nicolinus quod paenitentes devotionem professas acriter reprehendit ob defectus qui per se ne venialia quidem peccata efficiunt. Nam, sicut Dei

Spiritus animas quibus magnas gratias impertivit, quandoque severe carpit ob huius modi defectus, ita et confessarius quandoque severius agere potest cum iis quae devotionem profitentur, quo efficacius ad perfectiora stimulentur. Attamen cavere debet Nicolinus ab incommodo quod crebro e directione satis severa oritur. Scilicet paenitentes existimant ea quae sibi a confessario tam vehementer commendantur omitti non posse sine peccato, atque inter ea quae in confessione accusant vix aliud magis dolent quam quod oboedientiam confessario debitam violaverint. Quod incommodum ut vitetur, neve peccata ex errore illo multiplicentur, sedulo explicare debet bonus animarum director quid paenitentibus sit sub peccato levi vitandum, quid iis tantum ut opus liberae perfectionis commendetur (n. 360).

2° Si Nicolinus non est obligatus, tamquam proprius pastor, ad sacramenta his paenitentibus ministranda, nullam iniuriam iis infert dum earum confessiones in posterum excipere recusat. Videat tamen qui tanta cura, immo et vehementia, alios ad perfectionem stimulare intendit, ne et ipse ab ea plurimum deflectat. Etenim, si nulla alia ratio est ob quam paenitentes illas a se repellit, quam omissio rerum quae meri consilii sunt, qualia sunt profecto frequens communio et praxis examinis particularis, absonum est velle confessarium quasi per vim et minas obtrudere paenitentibus quae Deus omnino earum liberae electioni relinquit. Neque verae paenitentium illarum utilitati hac importuna severitate consulitur : quae enim spes est fore ut, si ad alium confessarium perrexerint, ea consilia amplectantur quae a Nicolino data recusant ?

CASUS IV

Silvius, confessiones in aliquo pago auditurus, certior factus est in eo loco a multis legi publica folia quae liberalia vel socialistica audiunt. Ut tanto malo mederetur, singulos paenitentes interrogavit num diaria huius modi legerent, et quotquot iis nuntium mittere recusabant, sine absolutione dimisit. Horum plures recta perrexere ad Placidum parochum, apud quem, repetita confessione, de diariis autem nihil interrogati, absolutionem receperunt.

SOLUTIO. — Nimius in interrogationibus fuit Silvius, nimius in silentio servando Placidus. Ponamus enim (quod generatim

contingat) folia illa liberalia, multo magis socialistica, lege naturali vetari, quia regulariter habitualis eorum lectio proximum periculum fidei moribusve creat (Vol. I. n. 240); praeterea omnia vel saltem plura ex iis lege positiva Ecclesiae reprobari, tamquam religionem aut bonos mores impetentia (n. 452, 9°). Nihilo minus probabilius inter eos qui eadem folia legere solent, plures hac lectione non coniciuntur in periculum proximum fidei morumve, seu quia in iis non solent legere nisi indifferentia (*faits divers, annonces* etc.) seu quia impugnationes religionis non intellegunt (quod tamen rarissime contingit legentibus folia socialistica, in quibus perfida arte impiae oppugnationes ad captum plebis accommodantur). Quare Silvius imprimis prudenter explorare debuisset num reapse singulis paenitentibus periculum proximum crearetur : quod patebit tum e peccatis quae commiserint, tum ex interrogatione directa de lectionum frequentia, de eorum argumento, de tentationibus quae ex iisdem oriantur. Quod si paenitens videtur immunis esse a periculo proximo et invincibiliter ignorare gravem obligationem lege positiva vel cooperatione oriundam, plerumque a monitione abstinendum erit : quia huius modi homines, cum in praxi religiosa tepere soleant, plerique recusabunt monenti confessario parere (n. 359). Enixe tamen iis commendandum esset ut, lectis etiam catholicis ephemeridibus, periculum e malis oriturum minuerent. Hinc iam patet quare neque Placidi methodus probanda sit : nam inter eos qui prava illa diaria legere solent, versari possunt qui, si de rei periculo serio admoniti fuerint, periculum fidei moribusve suis oriturum vitent. Etiamsi statim non acquiescunt confessario hortanti ut ab his pravis lectionibus caveant, exhortationes illae saltem multis proderunt ut magis sibi invigilent vel etiam postea ab hac prava consuetudine recedant. Si vero confessarius nihil de his lectionibus interrogat, etiam eos quos novit iis esse addictos, paenitentes hoc silentio confirmabuntur in falsa opinione qua putant lectiones illas nulli serio periculo obnoxias esse.

CASUS V

Abundius sacerdos dictitat se, experientia edoctum quot homines sacrilege prae pudore confiteantur, ad hanc persuasionem devenisse : confessario subtiliter et argute interrogandos esse quoslibet paenitentes ignotos, et interdum

etiam iam habituatos, num antea peccata quaedam celaverint ; praeterea saepe interrogandum esse ea ratione qua videatur sacerdos iam nosse peccatum commissum, neque statim fidendum esse negantibus, cum multi, praesertim iuniores, non fateantur nisi a confessario urgeantur. His auditis, Narbonius, sacerdos timoratus, adeo formidare coepit ne in interrogando deficeret, ut audire confessiones, praesertim ignotorum paenitentium, quasi pestem horreret.

SOLUTIO. — Laudandus est Abundius quod sedulo incumbit in sacrilegas confessiones impediendas vel reparandas : ubique enim eas sat crebro occurrere, tum a priori ob difficultatem vincendi pravi pudoris, tum experientia constat (n. 305. II, nota). Attamen cavendum est ab exaggeratione, tum in factis asserendis, tum in conclusionibus quae ex iis deducantur. Ita modum excederet qui tot confessiones sacrilegas ubique fieri contenderet ut praxis sacramenti Paenitentiae, qualis de facto in Ecclesia viget, potius multiplicaret sacrilegia quam peccata deleret. Id enim supponeret obligationem confitendi peccata post baptismum commissa moraliter impossibilem esse christianis, neque Deum concedere christianis gratias necessarias ut divina illa institutio reapse cederet in utilitatem spiritualem fidelium : unde pronum esset inferre eandem esse, quod calumniantur Protestantes, animarum carnificinam (Trid. Sess. 14. c. 5). Pariter contumeliam inferret sacerdotibus catholicis qui contenderet non tantum in quibusdam locis et per modum exceptionis sed maiorem paenitentium numerum sacrilege peccata reticere, quia in cura interrogandi deficiunt confessarii : id enim idem esset ac si quis contenderet passim catholicos sacerdotes aut nescire quomodo hoc munere suo summi momenti fungi debeant, aut cognitum officium, profecto gravissimum, voluntarie neglegere. Modum quoque excederet qui e confessionibus sacrilegis bene multis quae ubique occurrunt, vel praesertim in aliquo populo vel loco notantur, concluderet exquisita cura utendum esse confessariis ad sacrilegia illa idoneis interrogationibus impedienda. Nam sicut paenitenti non incumbit officium exquisitae illius curae in quaerendis dispositionibus ad bonam confessionem requisitis, ita neque a confessaro aliquid amplius, stricta saltem obligatione, imponendum est quam ut ordinariam et humanam diligentiam adhibeat in curanda integritate ; immo etiam minus postulare licet a confessario, cui incumbit tantum

onus iuvandi paenitentem, qui primario tenetur ad confessionem suam rite instituendam (n. 362, 1°). Si quando confessarius, ubi id expedire iudicaverit, exquisitam illam diligentiam adhibeat, laudandus profecto erit ; sed non omnia quae laudabiliter fiunt, stricte imponi possunt, ob periculum satis remotum alicuius mali quod per eam impediri posset. Ceterum haec tam lata obligatio interrogandi, si passim vigere diceretur, aeque sacerdotibus et laicis noceret : sacerdotibus, quippe quos in perpetuas anxietates coniceret, ne forte tam stricto gravique officio deessent, atque ita a confessionibus magnorum peccatorum excipiendis averteret ; laicis, quatenus multiplicatae praeter modum interrogationes eos a sacramento, tamquam nimis molesto, averterent, vel urgentiora quaesita offenderent. Quare huius modi rigor, sub specie facilitatis et pietatis, a praxi confessionis, fere sicut olim Iansenismus, absterreret. Non est igitur cur Narbonius se cruciet : abhibeat moralem diligentiam in interrogandis paenitentibus qui iuvandi videantur (n. 361) ; quod si fecerit, non est cur timeat ne sibi imputentur sacrilegia, quae forsan pluribus et urgentioribus interrogationibus impedire potuisset. Profecto inanis scrupulus est omittere praestantissimum illud misericordiae opus, quod in reconciliandis cum Deo peccatoribus ponitur, timore offensae Dei in cura interrogandi, monendi, etc.

CASUS VI

Canutus parochus a Victorina, honesta matrona, certior factus erat eius filiam Anastasiam pluries rem habuisse cum Onesimo, amasio suo : quod testimonium fulciebat mala fama quae de iuvenum illorum commercio in pago vagabatur. Post duos fere menses, accesserunt Onesimus et Anastasia, confessionem ante matrimonium peracturi. Confitetur puella plura peccata gravia cum sponso patrata : hic vero, etiam speciatim de his rebus interrogatus, nihil grave in iis relationibus actum esse respondit. Tunc indignabundus Canutus adulescentem abire iussit.

SOLUTIO. — 1° Illaeso sigillo potuit Canutus speciatim de peccatis cum amasia commissis interrogare Onesimum. Etenim quaestiones vagae de peccatis turpibus in his teneris relationibus

commissis omnibus nupturientibus, nisi valde pii sint et a brevi tempore confessi, proponi solent (n. 365, 3°); quaestiones vero magis determinatae, iuxta ea quae parochus a Victorina vel a publica fama acceperat, non adversabantur sigillo, quia Canutus, licet eadem e sponsae confessione nosset, non prohibebatur quominus uteretur alia scientia extra-sacramentali (n. 390. V). Attamen sigilli legem violaret Canutus, si scientia e confessione Anastasiae hausta uteretur ad quaerenda quae ob solam priorem scientiam non quaesivisset, vel ad insistendum acrius ut confessionem extorqueret. Praeterea saltem melius egisset Canutus si speciales illas interrogationes omisisset, ne ansam daret Onesimo existimandi confessarium uti scientia hausta e confessione sponsae, cum notitia aliunde hausta paenitentem facile lateret.

2° Immerito negatam fuisse absolutionem Onesimo existimamus: siquidem Canutus, constitutus inter testimonium paenitentis de se ipso et testimonium Victorinae vel famae publicae, credere debet paenitenti potius quam reliquis (n. 365, 2°). Neque videtur hic locus esse sententiae S. Alph. (l. 6, n. 631) : non esse absolvendum paenitentem qui neget peccatum de quo moralem certitudinem habeat confessarius. Etenim si seponimus Anastasiae confessionem (cuius nullum usum in gravamen paenitentis facere potest confessarius), non habet moralem certitudinem Canutus de copula habita inter sponsos : nam unius Victorinae testimonium pluribus de causis fallere potest, seu quia putavit copulam habitam esse ubi tantum tactus turpes fuerint, seu quia rem praeter veritatem auxit, ut facile contingit mulieribus etiam honestis etc. Iam vero si meri tactus turpes adhibiti erant, non erat improbabile Onesimum, si satis rudis erat in rebus moralibus, hos tactus habuisse tamquam peccata levia, cum soleant huius modi nupturientes multo levius quam par est sentire de peccatis quae mutuo patrant. Accedebat hic specialis ratio vitandi scandali quod e denegata absolutione probabiliter passurus erat Onesimus. Ipse enim facile existimabit repelli se quia parochus peccato ipsius e confessione sponsae cognovit, atque ita a frequentando hoc sacramento removebitur, dum minorem fiduciam in sigillo sacramentali ponere incipiet. Canutus igitur non statim indignabundus paenitentem abigere, sed patienter eum ad sinceram confessionem hortari debebat; quod si confessionem, quae facienda videbatur, extundere non posset, nihil melius agere poterat quam ut hominem dubie dispositum sub condicione absolveret, instante matrimonii celebratione (n. 367, 1°).

DE ABSOLUTIONE DANDA, NEGANDA VEL DIFFERENDA

Punctum I. De consuetudinariis et recidivis

CASUS I

Nemesius, tempore Paschali, audit Pacomium, sibi penitus ignotum, qui ita confitetur : « Sacrum omisi ; blasphemavi ; in usu matrimonii cavi a nimio liberorum numero ». Interrogatus paenitens haec omnia per modum verae consuetudinis facta esse fatetur, et vix verbulo affirmante respondet confessario roganti num sincere haec peccata doleat atque emendare proponat. Diu anceps haesit Nemesius ; tandem paenitentem, brevi exhortatione praemissa, absolvit. Sed brevi post vehementer timere coepit ne peccasset, absolutione indigno collata,

SOLUTIO. — Non videtur Nemesius defuisse officio suo, modo sufficientem diligentiam adhibuerit tum ad cognoscendas dispositiones paenitentis, tum ad veram contritionem in eo excitandam. Etenim si paenitens ignotus pravis iis consuetudinibus involutus est quae in casu accusantur, valde timendum est ne dimissus iam numquam vel non ante multos annos redeat : iam vero ad hoc malum vitandum licet etiam dubie dispositis absolutionem sub condicione concedere (n. 367. 1°). Caveat tamen Nemesius ne solo verbulo affirmante statim contentus sit. Ut enim diiudicet num sincero animo affirmative respondeat paenitens, interrogandus erit num post ultimam paschalem confessionem aliquo temporis spatio Sacrum audiverit, a blasphemia abstinere conatus sit, rite sit matrimonio usus. Si huius modi emendationem ad tempus procuravit, etiam nunc eum sincere detestari peccata prudenter existimabit Nemesius. Si vero statim in eadem peccata relapsus est, ante eius oculos ponendum erit damnum ingens quod animae suae inferret si ore tantum promitteret emendationem ; quin etiam impellendus est ut si mores mutare nolit, potissimum quoad onanismum, abstineat potius a communione quam sacrilegium patret (n. 368). Quod si nihilo minus pergit Pacomius in affirmando suo

dolore et emendationis proposito, poterit absolvi, cum dilatio vel denegatio absolutionis animam eius in maius periculum conicere nata sit quam eiusdem concessio. Profecto fieri potest ut indignum absolverit Nemesius. Sed recordari debet ipsi non imputatum iri errores invincibiles, nec quicquam amplius a ministris suis postulare Christum quam ut moralem diligentiam adhibeant ad officium suum exercendum iuxta eius voluntatem.

CASUS II

Wilfridus, dum in vigilia Paschatis apud Wenceslaum parochum confitebatur, fere nihil aliud accusavit praeter multas blasphemias graves cotidie inter laborandum prolatas. Hac audita accusatione, parochus paenitentem, qui iam saepe in annua confessione eadem peccata accusaverat, abire iussit atque emendationi incumbere : quam si procurasset, absolutionem in vigilia Pentecostes assecuturus esset.

SOLUTIO. — Probanda videtur ratio agendi quam Wenceslaus cum Wilfrido tenuit, si hic notus erat parocho tamquam homo rudis, sed pius, de quo timendum non esset ne ob dilatam absolutionem a sacramentis recederet : tales homines facilius occurrent in iis locis in quibus nemo vel fere nemo a sacramentis saltem in Paschate suscipiendis abstinet quam ubi multi ab iisdem remoti vivunt. Sane si sperari poterat Wilfridum redire posse post aliquot dies, utputa si adhuc tres quattuorve dies temporis Paschalis supererant, non erat ad vigiliam Pentecostes differendus. Nam, saltem pro blasphemandi consuetudine, sufficiebat experimentum paucorum dierum ut de bona paenitentis voluntate constaret atque stimulus bono proposito adderetur : neque sinit paterna caritas, qua paenitentem prosequi debet confessarius, ut eum diutius quam necessarium sit, expositum relinquat periculo moriendi in statu mortalis peccati (n. 370, II). Plerumque tamen non expediet tam severe agere cum iis qui nullam aliam pravam consuetudinem habeant quam usurpandi illas formulas blasphematorias quae vulgo proferuntur. Nam saepe obstabit iustus timor ne, hac dilatione offensi, a sacramentis recedant vel saltem hoc anno communionem omittant, nec tamen a formulis illis repetendis abstineant. Sat crebro

etiam melius erit ab hac severitate abstinere, quia paenitentes concrete coram Deo non tam grave peccatum committunt, quam theoretice committere videntur. Nam inter homines plebeios, quales sunt plerique eorum qui has formulas blasphematorias in ore habere solent, minime rari sunt qui gravem reatum talis consuetudinis non satis intellegunt ut eum vere contrahant. Plane enim abhorrent directas blasphemias, neque ulla prava intentione in iis verbis usurpandis ducuntur, sed, prava consuetudine aliorumve exemplo abrepti, omittunt conatum quem facere deberent ut hunc morem obiective Deo iniuriosum emendarent. Iam vero plures se a peccato saltem gravi immunes existimant, quia nulla prava intentione in his formulis usurpandis ducuntur, neque satis percipiunt officium sibi incumbere ab iis abstinendi eo quod, ob sensum vulgo his locutionibus attributum, obiective laedunt honorem Deo debitum. Quam facile haec ratio obtusas multorum mentes fugere possit, confirmatur ex opinione quae nonnullis, etiam doctis sacerdotibus, in nostra regione incessit atque etiam a quibusdam Theologis, ut Ballerini et Gousset, propugnata est : formulas S. N. de D., S. D. et similes nihil aliud esse nisi vanam nominis Dei usurpationem.

CASUS III

Eustorgius sacerdos singulis hebdomadis Pancratium adulescentem confitentem audiebat auditumque absolvebat. Hic numquam non redibat cum multis peccatis gravibus contra castitatem commissis, seu solitarie, seu cum puellis, qua cogitationibus, qua verbis, qua actionibus. Confessarius, cum nullam emendationem in paenitente suo cerneret, timere coepit ne aequo facilior esset in absolutione danda.

SOLUTIO. — Aequo facilior reapse foret Eustorgius si in absolvendo Pancratio pergeret nulla seria monitione addita ut is maiores conatus adhibeat neque putet assecuturum se esse peccatorum suorum veniam sine efficaci proposito. Nam periculum est ne hic paenitens ex iis sit adulescentibus qui ex una parte passionibus suis habenas laxant, ex altera tamen in iis devotionis exercitiis quibus iam dudum assueti sunt perseverant, quasi possint simul libidini et Deo servire. Praeterea interrogandus erit Pan-

cratius num ea media adhibeat quae vim passionis minuant, voluntatis augeant, qualia sunt preces matutinae et vespertinae, fuga occasionum, assistentia Sacro diebus feriatis, observatio ordinis diurni sapienter praestituti, acris diligentia in labore vel studiis. Quod si in iis periculis vitandis et mediis adhibendis diligentem se praebuit Pancratius, non videtur a beneficio absolutionis et communionis excludendus : manifeste enim optima voluntate habitualiter praeditus est, quamquam interdum passionis vehementia vel consuetudinis tyrannide superetur, neque apparet ullum periculum ut sacram communionem sine fructu spirituali accipiat. Si vero in iis mediis adhibendis et periculis fugiendis segniorem se praebet adulescens, poterit quandoque expedire ut ei differatur absolutio. Quatenus autem hoc medium profuturum sit, prudens confessarius diiudicabit e paenitentis indole et moribus.

CASUS IV

Radegundis singulis hebdomadis ad tribunal Aemiliani, confessarii sui, hanc quasi stereotypicam confessionem deferebat : « Interdum de defectibus proximi locuta sum ; impatiens fui, inter orandum multas distractiones admisi. » Confessarius eam saepe ad emendanda illa venialia hortatus erat, sed frustra. Quondam, cum iterum eadem iisdem verbis accusasset, mirabundam Radegundem Aemilianus sic allocutus est : « Filia mea, equidem iam non audeo te absolvere : si enim serium dolorem et propositum eliceres, profecto aliquam emendationem procurares. Per tres dies conatus adhibe, et si pravas tuas consuetudines emendare coeperis, libenter te absolvam ».

SOLUTIO. — Laudandus est Aemilianus si ex indole et reliqua vita Radegundis patet plenam illam omnium eius confessionum identitatem oriri e neglegentia in adhibendis mediis quibus se ipsam vincat atque ad perfectiora assurgat, hanc autem dilationem reputat stimulum esse quo e somno teporis excitetur. Attamen dilatio illa minime necessaria est, cum facile paenitentem huius modi ad veram contritionem sincerumque propositum adducere possit, proposita memoria peccatorum graviorum quae antea commiserit

Radegundis (n. 370, III). Quod si pia mulier, quae nullum grave peccatum committere solet, peccata illa recordata fuerit et quoddam contritionis motivum perpenderit, dubitare non licet quominus sincere saltem haec maiora doleat : quod ad validam licitamque absolutionem recipiendam sufficit (370, III). Cavendum quoque ne nimis urgeatur si accusationum similitudo non tam provenit e voluntaria neglegentia quam e defectu memoriae, ex aliqua scrupulositate qua semper eadem accusantur ut maior securitas procuretur, etiamsi nulla distincta recordatio habetur, atque ex aliis causis involuntariis. Nam in hac hypothesi frustra peturbaretur paenitens inexspectata absolutionis dilatione.

CASUS V

Abundius parochus, in vigilia magnae festivitatis, accipit confessionem Soteris, qui, nuper militiae adscriptus, post aliquot menses familiam invisebat. Hic se accusat de plurimis formulis blasphematoriis prolatis, de turpiloquiis, de quibusdam peccatis luxuriae et de Missa saepe diebus Dominicis omissa. Quae cum audivisset Abundius : « Quantum iam mutatus es, inquit, paucis mensibus ! Non mereris absolutionem. Abstine ab his blasphemiis et turpitudinibus, ora mane et vespere. Missam diligenter audi singulis Dominicis. Secus certo te damnabis ! »

SOLUTIO. — Merito doluit Abundius lugendam mutationem quam pauci menses, in contuberniis inter malos socios acti, boni iuvenis moribus induxerant. Sed praeposterum remedium malo adhibuit. Nulla enim rationabilis causa erat ob quam de sincero dolore et proposito Soteris dubitaretur cum non ex inveterata malitia, sed ex animi debilitate, inter maxima pericula positus, peccasset. Quod si praevidebatur iterum in eadem peccata lapsurus, id nequaquam pravae voluntati paesenti, sed occasioni quam vitare non poterat, atque inconstantiae humanae ascribendum erat. Quare potius incitandus erat ut receptis sacramentis, quibus divinae gratiae robur Deus largitur, se ipsum adversus futura pericula muniret. Adde : merito timendum esse ne, tamquam absolutione indignus repulsus, adulescens in eadem peccata (ut valde

probabile est) relapsus, penes se statuat iam ad sacramenta non accedere, cum frustra confiteatur qui absolutionem recipere nequeat.

Punctum II. De versantibus in occasione peccati

CASUS I

Theobaldus adulescens apud Servatium confessarium se accusat, inter alia peccata, quod turpia colloquia cum feminis miscuerit, eas quandoque amplexus sit, earum brachia, crura, immo et partes turpes, supra vestes tamen, tetigerit. Interrogatus qua occasione haec peccata patrarit, respondet ea contigisse quando cum sociis, in eadem civitate studentibus, adibat cauponas in quibus puellae, moribus leves, adventantibus ministrabant. Urgenti Servatio ut ab iis cauponis frequentandis abstineat, respondet non posse se deserere socios quibuscum a longo tempore ob communitatem patriae, studiorum etc. intime coniunctus vivit ; hos autem non raro ad huius modi cauponas tendere ; sibi tamen invigilaturum esse ne in iis occasionibus iterum peccet. Tandem, cum omnino posceret confessarius propositum numquam comitandi illos socios ad huius modi cauponas, Theobaldus id promittere noluit, ac propterea recessit absolutionem apud benigniorem confessarium quaesiturus.

SOLUTIO. — Servatius, antequam Theobaldo aditum huius modi cauponarum prohiberet, inquirere debuisset num certo mortaliter peccavisset paenitens in iis colloquiis et tactibus quos cum illis mulierculis habuerit. Haec enim profecto gravia peccata sunt si e desiderio delectationis venereae vel cum pleno consensu in obortam huius modi delectationem fiunt (Vol. I. n. 406 seqq.) ; atque ita factum esse probabilius est, cum huius modi actus imperfecti raro ponantur, fervente iuventa, quin passiones venereae vehementer excitentur. Nihilo minus cum ab actibus completis et a tactibus turpissimis, puta in verendis, abstinuerit paenitens, fieri

potest ut gravis huius modi reatus afuerit. Quandoque enim huius modi actus imperfecti potius e levitate vel sensuali affectu quam e libidine proprie dicta procedunt ; quandoque etiam iuvenes qui ita cum aliis ad loca periculosa perrexerunt, potius respectu humano quam venerea delectatione impulsi huius modi colloquia miscent tactibusque indulgent : quod potissimum continget iis qui in reliqua vita christiane, immo satis pie vivunt, neque aliis iisque manifeste gravibus peccatis luxuriae indulgent. Cfr. dicta ad Cas, IV de 6° Decalogi praecepto. Igitur si, re examinata, constiterit leviter tantum ab adulescente peccatum esse, confessarius ei imponere non debet sub gravi ut huius modi occasionem deserat, sed enixe hortetur ut eam omittat, cum sine veniali peccato, immo etiam cum serio periculo lapsus ulterioris, ab eo adiri nequeat. Quod si dubium manet num graviter peccaverit vel instet periculum proximum gravioris lapsus, Servatius, iisdem factis hortationibus et monitis, abstineat a denuntianda gravi obligatione vitandi has cauponas, donec sequentibus confessionibus constiterit periculum proximum revera in iis adeundis adesse. Tandem si moraliter certum est graviter deliquisse paenitentem, proderit ulterius investigare utrum semper vel fere semper ea peccata commiserit ubi in ea loca perrexit, an pro multis visitationibus relative pauci lapsus contigerint. Si prius verum fuit, iubendus omnino erit Theobaldus ut cauponas illas vitet : nulla enim necessitate morali ad eas adeundas cogitur, quamquam ei molestum erit interdum relinquere socios, sicut fere semper difficultas superanda est ad occasionem proximam vitandam. Si posterius contigit, iubendus sane erit ut a cauponis illis frequentandis abstineat, non apparet tamen gravem obligationem ei imponendam esse ut ne semel quidem vel iterum, praesertim ubi magna molestia ei a sociis ferenda sit, eas adeat : in hac enim hypothesi, non constaret singulas illas visitationes, praesertim ob aliquam necessitatem potius quam ob libidinem factas, fore gravis lapsus occasionem (n. 372).

CASUS II

Leonidas, alumnus cuiusdam collegii, accusat se apud Sertorium confessarium de pluribus turpibus peccatis cum socio quodam patratis. A Sertorio interrogatus num necessitate quadam adigeretur ad consortium huius iuvenis ser-

vandum, respondet eum pertinere ad familiam quae cum parentibus suis magna necessitudine coniungatur, ac proinde vix fieri posse ut se ab eius societate separet. His auditis, Sertorius, paenitentem hortatus ut saltem congressum solius cum solo vitaret, absolutionem impertivit.

SOLUTIO. — Aequo benigniorem se exhibuit Sertorius. Etenim saltem debuisset non tantum hortari, sed tamquam strictum officium paenitenti imponere ut, si occasionem vitare moraliter non posset, eam remotam efficere conaretur, vitato congressu solitario, et qualibet nimia familiaritate seu in verbis, seu in gestibus (n. 373, III). Quod si parentes, ut quandoque fit, solum cum solo relinquerent vel ambulare iuberent, teneretur aliquo praetextu, puta dissensionis, taedii aliove simili, eius societatem detrectare. Dubium enim non est quin huius modi consortium, si assidue fovetur, ad eadem gravia peccata iteranda ducat : quamquam una alterave vice forsan convenire possint quin grave delictum patraturi sint (n. 372). Praeterea interrogandus fuisset paenitens num, iam diu gravia peccata cum hoc socio patrare solitus et de necessitate removendae huius occasionis admonitus, semper in eadem peccata prolapsus esset. Haec enim si verificarentur, omnino ei imponendum esset ut se a consortio hoc pernicioso separaret. Plerumque non deerit medium quo hic finis obtineatur quin iuvenis sua flagitia prodat. Nisi enim parentes eius quamlibet curam bonae educationis filii sui abiecerint vel fiducia quam in eius socio ponunt penitus occaecentur, satis erit ut Leonidas patri matrive suae secreto manifestet se consortium huius iuvenis, tamquam sibi minime convenientis, abhorrere. Si a brevi tempore huius modi flagitia patrare incepissent duo iuvenes, non censemus deesse officio suo confessarium qui, vetito congressu solitario, commendatisque aliis mediis removendi periculi, sineret ad tempus Leonidam cum hoc socio convenire, strictiorem separationem tunc tantum praecepturus cum experientia constiterit nulla alia ratione peccatum practice vitatum iri. Benignius quoque agi poterit cum Leonida si ipse socium ad malum induxerit isque velut invitus acquieverit, quam si ipse ab altero ad turpia patranda inductus vel iterum sollicitatus est. Nam si socius ille tantum cessit sollicitanti atque in ceteris apparet bonus piusque adulescens, facilius sperari potest periculum remotum iri, si is qui eius causa principalis exstitit, seriam paenitentiam egerit. Nolim tamen dicere, in

hac hypothesi, non fore maius periculum Leonidae cum hoc socio quam cum alio bono iuvene : nam, ubi semel exutus est inter duos, seu eiusdem seu alterius sexus, adulescentes naturalis pudor, magnus sublatus est obex peccati ; passio autem vehementius exardescet memoria praeteritae libidinis et maiore spe assensus obtinendi.

CASUS III

Marolius adulescens accusavit plura peccata luxuriae consummata cum muliere coniugata. Interrogatus a Libanio num semper cum eadem haec peccata patrasset, affirmando respondit ; ulterius autem petenti confessario utrum cum eo habitaret an eandem adiret, declaravit eam venire solere in domum parentum suorum ad labores varios peragendos. Solitas cautelas adhiberi iussit Libanius : quae cum in irritum cecidissent, et pluries iam iisdem peccatis onustus rediisset Marolius, confessarius eum obligavit ad rem totam alterutri parenti suo manifestandam, ut mulier illa dimitteretur. Sed numquam id in animum suum inducere potuit paenitens : qui proinde sine absolutione dimissus est.

SOLUTIO. — Rectam viam secutus est Libanius cum primum a Marolio peccata sua cum muliere illa coniugata accusari audivit : eae enim interrogationes semper faciendae sunt accusantibus plura gravia peccata turpia cum alia persona patrata, ut constet num adsit occasio proxima et utrum ea sit praesens, seu in esse, an non praesens, seu non in esse. Nam utriusque rei notitia confessario necessaria est ut sciat num et qua ratione paenitentem monere debeat de occasione relinquenda. Sed nimis severum existimamus fuisse Libanium ubi Marolium, cum iisdem fere peccatis redeuntem, iusserit parentibus suis lapsuum suorum occasionem indicare. Id enim facere non potest quin propria delicta sua parentibus suis manifestet : haec autem merito gravis infamia aestimatur, praesertim si iuvenis hucusque a parentibus suis tamquam bonis moribus praeditus aestimatur (quod multis adulescentibus, quorum plura et gravia delicta norunt tum confessarii, tum alii plures, contingit). Quare haec occasio merito reputabitur necessaria (n. 373, III).

Cfr. Berardi, de Occas. n. 274. Neque aliter agendum esse existimamus ubi iam pluries in eadem peccata relapsus est Marolius, dummodo probabile maneat eum hic et nunc serio de peccatis dolere et firmam voluntatem gerere adhibendi media quibus occasionem remotam efficiat (n. 374). Videat tamen confessarius num utilitati adulescentis prosit quandoque absolutionem ei differre vel saltem ei manifestare timorem ne indispositus accedat et propterea sine absolutione dimittendus sit. Hoc praesertim faciendum esset si paenitens, interrogatus (ut opus est) de conatibus adhibitis, nihil a se factum esse fateretur ; si vero responderet saltem aliquos conatus adhibitos esse, utputa si prima vice qua eadem femina in aedes paternas venit, ex industria eas reliquerit vel quemvis congressum cum ea vitaverit, iuvaret potius eius bonam voluntatem sacramentorum subsidio iuvare, neque importuna severitate deterrere. Tandem, si pluries, nullis conatibus adhibitis, neque minuto numero aut gravitate peccatorum, ad confitendum accesserit Marolius, poterit quandoque obligari confessarius ad denegandam absolutionem paenitenti, utpote qui nullum probabile argumentum sui boni propositi afferat (n. 370, II). Atque ita casum solvimus iuxta ea quae nobis probabiliora videntur. Nolimus tamen vituperare Libanium absolute, si obligationem, de qua in casu, paenitenti denuntiavit, secutus opinionem S. Alph. qui censet huius modi occasionem post plures relapsus esse deserendam etiam cum iactura vitae : quamquam opinamur hanc severitatem nullo iure certo requiri, ac proinde melius omitti.

CASUS IV

Apollonia matrona Kantio confessario manifestat se turpiter concupisci ab Eusebio, mariti sui fratre, qui in iisdem aedibus secum commoretur, et iam pluries, eius sollicitationibus abreptam, cum eo copulam habuisse. Commendanti confessario ut a congressu solitario cum Eusebio abstineret, respondit nullatenus id fieri posse, cum saepe maritus eius absit, ipsa autem sola domi maneat cum pueris nondum doli capacibus. Ulterius vero roganti Kantio num posset hoc suum periculum innuere marito suo, declarat hoc esse plenum summis incommodis, cum maritus sit vir maxime

violentus, a quo tum ipsa, tum eius complex, cuius auxilium in negotiatione mariti necessarium prorsus esset, pessima quaeque timere deberent. His auditis, Kantius commendavit paenitenti ut saepe ad orationem recurreret sibique invigilaret, atque his consiliis annuentem absolutione donavit.

SOLUTIO. — Merito abstinuit Kantius quominus Apolloniae imponeret obligationem denuntiandi marito suo impuros leviri sui amores : gravissima enim incommoda inde timenda sunt a marito violento qui facile a fratre edocebitur de uxoris suae infidelitate, atque insuper fratrem expulsurus videtur cum publica infamia et temporali detrimento totius familiae (n. 373, III). Sed, praeter spiritualia subsidia orationum, devotionis erga B. M.V. etc., ipsi commendare debuisset strenuam et absolutam resistentiam cuilibet turpi sollicitationi vel nimiae familiaritati leviri sui. Hortanda quoque fuisset Apollonia ut, cum primum ab eodem ad turpia provocaretur, ei non tantum fortiter resisteret, sed minaretur se rem totam marito manifestaturam esse : licet enim has minas exsecutura non esset, sperare liceret fore ut, vindictae timore, impurus vir a novis sollicitationibus deterreretur. Praeterea, cum semper periculosissimum futurum sit huius modi domesticum hostem servare, contra quem vix ullae cautiones adhiberi queant, proderit Apolloniam uti quibuslibet honestis mediis ut eum ab aedibus suis removeat. Sic occasionem sumere posset ex aliqua nimia familiaritate quam levir cum ea habuisset, aliis cernentibus vel malas relationes suspicantibus, ut marito suo innueret indecorum et periculosum esse huius modi contubernium : unde fiet forsan ut, honoris sui servandi causa, fratrem suum alibi habitare iubeat, a magnis tamen violentiis, patrati facinoris nescius, abstineat.

CASUS V

Hermogeni confessario, tempore Paschali, confitetur Leonidas se viduum a pluribus annis solere interdum rem habere cum Gertrude ancilla sua. Cum rogasset confessarius num paratus esset eam dimittere, respondit id nequaquam fieri posse cum ancilla illa plures liberos suos adhuc iuniores materno affectu foveret : molestissimum fore, ea dimissa

aliam conducere, cui fidere non posset. Iterum petenti Hermogeni num iam aliis annis iussus esset eam dimittere, respondit sibi pluries idem onus a confessario propositum esse : quod tamen deprecatus esset, promissa maiore vigilantia et familiaritatis fuga. Haec cum audisset Hermogenes, putavit sibi etiam satis esse ut huius modi promissionem a paenitente, qui in reliqua vita religiosa satis tepidus videbatur, exigeret: qua data, hominem sub condicione absolvit.

SOLUTIO. — Hermogenem prudenter egisse arbitramur, modo non affuerit e consortio illo grave scandalum : quod in casu non crebro aderit, si quidem ratio famulatus satis velare solet impuras relationes ut parum ab extraneis advertantur, praesertim si vir tum intra, tum extra domum vitat quae magis oculos aliorum offendere solent,utputa in publicum cum ancilla prodire, eam ad mensam suam admittere etc. Etenim prudenter timuit confessarius ne, de obligatione dimittendi ancillam hanc admonitus, Leonidas potius a sacramentis omnino recederet quam officium illud impleret (n. 372). Datur quoque aliqua ratio excusans in difficultate inveniendi aliam ancillam quae in liberis educandis viduo assistat : quae ratio, quamquam per se sufficiens non videtur, facile homini persuasionem ingeret non teneri se ad rem moraliter impossibilem (Cfr. Berardi De occas. et recid. II. n. 154, III). Iuvabit quoque in tali casu mentionem inicere matrimonii cum ancilla hac contrahendi : si tamen apparet paenitentem penitus hoc remedium abhorrere ob disparitatem condicionis, aetatis etc., vel aliam quamlibet rationem, prudenter abstinebit confessarius ab hac monitione urgenda, cum multo facilius asseculturus sit separationem, neque huius modi matrimonia felicem exitum habere soleant nisi magno affectu ineantur.

CASUS VI

Aurelianus sacerdos, peractis exercitiis spiritualibus, confessus est Horatio se plura peccata gravia luxuriae patrasse cum Asella ancilla sua. Hanc dimittere iussus, respondit sibi, iam penitus emendato et peccata illa intense dolenti, nullum periculum proximum ob servatam Asellam

imminere. Cum nihilo minus instaret Horatius, cui haec ratio inanis videbatur, postulavit paenitens ut ancillam hanc duobus tribusve mensibus servare posset : si enim statim post peracta exercitia dimitteretur, periculum fore ne vulgus intellegeret dimittendi causam, cum iam aliquis rumor serperet de nimia familiaritate inter eos vigente. Dilationi annuit Horatius. Sed post duos menses Aurelianus, cum nullum grave peccatum iam cum Asella patrasset, petiit a confessario suo ordinario num maneret sibi eius dimittendae obligatio.

SOLUTIO. — Merito iussit Horatius Aurelianum ancillam quacum pluries graviter peccasset dimittere, saltem si inter ea peccata aliquod temporis intervallum elapsum sit, ac multo magis si ea antea in confessione accusare omiserit : in his enim adiunctis moraliter certum est protractam cohabitationem aliis peccatis mortalibus ortum daturam esse. Si forsan ex unico aestu passionis brevi sedato omnia haec peccata provenissent, dimissio Asellae, quamquam maxime consulenda esset, nondum absolute tamquam graviter obligans imponenda foret : maneret enim spes fundata ut per maiorem vigilantiam vitamque cum Deo coniunctiorem novi lapsus impedirentur, et pravae suspiciones quae, ob nimias familiaritates sacerdotis cum ancilla sua, in populo vagabantur desinerent. Neque vituperandus est Horatius quod impositae dimissionis dilationem concessit, modo constet nullum dari medium citius dimittendi Asellam sine infamiae periculo : quam diu enim hoc periculum durat, occasio illa habenda est tamquam necessaria (n. 373, III). Quod si, praeter exspectationem, experientia constiterit ad occasionem removendam non esse necessarium ut Asella dimittatur, cessat obligatio ab Horatio imposita : quippe quae declaret officium e lege naturali oriundum ob praesumptionem quae videtur fuisse falsa (n. 360). Aliter tamen dicendum foret si vitata quidem fuissent peccata gravia, sed multae admissae familiaritates et sensualis amicitiae signa, quippe quae facile postea ad maiora peccata reducerent. Posset etiam manere obligatio dimittendae Asellae si ea populo suspecta maneret ob pristinas familiaritates cum Aureliano admissas : hic enim, etiamsi luxuriae periculum evasisset, teneretur ad eam dimittendam ne cleri existimatio apud populum labefactetur et forsan ipse, si curae

animarum operam dat, fama careat quae ad munus obeundum necessaria sit.

CASUS VII

Polyphemus faber ferrarius, dum confessionem apud Leontium instituit, accusat se de gravibus peccatis turpibus quae cum duobus adulescentibus artem ferrariam in officina sua addiscentibus patrarat. Hos complices dimittendos esse respondit Leontius. « Sed, Pater, ait paenitens, nihil proderit eos dimittere. Nam alios conducere debebo, et mox in eadem peccata cum iis labar. Ex quo tempore a me discessit uxor mea ut cum alio viro viveret, iugiter lapsus sum in hoc peccatum cum tironibus meis. » Nihil hac ratione motus confessarius absolutionem dare renuit antequam promissio ambos tirones dimittendi data fuisset.

SOLUTIO. — Opinamur cum Berardi (De Occas. n. 62), in huius modi casu satis raro, non viguisse obligationem dimittendi tirones quibuscum peccatum esset. Polyphemus enim non cum uno tantum adulescente, sed cum duobus eodem fere tempore lapsus est, et iam antea cum pluribus aliis infanda illa scelera admisit. Patet igitur periculum ipsi oriri minus ex hoc vel illo adulescente quam e vehementi propensione paenitentis in sodomiam et coacta continentia in qua vivit ex quo tempore ab uxore sua desertus est. Quare valde probabile est periculum permansurum esse etiamsi ii tirones quos nunc adhibet dimittantur : alios enim assumere necessitas artis ferrariae exercendae cogit. Verum proinde remedium huius paenitentis infirmitati est potius in ferventiore et crebriore usu orationis et sacramentorum, quam in dimissione huius vel illius adulescentis. Attamen hunc casum rarum esse ultro fatemur : plerumque enim, ob rationes quas supra (Casus II) adducebamus, multo maius periculum erit cum iis personis quibuscum iam pluries peccatum est quam cum iis quorum fragilitas nondum experientia comprobata est.

CASUS VIII

Ladislaus adulescens apud Michaelem confessarium accusat se, inter alia delicta, quod pluries cum sociis sermones vel

turpes vel rebus personisque sacris contumeliosos miscuerit. Confessarius, postquam interrogavit de numero illorum sermonum eumque sat magnum fuisse audivit, paenitentem iussit omnino ab his pravis sociis discedere : deinde, promittenti se facturum esse quicquid posset, absolutionem impertivit.

SOLUTIO. — Nimis festinavit Michael in monendo et absolvendo. Imprimis (nisi id iam ex aliis eiusdem paenitentis confessionibus praesumere possit) inquirere debebat num graviter in his sermonibus deliquisset. Quare interrogandus erat Ladislaus utrum hi sermones essent de rebus prorsus turpibus an tantum de levitatibus et scurrilitatibus indecentibus, et, si de graviter turpibus actum sit, utrum notabilem partem in iisdem habuerit an pauca tantum verba interseruerit vel ridendo probaverit. Pariter ab eo postulare oportebat utrum ipse dixerit vel probaverit quae graviter adversarentur rebus personisque sacris, quatenus cum Deo conectuntur, vel fidei veritates negaverit aut in dubium vocaverit, an ea tantum protulerit quae levem culpam contra virtutem religionis contineant, utputa irrisiones sacrarum personarum, quae potius ad eorum defectus quam ad sacrum characterem referantur, verba quaedam obiter prolata quibus aliorum dicta probari videantur etc. Quod si levia tantum peccata commisisse videtur Ladislaus, generatim enixe hortandus erit, non stricte obligandus, ut ab huius modi sociis, quantum fieri potest, recedat : non enim constat eum in periculo proximo gravis peccati constitutum esse, nisi ipse hucusque turpia fere penitus ignoraverit vel socii, quibus crebro se coniungere solet, se aperte impios prodant. Si vero graviter deliquisse videtur paenitens, confessarius utiliter ulterius interrogabit utrum hos pravos socios habitualiter adeat an tantum hinc inde obvios habeat. In hac altera hypothesi sufficiet paenitentem admonere ut iis se non adiungat vel, si in eos inciderit et pravos sermones miscere adverterit, quam primum possit ab iis discedat. At si tam prave dispositi sunt socii quibuscum habitualiter versari solet, formale propositum ab eo poscendum est deserendi hanc adeo periculosam societatem, nisi gravi causa excusetur, utputa impossibilitate alios meliores socios suae condicionis reperiendi. Neque enim iubendus est a quavis aequalium societate remotum vivere : si quidem ipsa solitudo graviora pericula secum fere posset quam prava consortia. Cfr. Berardi, De Occas. n. 182.

CAPUT III

DE ADIUNCTIS PAENITENTIAE

§ 1. DE SUPPLENDIS DEFECTIBUS IN CONFESSIONE COMMISSIS

CASUS I

Symphorianus confessionem excepit Silviae, quae, ubi confessarius formulam absolutionis inchoaturus erat, plurima dubia exponere coepit : quibus cum pro virili parte eximia patientia respondisset confessarius, in pace dimisit, formulae recitandae oblitus. Erroris sui postea conscientiam nactus est, sed iam ecclesiam reliquerat Silvia. Quare sequenti die, ubi eam vidit, genuflectentem in sedili quodam dum s. Communionis distributionem praestolaretur, absolutionis formulam e confessionali suo protulit.

SOLUTIO. — Si sola peccata venialia accusaverat Silvia, nihil tentare debebat confessarius ut errorem suum repararet, cum nulla necessitate premeretur paenitens. Si vero peccatum mortale accusaverat Silvia, Symphorianus debebat eam ad se iterum vocare, admonitamque de hesterna oblivione, hortari ut, si nullum aliud peccatum grave commiserit, iterum se de praeteritis peccatis generatim accusaret doloremque eliceret (quo certior esset materiae formaeque unio) : quo facto absolutionem proferre poterat. Quid autem, si molestum est eam ad se vocare ? Censet Gury (Cas. II, n. 739) eam sub condicione absolvendam esse tantum si reversura non sit apud eundem confessarium, nec facile postea revocari possit; secus sinendum esse ut interim bona fide ad Eucharistiam accedat. Censemus tamen, in casu, quotiens aegre posset confessarius Silviam ad se revocare, fas esse ut eam sub condicione absolvat.

Etenim cum breve tempus a confessione elapsum sit et mulier se ad communicandum accingat, moraliter certum est nullum novum peccatum grave ab ea admissum esse; pariter nulla solida ratio apparet ob quam de sufficienti unione inter materiam et formam sacramenti dubitemus, cum huius modi unio certe in forensi iudicio sufficeret inter causae instructionem sententiaeque probationem (n. 109, 2°). Supponimus quoque (quod plerumque fiet) non nimis magnum intervallum intercedere inter confessarium mulieremque absolvendam : nam si viginti passus excederet distantia, sacramentum periculo nullitatis exponeretur (n. 267, VI).

CASUS II

Benignus, a Sertorio in confessione interrogatus de quodam dubio circa reparandum damnum proximo illatum, respondit nihil esse restituendum. Postea autem, revolvens suam Theologiam Moralem, clare vidit se turpiter errasse; nihil tamen fecit ut errorem suum corrigeret ne Sertorius eum levem vel indoctum reputaret.

SOLUTIO. — Existimare licet (quia vix umquam aliter res continget) Benignum, ubi erroneam solutionem dedit, vel nullatenus vel summum leviter peccasse. Nihilo minus sub gravi, et quidem e virtute iustitiae, tenetur impedire damnum quod ex hac erronea solutione tertio obventurum est (n. 377). Igitur, cum primum commode poterit, admonere debebit Sertorium de errore admisso, neque ab hac monitione excusatur timore amittendae existimationis paenitentis, cum timor ille fere inanis sit, neque detur proportio inter incommodum Benigno subeundum et damnum quod tertius ex omissa restitutione sat notabili passurus sit. Si tamen admoneret extra confessionem, praevie petenda foret a Sertorio licentia loquendi de rebus in confessione auditis, nisi quaestio a paenitente posita nullam conexionem cum eius peccatis habuerit, ac proinde nullus pudor eidem incutiendus sit ut in memoriam eius revocetur. Tandem adverte Benigno oriri obligationem restitutionis illius peragendae si culpabiliter eam monitionem facere neglexerit (Vol. I. n. 513).

CASUS III

Servatius confessarius a Flacco paenitente rogatus est quid sibi faciendum esset ad reparandum detrimentum quod Floriberto in negotiatione quadam per fraudem intulisset ; hunc enim iam supernum diem obiisse. Iussit confessarius summam restituendam, 500 fere fr., bonis operibus impendi. Sed brevi post a docto sacerdote audivit Servatius se turpiter errasse, pecuniamque illam fuisse omnino restituendam heredibus Floriberti. Quare ubi Flaccus ad confessionem rediit, monuit manere ipsi obligationem indemnes praestandi illos heredes. At paenitens, qui iam variis operibus piis et pauperibus 500 fr. erogaverat, recusavit iterum solvere pecuniam quam iam restituerat.

SOLUTIO. — Perperam egit Servatius dum Flaccum monere distulit donec is ad confitendum rediret. Necessarium enim erat quam primum corrigere errorem admissum, ne detrimentum grave sequeretur. Igitur quam primum commode poterat, debebat Servatius adire Flaccum eumque rogare facultatem loquendi de quadam re in confessione audita (n. 377). Attamen cum utrumque errorem admiserit sacerdos sine gravi culpa theologica (ut vix non semper continget), non tenetur ipse ad reparandum damnum quod inde heredibus Floriberti oriturum sit (Vol. I. n. 518). Flaccum vero adhuc premit obligatio restituendi 500 fr. heredibus laesis : nam qui alium laesit, in se suscepit obligationem eum indemnem faciendi, neque liberatur detrimentis quae ipse patitur, seu casu fortuito, seu proprio vel alieno errore, dum eam restitutionem facere conatur (Vol. I. n. 529). Attamen quae dedit bonis operibus vel pauperibus, quatenus id fieri poterit, iure suo ab iis repetet : donatio enim illa nitebatur errore ac proinde irrita est (Vol. I. n. 589, III). Sed videat confessarius num in bona fide relinquendus sit paenitens dum existimet iniquum esse ut, cum eleemosynas datas recuperare nequeat, bis restitutionem facere teneatur. Cfr. La Croix, l. 3. p. 2. n. 420 seq. ; Elbel, Theol. Sacram. p. 2. n. 447 seq.

CASUS IV

Sabinus confessarius a Clarentio paenitente interrogatus num quidam libri, quos legere cupiebat, essent in Indicem relati, bona fide negando respondit, mox vero se errasse comperit. Attamen cum nimis molestum censeret Clarentium adire ut eum de errore a se admisso certiorem faceret, exspectavit donec is post tres quattuorve menses ad confitendum rediret.

SOLUTIO. — Nullum tam grave incommodum, in casu, Sabino subeundum erat ut monitionem illam pluribus mensibus differret. Nam, cum ageretur de quaestione quae mere concomitanter cum confessione peccatorum facta esset, nihil erat timendum de pudore iniciendo, vel de laedendo sigillo. Quare integrum erat Sabino etiam epistola data ad Clarentium errorem suum corrigere. Quod si aliquam difficultatem offenderet seu ut hanc epistolam scriberet, seu ut hominem conveniret, videndum foret quae sequelae prudenter ex erroneo responso exspectandae forent. Si nihil aliud timendum erat quam materialis violatio legum Indicis, poterat profecto differre retractationem suam donec in alia confessione commodam occasionem nancisceretur docendi paenitentis (n. 378). Si vero e lectione librorum illorum serium periculum fidei vel moribus Clarentii impendebat, caritas certe postulabat ut quam primum admoneretur, dummodo id sine gravi incommodo proprio facere posset. Cfr, Vol. I. n. 224.

§ 2. DE SIGILLO CONFESSIONIS

CASUS I

Albinus, monialium confessarius, a Superiorissa rogatus est num cotidianam communionem concessisset sorori Christinae quae hoc favore parum digna videretur. Respondit Albinus, prout verum erat, nullatenus hanc facultatem a se factam esse. Postea vero timere coepit ne sigillo con-

fessionis defuisset, dum ita dispositiones minus perfectas huius monialis, e confessione notas, manifestasset.

SOLUTIO. — Non adversatur sigillo confessionis responsum Albini, Etenim non magis manifestat defectus Christinae confessarius ubi negat se eidem dedisse cotidianae communionis facultatem, quam ubi eam iussit ab eadem abstinere : nam si quid colligi potest ex illa minus frequenti communione de culpis a Christina patratis, id aeque innotescet ex ipso facto abstinendi quod ei profecto a confessario imponi potest. Solus defectus Christinae quem Superiorissa e responso Albini discet, est praesumptio qua, sine confessarii sui facultate, cotidie communicavit. Hunc autem defectum extra confessionem commisit paenitens (n. 386, III). Consultius tamen egisset Albinus si respondisset se rem cum sorore Christina compositurum esse, Superiorissam vero iussisset tranquillo animo esse, si quidem nihil amplius ei faciendum incumbat e decreto S. C. Ep. et Reg. 17 dec. 1890, n. VI, nisi ut confessario exponat causas quas se habere putet contra frequentiores subditarum suarum communiones (n, 198). Etenim si Superiorissa edocetur ab ipso confessario quot communiones singulis monialibus permiserit et crebrius quam indultum sit communicantes reprehendit, periculum est ne confessarius suspectus fiat paenitentibus suis et quandoque sinistris suspicionibus obnoxius sit, quasi reapse scientia e confessione hausta uteretur ad iuvandam Superiorissam in externa administratione.

CASUS II

Antoninus Nereio confessario suo ita animum suum pandit : « Olim, dum ante confessionale exspectabam, audivi aliquem paenitentem sat alta voce loquentem ut eius peccata intellegere possem. In mentem meam venit cogitatio recedendi ad locum magis distantem ne haec secreta audirem, sed remansi, quia existimavi paenitentem illum sibi soli imputare posse scelerum suorum manifestationem. Postea tamen, cum mihi occurrit, monui hominem ut ne tam alta voce confessionem institueret ; credere noluit se intellegi posse a quolibet ; quare quaedam peccata ab eo accusata ei

repetivi. Nunc autem anxietatem experior ne ita agendo male egerim. »

SOLUTIO. — Antoninus iubendus est ut quoad praeterita acquiescat. Quicquid enim dicendum sit de eius agendi ratione obiective spectata, non habuit profecto conscientiam gravis sceleris admittendi, dum ita aures cum aliqua curiositate praebuit confitenti vel postea occurrenti paenitenti peccata quaedam recitavit. Id satis ex eo patet quod in praecedenti confessione nihil de priore illo facto manifestavit et *nunc* se anxium fieri declarat. Sed quid de re in se spectata et de directione in futurum danda ? Imprimis non tenetur paenitens ad relinquendum locum suum, ne ex imprudentia alius paenitentis vel confessarii quaedam secreto premenda audiat, modo in eo loco sit in quo ab iis qui demissa voce, ut solet, loquuntur, nihil audire possit. Nulla enim videtur obligatio ut huius secreti manifestationi nobis faciendae impedimentum ponamus, modo nihil fiat ad illud cognoscendum : in his enim adiunctis manifestatio vere fortuita, minime vero voluntaria audiendi censenda est. Sed admonendus est Antoninus quaecumque audivit tam severo secreto premenda esse ut nullum usum suae cognitionis faciat qui vel minimum gravamen paenitenti imprudenti vel surdastro afferat (n. 383, V) : quam molestam obligationem ut effugiant fideles, consulendum est ut, quatenus possunt, vitent ne etiam inviti ea quae in confessione dicantur audiant. Usus ingratus paenitenti esse nequit ut de altiore voce adhibita moneantur; immo caritas postulat ut, quatenus sine gravi incommodo fieri potest, certior fiat de periculo cui se imprudenter obicit. Sed peccata quaedam in specie repetere non licet, nisi ipse expresse postulet ut hac ratione de iis quae contigerint certior fiat (n. 388).

CASUS III

Ursicinus Agricolae cui olim famulatus erat, haud levem pecuniae summam clam subripuerat. Cum non haberet unde redderet, rogavit Homobonum confessarium, cui furtum suum confessus erat, ut pro se condonationem huius debiti ab Agricola peteret, permittens ut nomen suum pristino ero diceret. Hic debitum condonavit, sed rem totam uxori suae manifestavit.

SOLUTIO. — Saltem materialiter sigillum confessionis laesit Agricola dum Ursicini facinus uxori suae manifestavit. Illud enim non aliter scivit quam e revelatione, utique licita, Homoboni qui et ipse illud e sola confessione didicerat (n. 384, VI). Attamen formaliter huius sigilli violati reatum non contraxit nisi norit se tam arto secreto premi : quod generatim ignorabit, nisi confessarius (ut necesse est) monuerit eum tam arto silendi officio premi quam ipsum sacerdotem. Cfr. Gury, Cas. II. n. 751.

CASUS IV

Cyprianus, confessarius Regularis cui multa peccata luxuriae confessa erat Nympha, in difficillimis adiunctis posita, dubius haesit de ratione qua eam officia sua docere deberet. Itaque casum, reticito paenitentis nomine, exposuit Bernardino, eiusdem domus confessario, doctrina atque experientia insigni. Hic vero, cui olim sua peccata confessa erat Nympha, e quibusdam extraordinariis casus adiunctis statim intellexit cuius peccata audivisset Cyprianus.

SOLUTIO. — Cyprianus, quamquam profecto ob bonam fidem excusatur, indirecte violavit sigillum dum casum singularibus circumstantiis vestitum alii eiusdem domus confessario narravit : nam in iis adiunctis non deest probabile periculum ne ab eo quem consulit agnoscatur paenitens, si quidem non raro ab uno ad alium confessarium in eodem loco tendunt qui in quibusdam conscientiae angustiis versantur. Haec laesio tamen deesset si moraliter nullum esset periculum ne paenitens agnosceretur : quamquam ob extraordinaria quaedam adiuncta ab altero illo confessario reapse agnoscitur (n. 389). Si casus notiones postulat quas communiter confessarius non habet, utputa de Iure civili vel medicina, iuvaret petere a paenitente licentiam consulendi aliquem alium doctum sacerdotem de hoc casu, reticito nomine paenitentis. Id tamen non putamus expedire ubi agitur de difficultatibus contra castitatem vel alia communia christiani hominis officia : si quidem paenitentes plerique non intellegent cur confessarius haec per se ipsum solvere nequeat et molestissime ferent quominus de iis interrogetur tertius. Utilius in hoc casu suaderetur confessarius qui dubius haereret, ut difficultatem suam huic illive confessario, scientia et prudentia excellenti, exponeret.

CASUS V

Saturninus in ecclesia quadam reperit schedulam in qua aliquis longam confessionem scripserat. Hanc cum coepisset legere, aliquo timore pulsus est ne secreto confessionis prohiberetur quominus in ea lectione persisteret. Nihilo minus, novitate rei allectus, et ipse totam schedulam legit, et lectam quibusdam sociis ostendit. Inter eos erat Cleophas, qui solers erat in agnoscenda manu scribentium. Hic cum declarasset schedulam scriptam esse a Placido, iuvene timorato (quod veritati consonabat), hic multis iocis sodalium suorum agitatus est.

SOLUTIO. — Fieri potest ut Saturninus contraxerit coram Deo malitiam violati secreti confessionis, nempe si non vagam tantum apprehensionem, sed verum dubium habuit num protracta lectione hoc secretum infringeret et nihilo minus, contra conscientiam dictantem ut propter dubium abstineret, lectionem absolvit (Vol. I. n. 53, I). Reapse tamen non violavit legem sigilli, neque eam violarunt eius sodales (n. 384, VIII). Neque per se legem naturalis secreti violavit Saturninus, nempe quam diu existimavit se non esse agniturum e scriptione aliisve adiunctis quis esset schedulae auctor. Quod si id existimavit vel quaesivit, graviter vel leviter peccavit prout graviter vel non nisi leviter infamantia in eadem schedula scripta erant. Graviter quoque peccavit dum eandem sodalibus communicavit, praevidens probabile periculum esse ne ab uno ex iis agnosceretur manus scribentis vel, occasione sumpta ex hac lectione, impii ioci contra sacramentum Paenitentiae proferrentur. Cleophas vero, dum Placidum designavit, graviter laesit iustitiam, dum famam timorato iuveni eripuit, et religionem, dum sacramentum ceterorum irrisioni exposuit.

CASUS VI

Maglorius missionarius, dum magno fructu in quodam pago contionabatur, confessionem audivit Flaviani qui, a pluribus annis, adulterinis nexibus et omissione cuiuslibet

publici officii religiosi omnibus loci incolis scandalo erat. Obstupefactus parochus, Bessarion nomine, enumeratis Flaviani peccatis, Maglorium compellavit : « Pater, timeo ne te vir astutus deceperit ! Si omnia tibi dixisset prout ea contigisse novi, non tam facile, opinor, absolutionem dedisses ! » Ad haec Maglorius : « Nihil timeas, Domine Paroche, respondit. Vir ille cum magna sinceritate et dolore confessionem suam instituit, Spero fore ut in posterum sit ex optimis paroecianis tuis ! »

SOLUTIO. — Importune se ingessit Bessarion sententiae quam Maglorius in tribunali Paenitentiae protulit. Si dubium prudens servat de Flaviani conversione (quod sane prudens non erit, si nullo alio fundamento nititur quam culpis ab eo olim commissis), rem tacitus consideret, vel si dubium suum Maglorio aperire vult, ita loquatur ut nullatenus eius agendi rationem carpere atque ita eum ad se, cum secreti laesione, tuendum provocare videatur. Sed carpendus quoque Maglorius quia asseruit Flavianum sibi confessum esse cum magna sinceritate et dolore. Haec enim verba, prolata statim postquam parochus publica huius viri peccata recensuit, idem sonant ac si diceretur accusasse suos adulterinos nexus et neglecta religiosa officia : quod sigillo adversatur (n. 385). Licebat Maglorium, illaeso sigillo, affirmare (si verum erat) Flavianum sibi visum esse bene dispositum. Rectius tamen respondisset quae nihil de paenitentis dispositionibus enuntiarent, ne periculo indirectae revelationis exponeretur si huius modi quaestiones ponerentur de paenitente qui forsan ob malas dispositiones sine absolutione dimissus esset et tamen, ut aliis fucum faceret, ad S. Communionem accessisset.

CASUS VII

Marcella apud Eligium confessarium Regularem accusat se de Sacro die Dominico omisso. Miranti confessario causamque sciscitanti, narrat choreas ductas fuisse die Sabbati apud Nicolinum, e primoribus catholicis viris eiusdem oppidi, saltatum esse ad horam usque sextam matutinam, se postea alte somno sopitam fuisse usque ad meridiem.

Post prandium, Eligius, dum cum fratribus suis animum recreabat, acriter invehi coepit (mirum recreationis genus) contra Nicolinum aliosque viros catholici nomine gloriantes, qui choreas praeberent ad horam usque sextam die Dominicae, atque ita ansam darent multis Sacri omittendi.

SOLUTIO. — Per se a sigilli laesione immunis dicendus est Eligius : nam quae ceteris religiosis communicavit de choreis apud Nicolinum ductis, natura sua publica sunt, ac proinde a Marcella narrata sunt praesuppositive ad Sacri omissionem, nempe ut iudicaret confessarius quatenus haec ipsi imputanda foret (n. 385, II). Per accidens tamen haec narratio revelationem indirectam continere posset, nempe si timendum foret ne quis ex Eligii sodalibus, cui notum esset Marcellam esse e narrantis paenitentibus et necessitudine iungi cum familia Nicolini, suspicaretur eum de hac re edoctum esse ab hac puella, omissionem Sacri confitente : quae hypothesis non improbabilis est, ubi talia narrantur aliis confessariis in eadem ecclesia ministerium suum exercentibus, quibus multi paenitentes collegarum suorum noti esse solent.

CASUS VIII

Gratianus, ordinarius monialium confessarius, Faustum sacerdotem qui eius ovibus exercitia spiritualia traditurus erat, monuit quibusnam defectibus reprehendendis potissimum insistendum esset : nempe murmurationibus contra Superiorissam, ob nimiam severitatem exosam, teneris amicitiis, quarum pericula pro castitate omnium oculis obicienda forent, discordiis inter seniores et iuniores Sorores quandoque exortis. Postea tamen anxius esse coepit Gratianus, ne forte legi sigilli defuisset dum eos defectus, e confessione notos, manifestasset.

SOLUTIO. — Nihil est quod anxius sit Gratianus ob manifestatas murmurationes monialium contra Superiorissam suam et discordias quae seniores inter et iuniores ortae sint, modo hi defectus a multis monialibus in communitate satis ampla admissi fuerint (n. 389, IV, 5). Contrarium dicendum foret si vel paucae

essent moniales, utputa non plures quam viginti, aut si paucarum inter multas essent huius modi defectus. In hoc casu non liceret monere eum qui exercitia traditurus esset, nisi scientia extrasacramentali (ut in huius modi rebus fere contingit) utrumque defectum nosset Gratianus. Hic vero indirecte sigillum violavit dum monuit Faustum ut insisteret iis periculis quae ex amicitiis nimis teneris castitati immineant, si reapse quidam lapsus contigerint, sola confessione noti. Etenim fieri non potest quin pudore suffundantur eae paucae moniales quae haec peccata apud Gratianum accusaverint, immo et suspicentur confessione sua factum esse ut Faustus, monente ordinario confessario, de hoc vitio, inter feminas Deo devotas rarissimo, egerit.

CASUS IX

Basilius, missione in aliquo pago tradita, his verbis parocho Onesiphoro vale dixit : « Reverende Pastor, pretiosum consilium tibi iam profecturus relinquo. Ne omittas, quaeso, secundum statuta huius dioecesis, interdum vocare ignotum confessarium, et, quantum fieri potest, ne eodem tempore ipse in ecclesia confessiones audias. Experientia enim me docuit utrumque in paroecia tua necessarium esse ut multa sacrilegia vitentur. »

SOLUTIO. — Haec fervidi missionarii admonitio tota adversatur sigillo si pagus in quo contionatus est satis exiguus est, utputa si incolae 3000 non superant : nam e manifestatione illa peccatorum occultorum, non solum singuli exponuntur suspicioni quatenus sunt pars huius exiguae communitatis, sed etiam periculum oritur ne parochus quosdam determinatos paroecianos, quos ad Basilium perrexisse norit, sacrilegiorum insimulet. Quod si maiore incolarum numero constabat eadem paroecia, monitum parocho datum, ut interdum alium confessarium ignotum arcesseret, censemus licitum. Consilium vero ut parochus omittat confessiones audire dum alii confessarii adsunt, reprobandum ducimus, quia indicat parocho quosdam sacrilege confessos esse ex iis qui ad eum adire solent etiam ubi extraordinarii confessarii adsunt : qui solent esse pauci et quidem ex iis qui crebro ad parochi ministerium recurrunt. Quare eorum singulis aspergitur aliqua infamia et suspicionis periculum (n. 389).

CASUS X

Cyrus, olim alumnorum collegii X. confessarius, nunc autem eiusdem collegii Superior, a quodam invigilatore audivit librum aliquem pravum quibusdam alumnis commodatum fuisse, plura autem indicia, quae tamen certitudinem non parerent, conspirare ut facinoris auctor censeretur alumnus quidam, Irenaeus nomine. Iam vero Cyrus olim e confitentibus alumnis audierat hunc adulescentem pluribus causam ruinae spiritualis exstitisse pravis suis sermonibus et sollicitationibus. Quare, nullatenus dubitans quominus hic reapse pravum librum introduxisset, Irenaeum expulit.

SOLUTIO. — Distinguendum hic est utrum Cyrus ea peccata Irenaei norit ex ipsius confessione an tantum e confessione eius sodalium. Si e propria eius confessione eiusdem malitiam didicit, nequit uti scientia ista ea ratione quae molesta sit paenitenti (n. 392), ac proinde legem sigilli violat si, propter maiorem certitudinem e scientia sua sacramentali haustam, adulescentem expellit, non expulsurus ob indicia ab invigilatore detecta. Si vero e confessione aliorum novit Irenaei delicta, videndum adhuc utrum ea ipsi fuerint manifestata in ordine ad confessionem an tantum concomitanter exposita. In hac posteriore hypothesi, non est timendum de violato sacramentali sigillo (n. 385). In priore, nequit ea cognitione sacramentali uti ad obtinendam scientiam qua utatur ad expellendum Irenaeum : sic enim ea peccata novit tamquam peccata complicis, quae sub sigillum cadunt (n. 387, V).

CASUS XI

Primitivus, alumnorum confessarius, e confessione Lollii audivit hunc puerum, qui hucusque caste vixerat, a Caio pravo socio in magnum periculum conici. Quare tum Lollii parentes, tum collegii invigilatores monuit ut sedulo huius pueri sociis invigilarent. Postea, cum similis casus contigisset, quo securius procederet, paenitentem rogavit num

consentiret ut confessarius eius parentes moneret de pravo socio removendo, cum ipse puer id facere non auderet. Consensu post aliquas haesitationes obtento usus est Primitivus ad parentes commonendos.

SOLUTIO. — Nefas erat Primitivum parentes Lollii et collegii invigilatores admonere ut sedulo huius pueri sociis invigilarent, quam diu expressam licentiam a paenitente non est assecutus : id enim manifeste in huius gravamen cedere potest (n. 387, V). Cfr. Gury, Cas. II. n, 753. Ubi vero paenitentis licentiam petivit, imprudenter egit, si quidem huius modi monitionem vix facere potest confessarius quin sacrum ministerium pravis suspicionibus exponat (S. Alph. n. 492), ac proinde quin damnum quod timetur superet utilitatem quae sperari queat. Neque in hac altera methodo, qua se tam securum existimavit Primitivus, certo salva est lex sigilli : nam, praesertim ubi paenitens timidus est, quales sunt plerique pueri, et non nisi haesitabundus, ut in casu, consensum dat, valde timendum est ne hic sit extortus, ac proinde nullius valoris (n. 391, VII).

CASUS XII

Gereon confessarius duas habebat paenitentes Columbinam et Seraphinam, quae ipsi omnia arcana sua candidissime fatebantur. Quondam a Columbina audiverat totum eius amore flagrare manumque petere Alcibiadem. Iam gaudio exsultabat bonus pater, cum eadem prorsus de eodem iuvene in confessione manifestavit Seraphina. Hinc gaudio successit anxium dubium num posset, illaeso sigillo, utramque puellam monere de Alcibiadis fraude.

SOLUTIO. — Per se licet Gereoni notitia quam utraque puella suppeditavit uti ad alteram monendam ut sibi a fraudibus Alcibiadis caveat. Nam huius modi notitia, qualis dari solet a feminis piis confessario tamquam amico et spirituali patri, non est materia sigilli, sed tantum secreti commissi (n. 387). Utraque autem puella, in casu, merito supponitur consentire in usum huius notitiae qui cedet in utriusque emolumentum. At si notitiam blan-

ditiarum et promissionis Alcibiadis alterutra puella dedisset tantum tamquam circumstantiam quam putaverit (merito an immerito, parum refert) necessariam ad explicanda peccata cum eodem commissa, iam esset eadem materia sigilli (n. 385, II). Quare Gereon, antequam monitionem illam faciat, petere debet ab utraque vel ab alterutra saltem puella ut notitiae illius usum facere queat qui ipsi paenitenti magnum commodum afferet simul ac proximum a gravi molestia liberabit (n. 391).

CASUS XIII

Tatianus, confessarius Regularis, a sacrista vocatus ut confessionem alicuius mulieris audiret : « An nosti illam ? » rogavit. Nominavit sacrista Cunegundem, quae adhuc pridie, ad meros scrupulos enarrandos, Tatianum vocaverat. « Dic illi, reposuit confessarius iam taedio affectus, me nimiis negotiis detineri ut ante duas horas confessiones excipere possim. »

SOLUTIO. — Licite egit Tatianus ubi Cunegundis confessionem audire detrectavit ne eius scrupulis obrueretur et tempus amitteret, si mulier illa vulgo nota est tamquam scrupulosa et crux confessariorum : nam clare patebit ratio, quae nihil commune habet cum peccatis accusatis neque ullum periculum inducit ne odiosa fiat confessio (n. 386). Si vero tantum e confessione sciret Tatianus hanc scrupulositatem Cunegundis, non posset recusare quominus ad eius confessionem audiendam pergeret : quamquam sane licet hanc novam confessionem brevi tempore definire et volenti pergere negare absolutionem. Nam si quis denegaret omnino hanc confessionem audire, iuxta graves DD. (S. Alph. n. 659 : Gury, Cas. II. n. 775) sigillum violaret, quia uteretur notitia e confessione hausta ad faciendum aliquid quod per se ingratum esset paenitenti. Haec sententia practice servanda est (n. 380, III), quamquam in se verior nobis videtur opposita : confessarius enim ille non praecise utitur notitia quae sub sigillum cadat, sed notitia scrupulositatis quae non cadit sub sigillum (n. 386) ; neque ipsa confessio, sed potius scrupulositas inde odiosa fieret, haud secus ac si hominem fugisset quae, inter audiendam eius confessionem, foetidum eius halitum cognovisset.

CASUS XIV

Macarius parochus absolutionem negaverat Zoilo, quem mere propter aliorum impulsum ad confitendum venisse arbitratus erat. Brevi autem postea, dum per ecclesiam ibat, ab eodem rogatus est ut sibi communionem daret. Remisit hominem ad vicarium, qui solebat hac hora s. communionem dare. Postea tamen dubitavit num legem sigilli violasset : nam si alius paroecianus bene dispositus eum rogasset, ipse ei s. communionem dedisset.

SOLUTIO. — Indirectam sigilli violationem admisit Macarius : quamquam maxime. veri simile est eandem omni culpa formali vacare. Si communionem petiisset Zoilus in fine suae confessionis, potuisset eandem denegare confessarius : si quidem omnia adhuc intra confessionem aguntur. Sed cum petitionem suam, in casu, faciat extra confessionem, legi secreti sacramentalis deest Macarius, ubi notitia malae dispositionis, in qua versatur Zoilus, utitur ea ratione quae paenitenti ingrata esse queat, qualis est profecto denegatio ministrandi communionem quam parochus ceteris petentibus per seipsum dare solet (n. 392). Ab hac violatione immunis tamen est Macarius si passim soleat petentes tali hora ad vicarium remittere : nam erga hunc paenitentem indispositum tenetur se gerere sicut solet erga alios, non autem benignius quam solet.

CASUS XV

Maximinus, alumnorum in quodam collegio confessarius, noverat Desiderium, unum e paenitentibus suis, consilium cepisse ineundi seminarii clericorum, Victorem vero, quem multi ad statum sacerdotalem aspirare putabant, Hippocratis vexilla secuturum esse. Hanc notitiam, quam non nisi e confessione hauserat, quibusdam collegis suis manifestavit, dum ambo iuvenes consilium suum, variis de causis, omnino occultum servabant. Addiderat confessarius huic communicationi magnas laudes virtutis Desiderii ; de Victore vero nihil in alterutram partem dixerat.

SOLUTIO. — Non laesit sigillum Maximinus ubi utriusque paenitentis sui propositum aliis manifestavit : hoc enim in se bonum seu indifferens est, neque declaratum fuit tamquam circumstantia peccatorum. Quare, licet notum sit Maximino tantum ex iis quae in loco confessionibus audiendis destinato dicta fuerint, ad materiam sigilli non pertinet. Neque per se eidem legi defuit ubi virtutes Desiderii, etiam quatenus e sola confessione notae erant, laudavit, de Victore tacuit (n. 387, IV). Sed per accidens sigillum frangeret si ita coniunxit unius laudem, alterius omissionem, ut inde pronum sit audientes inferre silentium illius, quem utriusque confessarium esse norint, provenire e minore virtute quam in Victore agnoscat. Talis enim illatio minime improbabilis est ; ac propterea censendus est paenitens invitus quominus talem usum faciat confessarius notitiae quam ipsi per confessionem dedit. Sed, etiam ubi deest sigilli violatio, aderit in tali manifestatione, sine consensu paenitentis facta, violatio secreti commissi : quae, in re magni momenti, quale est propositum amplectendi certi status, natura sua gravis est, saltem si ex illa revelatione vanas molestias timent adulescentes, ac propterea rationabiliter sunt graviter inviti (Vol. I. n. 432). Praeterea virtuti religionis adversaretur huius modi communicatio si periculum esset ne his iuvenibus innotesceret atque in eorum mente reverentiam sacramenti Paenitentiae minueret : quod ex huius modi imprudenti revelatione facile sequitur, quia multi fideles, existimantes huius modi secreta esse sigilli sacramentalis materiam, hoc laesum esse arbitrabuntur vel saltem in eius custodia minus fidere incipient.

§ 3. DE SOLLICITATIONE IN CONFESSIONE

CASUS I

Rosalia apud Paphnutium ita confitetur : « Pater, a duobus mensibus in gravissima peccata prolapsa sum cum confessario meo : pluries tactus et colloquia turpia cum eo habui, semel etiam copulam ». Interroganti Paphnutio num quaedam ex iis peccatis in confessione commissa essent : « Numquam, respondit, aliquid turpe fecit vel proposuit in sede confessionum, sed quandoque tenerrima verba protulit,

ex. gr. se magno amore in me ferri, et, si nondum sacerdos esset, velle mecum nubere. Quandoque etiam invitavit me ut in sacristiam ecclesiae me conferrem, ibique me amplexus est et turpiter tetigit. »

SOLUTIO. — Iubenda est Rosalia ut confessarium suum apud Ordinarium denuntiet. Nam cum miser ille sacerdos pluries extra confessionem gravia luxuriae peccata cum eadem paenitente commiserit, quin et ipsam copulam patrarit, patet ea verba, quae ab eo in confessionali dicta fuerint, in eius sensu vere turpia fuisse, utpote quae indicerent amorem illum graviter turpem cuius effectus extra confessionem manifestati sunt. Pariter denuntiandus est idem confessarius ob invitationem factam ut eum mulier in sacristia exspectaret, modo amplexus vel tactus in eodem loco peracti graviter turpes exstiterint : sollicitatio enim ad eos peragendos moraliter intra confessionem coepta est (n. 396).

CASUS II

Symphoriana Eventium sacerdotem, quem vehementi amore prosequebatur, invitavit ut aegrotantis confessionem domi acciperet ; reapse autem eum ad turpia secum patranda sollicitare intendebat. Itaque, ubi sola cum solo in cubiculo remansit, ceteris recedentibus ut liberius confessionem instituere posset, ad tactus turpes provocavit Eventium : qui, post brevem resistentiam, sollicitanti acquievit Post aliquot menses, cum culpam hanc Iuvenali in confessione aperuisset, iussa est Eventium Ordinario denuntiare ni vellet carere absolutione.

SOLUTIO. — Non erat imponendum Symphorianae molestissimum denuntiandi onus. Etenim imprimis, in casu, fieri potest ut non affuerint, in modo quo peccatum turpe patratum sit, ea adiuncta quae a Gregorio XV (Bulla *Universi*) requiruntur ut sit locus obligationi denuntiandi. Nam probabile est clausulam " praetextu confessionis „ nihil amplius includere quam quod in sequentibus verbis " simulantes ibidem confessiones audire „ continetur (n. 397, 4°). Iam vero, ubi agitur de loco qui non sit habi-

tualiter confessionibus excipiendis destinatus, sed tantum actu ad id electus, non verificantur condiciones legis nisi facta fuerit aliqua positiva fictio confessionis (n. 397, 5°). Igitur, si Eventius et Symphoriana non se composuerunt in cubiculo pseudo-aegrotae ad confessionem simulandam, sed spontaneo testium discessu usi sunt ad turpia patranda, minime verificantur legis adiuncta. Sed, etiamsi haec affuerint propter positivam confessionis fictionem, probabiliter a denuntiatione facienda excusatur Symphoriana, quia confessarius non sollicitavit ipse, sed tantum acquievit sollicitanti (n. 395).

CASUS III

Melania puella apud Maxentium ita confitetur : « Pater, ab aliquo tempore confessarius meus ostendit mihi maximam familiaritatem : compellat me nominibus tenerrimis angeli, corculi etc. ; quandoque iussit me digitos per cancellos extendere eosque osculatus est ; nuper etiam iussit me secum pergere in atrium obscurum, ecclesiae contiguum, ubi me saepe amplexus est ». Interrogata utrum illi amplexus honesta an turpi ratione facti essent : « Osculatus me est, etiam super labia, respondit paenitens ; immo etiam lingua sua in os meum inducta ».

SOLUTIO. — Censemus non esse imponendum Melaniae denuntiandi confessarii onus : quia licet hic valde probabiliter interno affectu graviter contra castitatem peccaverit, non constat tamen de gravi peccato externo luxuriae ad quod sollicitaverit in confessione (n. 396). Etenim verba ab illo imprudenti confessario in confessione dicta, cum per se gravi turpitudine careant, non sunt habenda tamquam ratio denuntiandi nisi e reliqua agendi ratione confessarii constet ea dicta fuisse ad indicandum affectum graviter turpem. Iam vero ea quae idem sacerdos fecit, licet probent affectum sensualem et maxime periculosum, non tamen sunt peccata externa manifeste gravia. Talia sane non sunt oscula impressa digito puellae in confessionali, neque amplexus honesta ratione dati in atrio. Magis dubitari potest de osculis datis super labia vel lingua in os feminae inducta : quippe quae ordinarie peccata gravia sint (Vol. I. n. 406, I). Attamen illa conexio ordinaria cum peccato

gravi potius oritur e periculo consentiendi in turpem delectationem, ubi talia oscula dantur iis qui tenero affectu diliguntur, quam ex ipso actu externo, ac proinde non videtur huius modi osculum necessario conumerandum iis actibus graviter turpibus ad quos si in confessione invitasset confessarius certe denuntiandus foret. Attamen omnino iubenda est Melania ut ab illo confessario iterum adeundo prorsus abstineat : nam ex adiunctis ab ea expositis manifestum est relationes quas cum eo habet esse occasionem peccati tum ipsi puellae, tum potissimum sacerdoti.

CASUS IV

Meletius confessarius Monicam paenitentem suam, quam teneriore affectu prosequebatur, iussit domum suam venire ut pii cuiusdam operis, cuius curam gerebat pia puella, negotia componeret. Cum sacerdotis domum die praefixa adiisset Monica, Meletius eam ad turpes tactus secum habendos sollicitavit. Restitit sollicitanti casta mulier, neque minus fortem se praebuit quando, post confessionem apud eundem confessarium institutam, ab eo rogata est ut eum in sacristiam comitaretur ibique iterum ad turpia provocata est. Menander vero, alius confessarius, cui utrumque factum detexit Monica, dubius haesit num ei onus denuntiandi Meletii imponere deberet.

SOLUTIO. — 1° Interroget paenitentem Menander, ut sciat utrum illa invitatio ad componenda pii operis negotia fuerit merus praetextus, quo pravam intentionem suam velare conatus est miser sacerdos, an ratio seria, ex alia intentione profecta. Hoc alterum certe praesumendum erit, si antea interdum ad aedes eiusdem sacerdotis vocata fuerit Monica ad similia negotia componenda, nulla sollicitatione adhibita, vel si hoc tempore peculiares difficultates ad idem opus pertinentes huius modi coetus utilitatem commendabant. Si vero numquam antea aedes confessarii sui adire solebat puella ad huius modi negotia componenda, neque ulla ratio apparet ob quam nunc primum talem invitationem fecerit Meletius, hic censendus erit hanc deliberationem proposuisse unice ut occasionem sollicitandi haberet, ac proinde denuntiandus est (n. 397, 2°).

2° Pariter de altero Meletii facinore interroganda erit paenitens utrum haec invitatio immediate post confessionem facta sit an aliqua intercesserint inter confessionem et invitationem, utputa si hanc non fecerit Meletius nisi postquam adhuc aliis paenitentibus aures praebuerit vel aliam functionem sacram obierit (n. 397, 2°). In hac altera hypothesi, non est imponenda denuntiatio, quamquam iterum omnino iubenda est paenitens ut, nisi necessitas cogat, apud Meletium confiteri omittat, cum ipsi manifeste gravium peccatorum occasionem praebeat.

CASUS V

Stephanus quondam confessionem excepit Leocadiae, quae declaravit se a viginti fere annis malas instituere confessiones, quia peccata turpia cum confessario suo patrasset neque umquam confiteri ausa esset. Rogavit Stephanus num confessarius ille adhuc viveret et confessionibus audiendis operam daret, atque affirmanti paenitenti obligationem denuntiandi declaravit. Obiecit Leocadia numquam sibi animum fore denuntiandi sacerdotis illius, qui a longo tempore zelo ceterisque virtutibus fulgebat et conspicuum munus in dioecesi gerebat. Has rationes nullius esse momenti respondit Stephanus, feminamque denuntiare recusantem indignabundus dimisit.

SOLUTIO. — Opinamur fas fuisse, in casu, ut denuntiatio omitteretur, cum de plena emendatione delinquentis sacerdotis morali certitudine constaret (n. 398, 3°). Attamen nolimus carpere Stephanum quod, communiorem sententiam secutus (S. Alph. n. 686; Gury, Cas. II. n. 654), nihilo minus denuntiationem imposuerit. Sed idem plane defuit paternae caritati qua bonus confessarius paenitentium infirmitati succurrere debet. Nam, si denuntiare recusantem statim et quidem indignabundus dimittit, periculum magnum inducit ne paenitens iterum per longos annos in sacrilegiis vitam ducat, immo forsan in iisdem moriatur. Cur non potius animum mulieris erigit, ei exiguam occultae denuntiationis molestiam proponit, eam docet quomodo eadem nullatenus confessario qui olim sollicitarit nocitura sit ? Si huius modi hortationibus

nequit assequi ut statim onus denuntiandi assumat, cur non iubet eam ad breve tempus discedere atque ad confitendum redire ubi obligationem suam et motiva illius implendae mature coram Deo consideraverit ?

CASUS VI

Occurrit Orosio confessario paenitens quaedam, Bibiana nomine, quae a confessario suo ad turpia provocata fuerat. Cum nosset eius indolem valde timidam, arbitratus est eam numquam obtemperaturam esse obligationi denuntiandi confessarii Ordinario. Quare, ne eam frustra a bona fide deiceret, monitionem de facienda denuntiatione omisit.

SOLUTIO. — Probari nequit silentium Orosii, nisi confessarius Bibianae iam a confessionibus audiendis remotus fuerit vel certo emendatus fuerit. Nam, quotiescumque timetur gravissimum damnum commune quod a confessario sollicitante oritur, monenda est paenitens sollicitata, etiam cum tenuissima spe (quae numquam aberit) ut vel statim, vel saltem post aliquod tempus, monenti confessario pareat (n. 399, V).

CASUS VII

Eustachius confessionem audit Zitae quae saepe in confessione a confessario suo sollicitata fuerat. Iussit eam litteras ad Ordinarium loci dare. Respondit paenitens nullam epistolam a se mitti vel accipi posse quae ab ipsius parentibus non videretur : quare Eustachium rogavit ut ipse, suo nomine, ad episcopum scribere vellet. Confessarius vero, cum litteras scribendas valde abhorreret, hoc officium praestare renuit et puellam scribere recusantem sine absolutione dimisit.

SOLUTIO. — Erravit Eustachius ubi Zitam sine absolutione dimisit quia epistolam ad Ordinarium mittere recusabat ne sollicitationis factum ipsius parentibus innotesceret. Hoc enim incommodum maximum est, cum facile, re cognita, ipsa persona sollicitata

imprudentibus quaestionibus vexaretur vel sinistris suspicionibus subiaceret. Atque etiamsi forsan aliquatenus phantasia muliebri augeatur periculum manifestationis, ipsa illa mentis trepidatio metum relative gravem inducit (Vol. I. n. 28), ac proinde grave incommodum secum trahit. Quare, saltem quam diu durat huius modi impedimentum, censemus Zitam non esse adigendam ut denuntiationem peragat (n. 398). Neque hanc pro ea facere tenetur confessarius, nisi e peculiaribus adiunctis constet magna scandala a pravo illo confessario timenda esse, neque alios eum denuntiaturos esse (n. 400, 2°). Quare nihil aliud faciendum erat quam ut iuberetur Zita confessarium sollicitantem iam, quatenus fieri poterat, relinquere et, si supradictum impedimentum cessaret, rem iterum cum Eustachio aliove confessario conferre.

CASUS VIII

Paschalis, confessarius in quodam puellarum convictu sub monialium regimine posito, audit in confessione Margaritam, quattuordecim annos natam, dum tempore feriarum inter cognatos versabatur, a quodam confessario ad turpia sollicitatam fuisse. Nullam tamen denuntiandi obligationem paenitenti imposuit, quia existimavit vix fieri posse ut litterae a Margarita ad episcopum vel vicarium generalem mitterentur quin res quibusdam monialibus innotesceret et plurium mentes perturbaret.

SOLUTIO. — Si reapse ob personarum condicionem habitamve experientiam timendum est ne factae sollicitationis suspicio pluribus monialibus vel alumnis oriatur, censemus Paschalem prudenter egisse, dum ab imponenda obligatione denuntiandi abstinuit. Notabile enim incommodum reperiri videtur in ea perturbatione quae piarum illarum mulierum mentibus insidebit, quando audient in confessione ea committi quae numquam ab huius sacramenti ministro fieri posse putabant. Hinc enim castarum animarum pax et serenitas diu minuentur, molestae tentationes noscentur, etc. Neque, in casu, urget ratio impediendi gravis damni communis, si quidem, si miser ille sollicitator horrenda illa flagitia sua iterat, non deerunt, inter eos qui habitualiter ad eum recurrant, qui eam

denuntiationem peracturi sint. Fieri quoque potest ut, in casu, Paschalis merito aliam omittendae monitionis rationem invocet, vid. si e puellae moribus puris et simplici narratione videat eam sensum turpis sollicitationis non intellexisse (n. 399, V).

CASUS IX

Ernestina Hubertum confessarium suum consulit num recte egerit in casu sequenti. Lucia, quacum intimam familiaritatem fovebat, ei, promisso secreto severissimo, narraverat se nuper adiisse quendam confessarium, qui tam turpia in audienda eius confessione dixisset ut perterrita aufugisset ; quam ob rem Ernestina amicam suam iusserat, quatenus posset, variis praetextibus allegatis, ab hoc confessario adeundo removere paenitentes. His auditis, Hubertus paenitentem iussit rem denuntiare Ordinario, et haesitanti excommunicationem minatus est nisi infra mensem denuntiationem perageret.

SOLUTIO. — Hubertus, antequam denuntiandi obligationem imponeret, Ernestinam rogare debuisset num Lucia esset plane digna, tum quatenus nihil narratum esset quod verum non existimaret, tum quatenus prona non esset ad res amplificandas vel perperam intellegendas. Nam cum puella ista semel tantum haec turpia verba ab illo confessario audiverit, fieri posset ut verborum turpitudinem plurimum praeter veritatem auxerit, ac proinde de gravi peccato quod confessarius ille patrarit non constaret (n. 396). Quod si constat Luciam esse fide dignam, recte egit Hubertus ubi Ernestinam sub gravi iussit denuntiationem peragere ob speciale edictum S. Inquisitionis de quo S. Alph. n. 680. Neque obstat secretum etiam sub clausulis severissimis promissum, nisi Lucia (quod in casu parum veri simile est) amicam suam consulere intendisset quid sibi in conscientia agendum foret ob factam sollicitationem : quo in casu obstaret secretum commissum, et quidem tale ut omnium intersit illud fidelissime servari (n. 395). Erravit vero Hubertus ubi paenitenti minatus est excommunicationem, ni legi pareret : si quidem haec poena intentatur iis tantum qui personaliter sollicitati non denuntiaverint (n. 610). At eritne facienda

denuntiatio ab Ernestina, etiamsi Lucia eam iam peregit vel peractura est ? Quamquam nullibi hunc casum solutum invenimus, censemus tunc omitti posse denuntiationem ab eo qui sollicitationem factam esse audivit : eius enim obligatio non est nisi accessoria ad eam quae principaliter ipsi personae sollicitatae incumbit, et tota vis testimonii quod daret is ad quem notitia facti transmissa sit, iam reperitur in testimonio illius a quo factum audivit.

TRACTATUS XVI

DE EXTREMA UNCTIONE

CAPUT I

DE MATERIA, FORMA ET EFFECTIBUS EXTREMAE UNCTIONIS

CASUS I

Tryphon parochus, cum aegrotum quendam inuncturus esset, advertit se ex errore attulisse oleum catechumenorum pro oleo infirmorum. Statim ad ecclesiam cucurrit, sed quando laetus oleum infirmorum gestans rediit, iam moribundus animam efflaverat.

SOLUTIO. — Tryphon, si tristem hunc exitum praevidere poterat, puta quia moribundus plane in extremis versabatur et ecclesia satis ab eius aedibus distabat, debebat potius eum inungere oleo catechumenorum, et postea iterum oleo infirmorum : praesertim si moribundus sensibus destitutus iacebat et probabiliter peccatis gravibus onerabatur. Etenim in his adiunctis, vera urgebat necessitas ei succurrendi per sacramentum extremae unctionis : ac proinde adhibenda erat materia probabiliter valida (n. 416, 3°). Si vero ob minus imminens periculum vel brevem distantiam, probabilius erat moribundum victurum esse donec parochus oleum infir-

morum attulisset, recte egit Tryphon : deerat enim necessitas quae sola usum materiae mere probabilis in sacramentis cohonestat (n. 116, IV).

CASUS II

Respicius parochus, qui numquam in ullo negotio festinare solebat, recens oleum infirmorum quaerere differebat donec, elapsa Dominica in albis, a confessionibus temporis Paschalis vacabat, et, si interim aliquem inungere opus erat, vetus oleum adhibebat. Pariter si infra annum, ob multitudinem inunctorum, timendum erat ne reliquum oleum benedictum non sufficeret, minorem quantitatem non benedicti infundebat, ne novam copiam olei benedicti apud Ordinarium vel Decanum quaerere cogeretur.

SOLUTIO. — 1° Nisi extraordinario quodam incommodo excusetur, peccat Respicius dum oleum recens tantum post Dominicam in albis quaerere satagit : etenim ex obligatione adhibendi olei recentis, sequitur obligatio illud quaerendi quam primum commode fieri potest (n. 416). Atque S. C. R. 16 dec. 1826 (Coll. S. R. n. 2650, ad 4^{um}) interroganti : " An Decani distributionem (S. Olei parochis) differre possint usque post Dominicam in albis „, respondit : " Negative „. At peccatne graviter Respicius ? Cum paucis tantum diebus obligationem renovandi S. Olei neglegat, negandum censemus, nisi forte moraliter certo praevideret, ob numerum magnum paroecianorum, non defuturum saltem unum qui, hoc tempore morae culpabilis, vetere oleo ungendus foret : in hac enim hypothesi tam diu differre idem esset atque adhibere vetus oleum, relicto recente.

2° Nulla necessitate cogitur Respicius ut oleum non benedictum benedicto admisceat potius quam aliud benedictum quaerat. Hoc autem licitum est tantum in casu necessitatis, ut liquet e verbis ipsius Ritualis (n. 416). Attamen, gravem reatum esse Respicii dicere non auderemus, modo diligenter caveat ne, infusa maiore olei non benedicti quantitate, sacramentum periculo nullitatis exponat.

CASUS III

Mennas parochus, dum extremam unctionem conferebat, bis tantum pollicem in sacro oleo intinxit : semel pro unctionibus in capite faciendis et semel pro unctionibus manuum pedumque. Saepe etiam stilo argenteo unctionem faciebat. Quam ob causam ab aliquo collega suo increpatus, allegavit Pastorale dioecesis vicinae, in quo legebatur : « Intincto stilo vel pollice in oleo sancto. »

SOLUTIO. — 1° Valde timendum est ne Mennas periculo nullitatis exposuerit sacramentum dum bis tantum pollicem in oleo sacro intinxit : quod profecto grave foret. Hoc periculum tamen vitare potuit Mennas si pollicem prima vice multo oleo imbuit, post unam autem alteramve unctionem examinavit num adhuc madidus maneret : quod tamen raro fiet, cum septem unctiones in capite faciendae sint. Quare fere semper ob dubium probabile iterandum esset sacramentum.

2° Erravit Mennas, quamquam nihil grave in hoc defectu appareret, cum extremam unctionem, extra necessitatis casum, stilo contulit. Stilum enim, perinde ac penicillum, adhibere non licet nisi in casu necessitatis. Neque suffragatur consuetudo vel Pastorale, prout patet e decreto S. C. R. 9 maii 1857. " Circa extremae unctionis administrationem, libellus inscriptus : Ordo administrandi sacramenta ex Rituali Romano extractus, et iussu episcoporum in Anglia adhibendus, dicit : Intincto stilo vel pollice in oleo sancto etc. Cum vero Theologorum non una sit sententia circa consuetudinem adhibendi stilum in hac sacra unctione, et Theologi ipsi concludant quod quisque sequatur usum ecclesiae suae, quaeritur : Utrum in dioecesi ista Portus Aloisii, in qua invaluit usus stilum seu virgulam argenteam adhibendi in administratione extremae unctionis, usus ipse tuto constinuari possit ? „ Responsum est : " Negative, excepta necessitatis causa. „

CASUS IV

Martinus parochus, cum in conferenda extrema unctione errasset, naribus ante aures et sinistro oculo ante dex-

trum inunctis, triplicem illam unctionem iteravit. Alia die, extremam unctionem conferebat Nymphae, vetulae deliranti. Absque nimia moribundae resistentia unctiones in capite et una manu peregerat. Ubi vero alteram manum pedesque inungere paravit, tam vehementer repugnavit Nympha ut dixisses eam a daemone obsessam. Non nisi post diuturnam luctam, victa manum pedesque dedit Nympha.

SOLUTIO. — 1° Immerito unctiones illas tres repetiit Martinus. Nullum enim dubium erat de valore sacramenti, cum constet mere accidentalem esse tum ordinem inter varias unctiones tum gemini oculi unctionem (n. 417).

2° Nihil cogebat Martinum ut luctam illam indecentem et moribundae periculosam iniret cum bona vetula. Nam alterius manus et pedum unctiones certe non pertinent ad sacramenti valorem (n. 417). Quare eas ob iustam causam, qualis fuit in casu acris Nymphae resistentia, omittere licet. Cfr. Berardi, Prax. Conf. n. 4998.

CAPUT II

DE MINISTRO EXTREMAE UNCTIONIS

CASUS I

Theophilus parochus, et ipse iam senex aegerque, Sosiae parochiano suo sacram unctionem ministrabat. Sed vix oculos alteramque aurem inunxerat, cum brachium suum parere detrectans vocemque faucibus haerentem sensit et mox apoplexia perculsus corruit. Horrent adstantes omnes, eiulant mulieres, cito curritur ad vicarium Raymundum : qui, ubi astitit, prius parochum, iuxta omnes Ritualis praescriptiones, inunxit ; deinde Sosiae reliquas unctiones contulit.

SOLUTIO. — 1° Laudandus Raymundus quod primum parocho sacram unctionem contulit, nisi forsan manifeste constaret sine ullo periculo exspectari posse donec Sosias inunctus esset, atque hic omnino in extremis foret. Etenim, cum valde probabile sit ad sacramenti valorem unam unctionem sufficere (n. 417), Sosias in minus certa necessitate versabatur quam parochus.

2° Non videtur probandus Raymundus quod non repetiverit unctiones a Theophilo factas. Nam, saltem postquam iam collatum est parocho sacramentum, sat notabile tempus probabilissime effluxit ab unctionibus quas parochus fecit, ut hae non videantur moraliter uniri posse cum iis quas modo facturus sit vicarius. Deinde, valde timendum erat ne, iam primis apoplexiae oppugnationibus perturbatus, Theophilus in forma priorum unctionum erravisset. Quare potius omnes unctiones repetere debuisset Raymundus, eas tamen quae a parocho factae essent, sub condicione : nisi iam longum, puta unius horae, intervallum intercessisset, quia sic unio moralis inter duplicem administrationis partem impossibilis foret (n. 420).

CASUS II

Hildebrandus parochus rogatus est a fidelibus ad vicinam paroeciam pertinentibus ut aegroto cuidam suo extremam unctionem conferret : Lambinus enim, eorum parochus, iam rogatus ut S. Oleum deferret, moras nectebat. Accurrit Hildebrandus atque ubi vidit verum mortis periculum urgere, moribundum inunxit : qui brevi post melius habere coepit. Hinc acriter contra vicinum suum invectus est Lambinus, iuraque sua pedibus conculcata conclamavit.

SOLUTIO. — Modo vere constiterit Lambinum fuisse in mora, nullatenus eius iura invasit Hildebrandus. Etenim ubi periculum est ne quis fidelium absque ultimis sacramentis moriatur, quia proprius pastor seu voluntarie, seu involuntarie, ea conferre procrastinat, rationabiliter praesumi potest eum consentire ut ab alio quolibet sacerdote conferantur : praesumendus enim est malle ut ab alio iuventur quam ut sine sacramentis decedant. Aut si ob praeiudicia, aliamve quamlibet causam, nollet consentire parochus, merito praesumi posset Ordinarii consensus (n. 240, II). Attamen

in huius modi casibus conandum est ut, quatenus fieri potest, concilientur quae spirituale fidelium bonum postulat cum mutua sacerdotum concordia et parochi inter oves suas existimatione. Quare Hildebrandus debuisset abstinere ab extrema unctione conferenda, si praevidisset fore ut brevi Lambinus adstaret neque serium periculum esse ut antea moreretur aegrotus. Postquam vero ultima sacramenta ministravit, Lambinum monere debebat se, necessitate coactum, eius vices egisse. Tandem si ob habitualem Lambini socordiam, probabiliter praevideretur fore ut huius modi casus pluries occurrerent, atque e suppleta eius neglegentia discordiae prudenter timerentur, Ordinarius monendus esset ut socordem parochum stimularet vel alio remedio discordiis occurreret.

CASUS III

Mericius parochus, cum ad lectum Stratonici aegrotantis properasset ut ei ultima sacramenta conferret, hominem repperit tam debilem ut timeret ne, antequam omnia peracta essent, animam efflaret. Quare cum Stratonicus valde pius adhuc pridie communicasset, satius esse duxit eum prius inungere : quo sacramento collato, cum melius haberet aegrotus, Viaticum impertivit.

SOLUTIO. — Prudenter egit Mericius, dum extremam unctionem Viatico praemisit. Nam cum hodierna consuetudo ordinis inversi servandi non obliget sub gravi (n. 421, III), sufficit rationabilis causa ut ad ordinem antiquum redeatur. Atqui in casu, talis causa rationabilis aderat. Cum enim pridie S. Communione munitus esset Stratonicus, probabilius nullo stricto praecepto Viatici suscipiendi tenebatur (n. 211, II). Aliunde, cum instaret mors, timere poterat parochus ne Stratonicus extremae unctionis gratia peculiariter pro extremo agone data destitueretur, si prius Viatico muniretur, vel ne S. Hostiam deglutire non posset. Hinc etiam plures rationes invertendi ordinis aderant, dum una sufficiebat. Cfr. Bucceroni, Cas. II. n. 129.

CASUS IV

Lucanus, sacerdos litteris docendis applicatus, dum forte ambulans per pagum transibat, a muliere quadam eiulante

rogatus est ut ad maritum eius moribundum accederet. Domum ingressus, repperit hominem apoplexia correptum sensibusque destitutum. Data absolutione, rogatur ut extremam unctionem ministret : parochum abesse, sed aedituum praesto fore qui S. Olei armariolum aperiat. Verum absolutam necessitatem discedendi causatus est Lucanus, non sine magna astantium admiratione. Reapse autem timebat ne in forma sacramenti, quod numquam administraverat, erraret vel a parocho, quem virum difficilem esse norat, molestias pateretur, si forsan periculum non adeo immineret.

SOLUTIO. — Inanes excusationes praetendit Lucanus. Etenim, etiamsi memoriam adhibito Rituali iuvare non poterat, praestabat moribundum inungere etiam cum periculo nullitatis sacramenti, quam hoc penitus omittere (n. 116, IV). Ceterum multi errores tum in forma, tum in materia proxima extremae unctionis admitti possunt quin valor pessumdetur. Attamen hac occasione animadvertisse iuvabit quemlibet sacerdotem, eo ipso quod interdum obligari potest ad hoc sacramentum conferendum, obligari ad eius materiam formamque memoriter tenendam, tamquam medium vix non necessarium ad hunc finem. Neque aliquae molestiae a parocho irrationabili inferendae solent grave incommodum afferre quo ab hoc caritatis officio erga moribundum excusetur. Nullus enim sanae mentis homo vituperabit Lucanum quod inunxerit hominem qui a familiae membris dicebatur imminenti periculo mortis obnoxius, dum merito vituperabunt sacerdotem qui, cum facile possit, proximo in tanta necessitate constituto succurrere neglegat. Sed peccavitne graviter an leviter tantum timidus Lucanus ? Si moribundus a longo tempore confessus non erat et parum pius videbatur, multo magis si vitiis manifestis blasphemiarum, impudicitiae etc. obnoxius vivebat, graviter deliquisse opinamur : leviter tantum, si e vita apprime christiana vel recenti confessione aut communione probabilius nulla letali culpa inficiebatur (n. 421, IV).

CAPUT III

DE SUBIECTO EXTREMAE UNCTIONIS

CASUS I

Apollinaris missionarius quondam vocatus est ad auxilium spirituale ferendum cuidam viro qui, cum per vicum transiret, subito morbo correptus fuerat et sensibus destitutus iacebat. Interrogatis astantibus, num moribundus baptizatus esset, dubius haesit. Nihilo minus eidem extremam unctionem contulit. Alia vero die, cum quidam infidelis morti proximus baptismum rogasset et suscepisset, eidem extremam unctionem non dedit, quippe quam inutilem reputaret ei qui per baptismum plenam peccatorum suorum veniam obtinuerat.

SOLUTIO. — 1° Apollinaris debuit sub condicione huic infideli conferre baptismum. Nam dubium positivum non deposuit circa valorem prioris baptismi ; ex altera autem parte probabilitas aliqua adest circa voluntatem qua hic homo volebat esse christianus. Post collatum baptismum, laudabiliter virum inunget, si tamen dubium in favorem prioris baptismi non fuerit mere negativum, sed aliqua probabilitate, puta unius alteriusve ex astantibus testimonio non manifeste inani, nixum. Etenim sub condicione licet, in casu necessitatis, sacramenta conferre iis qui dubie capaces sunt.

2° Erravit Apollinaris ubi extremam unctionem recens baptizato conferre renuit tamquam inutilem. Etenim licet per baptismum remissa sint omnia peccata, etiam venialia, quorum saltem attritio, seu in ipso momento baptismi, seu postea habeatur, obtineri potest a moribundo primarius effectus extremae unctionis, qui est delere reliquias peccatorum (n. 419). Per baptismum enim non

necessario tolluntur pravus fomes, habitus pravi, phantasmata periculosa etc., quae e peccatis, etiam quoad culpam et poenam plene remissis, remaneant. Ita communis sententia cum S. Alph. (n. 721).

CASUS II

Commodius parochus accersitus a Seraphina, vetula octogenaria, una leuca ab ecclesia commorante, secum tulit S. Oleum, ut si forte necessarium esset, extremam unctionem ei conferret. Repperit eam annis debilitatam et quasi exsiccatam, quamquam nullum prae se ferebat proximae mortis indicium. Attamen, ne cogeretur iterum longum iter instituere, eam extrema unctione donavit. Idem sacramentum dedit Caeciliae, quae infantem paritura erat atque a medico edocta fuerat se singulis partubus mortis periculum incurrere ; pariter Susannae, quae ab Hippocrate suo audiverat se in magno apoplexiae periculo versari, nunc autem, ob capitis gravedinem, timebat ne funestum illud oraculum adimpleretur.

SOLUTIO. — 1° Non est reprehendendus Commodius quod S. Oleum secum tulerit ubi ad vetulam quam suspicabatur in periculo mortis versari, perrexit : secus dicendum, si illud secum ferat quotiens aegrotos invisit, etiam ubi nullum determinatum periculum suspicatur (n. 421, V). Quid autem de collata extrema unctione ? Profecto sola ratio provectae aetatis non sufficit : licet enim senectus sit morbus, non tamen est semper morbus e quo proximum periculum mortis oriatur, cum multi senes etiam decrepiti plures annos vivere pergant. Si vero ea est debilitas functionum vitae vegetativae in Seraphina ut, iudicio medici aliusve periti, licet nullo speciali morbo laboret, facile possit subitanea morte corripi, laudandus est Commodius quod eam inunxerit : quamquam, si nihil obstabat quominus vetula communicaret, potius debuit in sequentem diem reicere extremam unctionem post datum Viaticum (n. 422). Aliquatenus etiam iuvare potest ratio distantiae, seu propter molestiam sacerdoti subeundam, seu praesertim ne, si instantius periculum exspectetur, sacerdos morte praeveniatur. Attamen exigua illa distantia non est ratio suffi-

ciens ut inungatur, qui quatenus praevideri potest, plures adhuc menses victurus est. Nam in resp. S. C. de P. F. (n. 428, nota) quo id fieri permittitur, agitur de magna distantia aliove impedimento ob quod sacerdos, tempore mortis instantis, in eodem loco adesse non possit (1).

2° Caeciliam merito inunxit Commodius, si iam partus dolores incepere et, actuali iudicio medici, praesens periculum mortis instat (n. 422); immerito, si partus et periculum tantum praevidentur. Extrema enim unctio, saltem regulariter, in praesentibus tantum periculis posito danda est. Saepe etiam medici, talia pericula in singulis partubus praecinentes, id tantum intendunt : ob anatomicam mulieris conformationem aliasve internas causas, facile eas insurgere posse circumstantias quae verum periculum creent. Hoc igitur immerito semper tamquam praesens haberetur.

3° Per se, cum hic probabile indicium periculi imminentis adsit, Susannae conferri poterit extrema unctio (Gury, Cas, n. 801) : praesertim si pia mulier eam petit ut plene sui compos sacramentum recipiat. Attamen, ne muliebri terrore deceptus, se ipsum et sacramentum ludibrio exponat, plerumque Commodius prudenter iudicium medici de praesenti Susannae invaletudine postulabit.

CASUS III

Rudolphus, dum Sacrum celebrans ad *Pater noster* pervenerat, magnum strepitum in ecclesia audit. Mox astat aedituus, postulans ut statim extremam unctionem dare velit cuidam homini ignoto, qui morbo quodam (ut videbatur) gravi correptus ceciderat atque in eo erat ut animum efflaret. Ilico altare reliquit Rudolphus : aegroto sensibus destituto absolutionem extremamque unctionem dedit et Sacrum prosecutus est. Sed brevi apparuit veritas : inunxerat ebrium ! Dissipatis enim liquoris alcoolici vaporibus, inunctus aedes suas repetere potuit.

SOLUTIO. — Si sufficienter constitisset hominem illum in mortis periculo versari neque ullus alius sacerdos adesset, recte egis-

(1) Cfr. Gury, Cas. II. n. 804, qui tamen nimis absolute hunc casum affirmata unctionis validitate et liceitate solvit.

set Rudolphus, Missa etiam in canone interrupta ut praesentem in ecclesia inungeret (n. 253, VI, 5°). Sed, quamquam bona fide excusatur, imprudenter egit, dum extremam unctionem contulit homini de cuius periculo tam parum ei constabat. Vulgo enim notum est multa phaenomena, e morbis nerveis orta et nullatenus periculosa, specie tenus plane terrifica esse : ne dicam de iis qui tales commotiones fingunt ad misericordiam ciendam vel de effectibus ebrietatis in subiecto iam morbido. Quare Rudolphus, data sub condicione absolutione, ab extrema unctione danda abstinere debuisset donec consulto aliquo medico vel alia via ad certiorem cognitionem periculi devenisset : ne sacramentum et ipse sacerdos irrisioni populi exponerentur.

CASUS IV

Iosaphat parochus quandoque, ubi duas tresve unctiones peregit, videt moribundum omni motu halituque privari et omnia mortis signa dare ; quandoque etiam, ubi ad lectum moribundi pervenit, invenit eum, nullum signum vitae dantem, astantibus gementibus circumdatum qui dubitant num eius anima iam e corpore excesserit. In iis adiunctis, saepe anceps haeret Iosaphat, neque semper eodem modo se gerit.

SOLUTIO. — 1° Ubi moribundus post unctiones iam inchoatas mori videtur, praestat eas sub condicione prosequi donec absolutae sint quae, iuxta communiorem sententiam, ad valorem sacramenti requiruntur, nempe usque ad unctionem pedum exclusive (n. 417). Plerumque enim dubium manebit num anima iam e corpore excesserit (n. 422). Iuvabit tamen hanc rationem astantibus postea explicare, ne sacramentum despiciant dum illud putant cadaveri conferri.

2° Ubi iam mortuus apparet aegrotus, antequam unctiones dari coeperint, diligenter cavendum est ne sacramentum irrisioni impiorum exponatur. Quare, si astantes parum pii vel ignoti sunt sacerdoti, praestabit exspectare iudicium medici neque inungere eum qui nulla vitae signa praebeat antequam ille pronuntiaverit mortem minime certam esse. Timendum enim est ne tepidi fideles, prout non raro contingit, sacerdotem vocare distulerint donec moribundus sensu privatus fuerit, eumque cadaver inungere velint

ut impietatem suam velent : turpe enim est sacerdoti ab his hypocritis ludibrio haberi dum cadaver inungit. Aliter dicendum putamus si astantes pii sunt vel saltem manifeste sinceri et religionem venerantes. Quam diu enim nullus medicus dubium diremerit, praestabit sub condicione sacramentum conferre, declarata ratione ob quam ita agatur (n. 422).

CASUS V

Crescentius parochus vocatus est ad Silvanum, puerum sexennem moribundum. Cum ipse anceps haereret num parvulus, quem in schola interdum viderat et interrogaverat, esset iam doli capax, interrogavit parentes : qui nihil certi renuntiarunt. In his dubiis satis factum esse putavit Crescentius, data Silvano absolutione sub condicione : sed neque extremam unctionem, neque Viaticum contulit.

SOLUTIO. — Rectam viam ingressus est Crescentius ubi parentes de malitia Silvani interrogavit. Sed postquam dubium de morali evolutione pueri deponere non potuit eique merito absolutionem sub condicione dedit, debuisset etiam sub condicione extremam unctionem conferre (n. 422). Graviter tamen non deliquisset parochus, etiamsi e mera socordia hoc sacramentum parvulo dare neglexisset, quotiescumque satis constat eius mentem nondum fuisse satis evolutam ut mortale peccatum committere potuerit : quod supponere licebat in casu, cum de puero satis noto dubium esset etiam num venialis noxae contrahendae capax foret (Berardi, Prax. Conf. II. n. 5000). Ob neglectum vero Viaticum non videtur culpandus Crescentius : nam parum veri simile est Silvanum habuisse aliqualem notionem huius sacramenti, cum dubium sit utrum notiones multo faciliores, nempe prima obligationis moralis elementa, apprehendisset (n. 211).

CASUS VI

Bernardinus, magni hospitii quasi-parochus, saepe dubitat num debeat iterum extremam unctionem conferre adulescentibus phtisi pereuntibus qui, postquam in pericu-

lum mortis inciderint, e lecto surrexerunt, hospitium eiusque hortum perambularunt et, sine vera spe sanationis, per unum alterumve mensem melius habuerunt. Magis dubius haesit de muliere quadam quae, postquam inuncta fuerat, per duos annos, testimonio medici, in iugi mortis periculo versata erat, nunc autem certius morte corripienda videbatur.

SOLUTIO. — 1° Quando tam exigua est infirmi mutatio ut merito in dies eiusdem periculi reditus timeri queat, prout fere contingit iis qui phtisi aliove morbo iam prorsus viribus extenuati sunt, nulla datur obligatio iterum inungendi aegrotos qui in novum mortis periculum inciderint : non enim satis certum est idem, quamquam minus apparebat, non mansisse iugiter. Neque practice tales infirmi totiens quotiens haec adiuncta verificantur inungi solent: secus plurimi ex iis quinquies vel sexies extrema unctione roborandi essent. Attamen si commode fieri potest, et praesertim si infirmi ipsi id petunt, laudabiliter eos iterum inunget Bernardinus (n. 423, III).

2° Mulier illa iterum extrema unctione donanda videtur. Etenim illud duorum annorum intervallum tantum est ut moraliter ad praesens periculum extendi nequeat efficacia sacramenti olim recepti. Et quamvis medicus testetur eam iugiter toto illo tempore in periculo mortis versatam esse, moraliter aliud censebitur illud in quo nunc versatur : cui vulgari existimationi inhaerendum est potius quam scientificae medicorum existimationi, in regula vulgo applicanda.

CASUS VII

Machutus parochus ad Caesarium, virum in praxi religiosa tepidissimum, quem graviter aegrotare audiverat, perrexit. Industrio pastori, haud sine multo conatu, contigit longaevum illum sacramentorum desertorem ad confitendum et S. Viaticum recipiendum adducere. Verum, expressam condicionem adiecit moribundus : ne ipsi daretur extrema unctio, quam velut certum mortis nuntium timebat. Cum universa familia vehementer quamlibet aegroti maestitiam timeret et idem prorsus sentiret, Machutus non

est ausus urgere Caesarium ut statim se inungi sineret. Verum post paucos dies parochus, vocatus cum iam animam efflabat Caesarius, frustra accurrit quam citissime : mortuum repperit.

SOLUTIO. — Censemus Machutum non esse vituperandum quia, Caesarii eiusque consanguineorum praeiudiciis parcens, non institit ut aegrotus quam primum sacramentum extremae unctionis acciperet. Etenim haec patiens dissimulatio spirituali saluti aegrotantis profutura videbatur : periculum enim erat ne vir, qui vix multis conatibus adductus fuerat ut confessionem institueret et Viaticum reciperet, hoc iam recipere detrectaret, si parochus urgeret ut sacramentum quod immerito timebat statim reciperet. Iam vero si ad vitanda peccata formalia saepe reticendae sunt obligationes graves (n. 359), multo magis, ob idem periculum, licebat dissimulare obligationem per se levem (n. 424). Neque dicas cum Gury (Cas. II. n. 810) : moribundum graviter peccasse, quia falso credit per hoc sacramentum mortem accelerari. Qui enim his tam communibus praeiudiciis abripiuntur, non praecise existimant mortem accelerari per sacramentum, sed potius eius receptionem cum morte propinqua necessario coniunctam putant : cui errori bona fide admittendo manifestum fundamentum praebet lugenda consuetudo, inter tepidos christianos longe lateque sparsa, differendae extremae unctionis usque ad ultimum vitae spiritum. Si tamen familia ferventior fuisset quam moribundus in colenda religione, sacerdos absque magno incommodo urgere potuisset ut statim S. Oleum afferre liceret : sperare enim potuisset fore ut moribundi praeiudicia ipsius vel consanguineorum iteratae preces vincerent. Sed, in casu, familia ex iis erat quae facile aegrotos suos gravissimo detrimento spirituali exponunt, ut eos a mimina tristitia immunes servent. Iam vero multis in locis contingere potest quod de suis civibus testatur Berardi (Prax. Conf. II. n. 5010) : " Curandum erit quoque ut non solum infirmus sit contentus, sed etiam illius familia ; secus enim ordinarie turbationes suscitarentur et nihil boni obtineretur ; immo (apud nos) contingere posset quod, propter extremam unctionem invita familia administratam, ulterior sacerdotis accessus penitus impediretur. „ In his tamen adiunctis, Machutus tenebatur quam saepissime poterat adire ad Caesarium, allato etiam clam S. Oleo, eumque paulatim disponere ut se inungi sineret.

CASUS VIII

Liborius parochus, periculose decumbens, saepe communicabat, extremam vero unctionem nescio quo inani mortis timore deterritus procrastinabat. Terentius vero eius confessarius iam pluries frustra eum ad hoc bonum exemplum paroecianis suis praebendum hortatus erat : contendebat se, experientia edoctum, ceteris omnibus melius nosse quando necessitas urgeret. Diebus sibi inter has cunctationes succedentibus, dubitare coepit Terentius num ipse stricte teneretur aegrotum iugiter debiliorem admonere de gravi obligatione suscipiendae extremae unctionis.

SOLUTIO. — Terentius stricte tenetur ad eam monitionem faciendam. Etenim Liborius iam non versatur tantum in mere probabili mortis periculo, sed, cum iam a pluribus diebus morti propinquus sit et iugiter eius vires decrescant, in periculo moraliter certo ; si diutius differt, iam valde timendum est ne subita morte abripiatur antequam sacramentum morientium acceperit. Talis autem cunctatio in parocho grave scandalum praebebit, cum fideles eius exemplo efficaciter impellendi sint ad hoc sacramentum usque in extremis detrectandum, ac proinde saepe omittendum (n. 424). Gravis ergo obligatio incumbit Liborio accipiendi sacramenti. Terentius vero tenetur eum, in ignorantia, ut videtur, invincibili positum, monere : fructus enim e monitione certo sperari potest, dum e silentio grave scandalum paroeciae timendum est (n. 359).

TRACTATUS XVII

DE ORDINE

CAPUT I

DE MATERIA ET FORMA ORDINIS

CASUS I

Gennadius episcopus bis, ob distractionem magistri caerimoniarum, in errorem inductus est dum ordines conferebat. Stanislao enim, cui subdiaconatum conferebat, tradidit calicem cui infusum erat vinum ; Didaco vero, quem presbyterum facere volebat, tradidit calicem vacuum, cui tamen superposita erat patena cum hostia.

SOLUTIO. — 1° Stanislaus valide ordinatus est subdiaconus : appositum enim, contra Pontificalis praescriptiones, vinum minime abstulit vel obscuravit symbolicam expressionem potestatis tradendae ei qui tamquam minister Missae adstare debebat. Hinc locus est Reg. Iuris 37ae in 6° : " Utile non debet per inutile vitiari. „

2° Dubium probabile est de ordinatione Didaci (n. 429, VIII, 4). Nam, deficiente vino, minus distincte expressa est potestas consecrandi sanguinis Christi : quippe cuius materia tacta non fuerat. Didaco igitur iterum secreto conferenda erat tota presbyteralis ordinatio.

CASUS II

Theodosius, sacerdotium suscepturus, advertit episcopum iam absolvisse formam : Accipe potestatem etc. quando ipse instrumenta tetigit. Caerimonia absoluta, enixe postulavit ut iterum sub condicione ordinaretur ; episcopus vero respondit dubium eius esse inane, cum certo sufficiat unio moralis inter materiam et formam : quae profecto non defuerat. Hinc gravi anxietate premi non destitit Theodosius, quotiens presbyterales functiones obibat.

SOLUTIO. — Theoretice omnino sentimus Theodosium valide fuisse ordinatum : tum quia traditionem instrumentorum non reputamus essentialem (n. 427, IV), tum quia, etiamsi essentialis foret, in casu valide peracta fuerit : si quidem nullatenus ad valorem sacramentorum requiritur physica materiae et formae unio (n. 109). Nulla etiam erat obligatio iterandae sub condicione ordinationis : si quidem solida probabilitate destituitur sententia quae physicam illam simultaneitatem requirit. Quare minime vituperandus est episcopus quod petitam iterationem denegaverit. Attamen cum Lugo (Resp. Mor. l. 1. dub. 33. n. 3) opinamur iterationem illam concedi potuisse, propter probabilitatem saltem extrinsecam quam obligationi iterandi in his adiunctis sacramenti tribuunt plures AA. antiqui (n. 118), et auctoritatem Card. de Lugo, qui eam licitam reputat. Contradicit inter recentiores Bucceroni (Cas. Consc. II. n. 131), quia " si ordinatio in casu habeatur ut certo valida, adeoque tuto non reiteranda, non intellegitur quomodo quis possit simul sententiam aliquam habere tamquam destitutam omni intrinseca probabilitate, eamque vero habere ut probabilem extrinseca probabilitate, ita ut possit tamen, in casu, licite ordinatio iterari. „ Sed minime contradictorium videtur denegare veram probabilitatem illorum DD. sententiae, eo quod quis perspectam habeat inanitatem motivi cui innitantur, et tamen simul permittere ut alius, eorum auctoritatem veritus, securitatem sibi aliisque ab ingentibus malis quaerat ope iteratae ordinationis. Id profecto concedendum non esset si ratio ob quam de valore ordinationis suae dubitaret Theodosius foret quaedam ex illis manifeste otiosis et pene ridiculis scrupulosorum apprehensionibus. Sed cum hic plures non ita

parvi nominis AA. valori ordinationis adversentur et ex irrita ordinatione sequerentur damna maxima, non erat manifeste imprudentis quaerere plenam securitatem post factum : sicut etiam ante factum, ubi conferendus est presbyteratus vel episcopatus, sequenda est via certior et securior, relicta opinione probabilissime valida (n. 116, IV).

CASUS III

Didymus, inter schismaticos Graecos natus et sacerdotio initiatus, ad unitatem catholicam redierat. Gregorius vero loci episcopus dubitavit utrum eum tamquam rite ordinatum ad functiones presbyterales admittere an iterum sub condicione ordinare deberet. Potissima ratio dubitandi erat : in ritu illorum schismaticorum nullam fieri traditionem instrumentorum.

SOLUTIO. — Modo constet episcopum valide consecratum Didymo imposuisse manus sub forma apta ad collationem presbyteratus significandam, non est cur de valore huius ordinationis dubitetur. Traditionem enim instrumentorum non servant variae Ecclesiae Orientales : et nihilo minus earum ordinationes tamquam validas habet S. Sedes. Ita de presbyteris ordinatis a Patriarcha schismatico Aethiopiae per manuum impositionem cum formula qua declarabatur eos presbyteros ordinari, censuerunt consultores S. Off. 10 apr. 1704 ordinationem esse validam, ac proinde non repetendam nisi saltem dubium esset seu de facta manuum impositione, seu de prolata forma (1). Attamen, antequam Didymus ad sacerdotales functiones exercendas admitteretur, dispensandus erat ab irregularitate (n. 638, I) et absolvendus ab excommunicatione (n. 586) : utramque enim poenam ob haeresim schismati coniunctam, saltem in foro externo, incurrisse censendus est.

(1) Ut notat Gasparri (de S. Ordin. II. n. 1058), perperam in Coll. P. F. hoc documentum refertur quasi esset ipsius S. Officii responsum datum 9 aprilis 1704, dum reapse emanat a solis consultoribus S. Officii 10 aprilis eiusdem anni.

CASUS IV

Ubaldus episcopus ambas manus singulis ordinandis imposuit : quid autem postea egerit, neque e propria memoria, neque e testimonio astantium certo rescire potest. Recordatur quidem se mox iam non extendisse dexteram super omnes ordinandos, sed, involuntarie distractum, eadem manu usum esse ad vertenda folia Pontificalis et, dum exhortationem *Oremus fratres* etc. recitabat, eundem librum ambabus manibus tenuisse, ita ut, quamvis brachia et manus haberet materialiter extensa, minime haberet speciem viri super illos dexteram extendentis. Testatur tamen unus ex astantibus eum dexteram super ordinandos per momentum aliquatenus extendisse.

SOLUTIO. — Tota ordinatio sub condicione repetenda est : quia manet dubium num male administratus sit ritus probabiliter essentialis (n. 428, VI). Id quam primum faciendum erit, ne ordinati sacerdotes invalide celebrare vel sacramenta conficere pergant, et privatim, ne scandalum fidelibus praebeatur. Quod si dubie ordinati iam Missas pro stipendio applicarunt, nisi velint applicationem iterare, recurrendum erit ad S. Sedem ut ex Ecclesiae thesauro suppleat (n. 229). Haec doctrina confirmatur resp. S. Off. 19 iul. 1899 de eiusmodi casu : " Cum non constet de extensione manuum saltem per momentum, sacram ordinationem privatim repetendam esse sub condicione, etiam extra tempora ; et consulendum SS^mo ut actus forsan invalide positos, et praesertim Missarum defectum, ex Ecclesiae thesauro sanare et supplere dignetur, contrariis non obstantibus quibuscumque. „

CASUS V

Acacius episcopus, dum ordinabat quendam presbyterum, inadvertenter omisit utramque manum capiti ordinandi imponere dextramque extensam tenere dum legebat exhortationem *Oremus fratres* etc. De errore certior factus,

manuum impositionem et extensionem una cum exhortatione peregit statim postquam instrumenta ordinandis tradidit.

SOLUTIO. — Ordinatio tota sub condicione repetenda est, prout in casu praecedente. Etenim probabile est traditionem instrumentorum, tamquam ritum secundarium, faciendam esse necessario post impositionem manuum, tamquam ritum primarium : quare si ordo inversus servaretur, ordinatio maneret probabiliter invalida. Si vero ante instrumentorum traditionem manus sub repetitione formae impositae fuissent, ordinatio certe valuisset. Confirmatur responso S. Off. 3 maii 1899 de huius modi casu : " Dummodo in casu proposito repetitio formae et manuum duplex impositio facta fuerit ante instrumentorum traditionem, acquiescat „ (Monit. eccles. Vol. XL, p. 148).

CASUS VI

Bonaventura episcopus dubium fovet de ordinatione quorundam presbyterorum quorum caput non tetigerat immediate, sed quosdam mediantibus propriis chirothecis, quosdam mediante ficto ordinandorum capillamento. Pariter anxius fuit de ordinatione cuiusdam presbyteri in capella palatii sui ordinati : quia, tardantibus presbyteris qui ad manus imponendas accedere debuissent, episcopus solus processerat.

SOLUTIO. — Nullum dubium de utraque ordinatione concipere debet Bonaventura. Etenim :

1° Iuxta communem aestimationem vere tangit qui admovet manum chirotheca indutam vel qui tangit immediatum capitis operculum, seu fictum capillamentum, seu pileolum, seu linteum (n. 429, VII). Cfr. S. Alph. l. 6. n. 743, idem sentientem de tactu instrumentorum.

2° Impositio manuum a presbyteris non videtur omitti posse sine peccato gravi, ubi nulla causa gravis excusat : est enim ritus notabilis. Attamen certe non est supplenda, ubi voluntarie aut inadvertenter omissa fuit (n. 428, VI, 3°).

CASUS VII

Berthinus episcopus invaletudine correptus est ea die qua multis clericts, e dissitis etiam dioecesis locis coadunatis, sacros ordines conferre debebat. Sensit se omnino imparem Missae ordinationis cum omnibus caerimoniis annexis celebrandae. Sed, cum plurima incommoda e dilata ordinatione oritura praevideret, Missam quidem celebrandam Vicario suo Generali commisit, ipse vero quaecumque ad ritum ordinationis proprie dictum spectant, peregit.

SOLUTIO. — Per se nulla datur ratio dubitandi de valore talis ordinationis : a sola enim Ecclesiae lege venit obligatio identitatis personae conferentis ordines et celebrantis Missam. Sed graviter illicita fuit disiunctio a Berthino excogitata. Etenim dubium non est quin sub gravi obliget praescriptio Pontificalis, in quo nullus alius apparet ritus ordines conferendi quam in Missa conferentis. Hanc coniunctionem postulat longaeva utriusque Ecclesiae Occidentalis et Orientalis consuetudo, et mystica significatio intimae unionis inter Pontificem et clericos, quae praesertim in communione a celebrante ordinatis data vel, si de neo-presbyteris agitur, concelebratione cum episcopo exhibetur, prout exponit Bened. XIV, de Syn. l. 8. c. II. n 5. Idem elucet e severitate qua S. Sedes constanter renuit facultatem separandi ordinationem a Missae celebratione, etiam ubi causae gravissimae id postulare videbantur. Sic S. C. R. eam facultatem denegavit (8 iun. 1658 et 24 ian. 1660) episcopo Nicopolitano septuagenario et podagra laboranti, quamquam neque in dioecesi, neque extra illam, nisi ultra trecenta milliaria, alius inveniretur episcopus, et tanti itineris incommodo nemo vellet sese exponere ; pariter, 23 sept. 1837, episcopo Nemansensi, ultra octoginta annos nato, qui idem petierat ne clerici cum gravi incommodo cogerentur adire conterminos antistites pro ordinatione (Gasp. de S. Ordin. I. n. 61). Neque dicas cum Gury (Cas. II. n. 816) Berthinum in casu posse uti epikeia et existimare legem ecclesiasticam cessare ob magna incommoda quae evenirent si ordinandi dimitterentur. Non enim apparet quo iure ad epikeiam recurramus quae nititur praesumpta mente legislatoris, cum noverimus S. Sedem constanter hanc facultatem denegasse, etiam ubi occurrebant graviora incommoda quam quae in casu timebantur.

CAPUT II

DE MINISTRO ORDINIS

CASUS I

Abundius in dioecesi Mechliniensi natus est, matre apud parentes suos diversante, dum eius pater, exercitus officialis, Leodii degebat. Postea studiis Leodii peractis, ordinari cupiit ab episcopo Leodiensi.

SOLUTIO. — Abundius ad Archiepiscopum Mechliniensem non pertinet, cum mere per accidens in eius dioecesi natus sit. Neque episcopum Leodiensem tamquam episcopum originis spectare potest, si pater eius in ea civitate non nisi quasi-domicilium contraxit, ut contingere solet iis officialibus qui non habent animum permanendi in civitate in qua a Statu collocantur, nisi quam diu ibi officio suo retinentur. Igitur si Abundii pater, ut fere contingit huius modi viris, nullum verum domicilium ecclesiasticum habet, eius filius ratione originis pertinebit ad dioecesim in qua pater natus est. Igitur ab episcopo huius dioecesis petendae erunt dimissoriae, nisi forte pater in dioecesi Leodiensi natus sit vel filius postea domicilium acquisiverit in eadem dioecesi. Attamen ad illud habendum, prout oportet ad effectum ordinationum, non sufficiunt condiciones generatim requisitae (Vol. I. n. 99), sed necessariae sunt eae quas Innoc. XII explicat in Const. *Speculatores* (Vol. II, n. 431).

CASUS II

Mathurinus natus est in dioecesi Mechliniensi dum pater eius domicilium duplex habebat, unum in dioecesi Gandavensi et alterum in Brugensi. Postea vero, studiis peractis, ab Archiepiscopo Mechliniensi ordinarii cupiit, sed dubius haesit num id posset absque alius Ordinarii dimissoriis.

SOLUTIO. — Ut Mathurinus ab Ordinario Mechliniensi absque ullius dimissoriis ordinari queat, alterutrum necessarium est : ut vel ipse in ea dioecesi domicilium acquisiverit cum iis omnibus condicionibus quas Innoc. XII in Const. *Speculatores* requirit, vel ut eius pater, seu statim, seu etiam diu post filii nativitatem, domicilium in eadem dioecesi obtinuerit, sive in eadem paroecia in qua Mathurinus natus est, sive in alia. Constat ex eadem Innoc. XII. Constitutione (Gasp. de S. Ordin. n. 821). Quod si neutrum obtinet, dimissoriae petendae erunt ab alterutro episcoporum in quorum dioecesi pater domicilium habebat ubi filius natus est. Sed a quonam ? Iuxta plures (Bus. ap. S. Alph. l. 6. n. 773) ab alterutro, ad libitum : quia non est potior ratio pro uno quam pro altero ; neque haec sententia ullo certo documento falsitatis convincitur, ideoque in praxi adhiberi posse videtur. Iuxta alios (Gasp. n. 809), unus tantum esse potest episcopus originis, sicut origo cuiusque nequit esse nisi una. Is autem erit proprius in cuius dioecesi pater morabatur tempore nativitatis filii : quia uxor, fictione iuris, censetur esse cum marito. Vel si pater in neutra dioecesi eo momento degebat, Gasp. (n. 819) existimat, salvo meliore iudicio, proprium esse episcopum e cuius dioecesi uxor, Mechliniensem dioecesim aditura, ultimo discessit : analogia ducta e Iure Romano (l. Huiusmodi, ff. de legatis), in quo mulier fugiens censetur esse in loco a quo discessit.

CASUS III

Theobaldus in dioecesi Mechliniensi natus est et cum parentibus suis permansit donec 18^{um} aetatis suae annum complevit. Eo tempore parentes eius domicilium suum transtulere in dioecesim Namurcensem ; Theobaldus tamen studia peregit Lovanii, in dioecesi Mechliniensi. At annos natus viginti duos, seminarium Namurcense ingressus est et post aliquot menses ordines minores ab episcopo Namurcensi recipere voluit.

SOLUTIO. — Episcopus Namurcensis Theobaldum sine dimissoriis Archiepiscopi Mechliniensis ordinare potest, modo verificentur sequentes condiciones ; 1° Ut parentes Theobaldi in aliqua Namurcensis dioecesis paroecia aedes seu proprias seu locatas, cum

omnibus rebus ad habitationem necessariis, acquisiverint. — 2° Ut illuc transtulerint bona sua : quae condicio tamen facile verificatur, si impleta est prima. Non est enim necessarium ad eam implendam nisi ut reditus bonorum suorum, etiamsi proveniant e bonis immobilibus alibi sitis, expendant in dioecesi Namurcensi (Honorante, Praxis Secret. c. IX, not. II). — 3° Ut tum parentes tum iuvenis semel i. e. ante primae tonsurae collationem, iuramentum praestent de animo iugiter manendi in eadem paroecia, vid. nisi aliqua ratio a libera iurantis voluntate distincta, mutationem suadeat (Gasp. n. 833). His condicionibus positis, habentur ea omnia quae in Bulla *Speculatores* requiruntur ut quis ordinari possit titulo domicilii (n. 431). Neque dicas deesse illud *considerabile tempus* quod iam in illa dioecesi transegisse debet : praesertim cum Lovanii, studiis addictus, manserit. Sufficit enim certe trium annorum commoratio. Iam vero Theobaldus, etiamsi rarissime ad parentes tenderet, domicilium suum legale habet ubi iidem habitant (Vol. I. n. 99), ac proinde iam a tribus saltem annis domicilium ecclesiasticum in eadem Namurcensis dioecesis paroecia habet (Gasp. n. 831).

CASUS IV

Pontianus, iam ordinibus minoribus et subdiaconatu initiatus ab episcopo originis, tamquam scribam se addixit Marino, eiusdem episcopi vicario generali. Cum iam per triennium huic servitio addictus mansisset, scrupulis vero a superioribus ordinibus recipiendis deterritus fuisset, Marinus creatus est episcopus. Hic brevi postea eum, scrupulis liberatum, familiaritatis titulo ad diaconatum et presbyteratum promovit.

SOLUTIO. — Per se recte titulo familiaritatis Pontianus a Marino ordinatus est. Nam per triennium in eius actuali servitio fuit eiusque sumptibus alitus est. Neque refert tempus illud magnam partem elapsum esse antequam Marinus crearetur episcopus, cum post eius consecrationem perduraverit atque ita plene obtineatur finis ob quem Trid. (Sess. 23. de ref. c. 9) illud triennium requirit, scil. ut episcopus intime perspectos habeat ordinandi familiaris mores (Gasp. n. 849). Attamen ut licite procedat Marinus, necesse

est ut ei praesto sit vacans beneficium, seu simplex, seu curatum, quod infra mensem possit velitque Pontiano conferre et quod per se solum, absque supplemento patrimonii vel pensionis, sufficiat ad honestam iuvenis clerici sustentationem.

CASUS V

Leontius, Superior Regularis, quosdam subditos suos cum litteris dimissoriis misit ad episcopum vicinae dioecesis, quia episcopus loci in quo monasterium situm erat aegrotabat atque alii episcopo curam conferendi ordines commiserat. Neque aliter egit, cum idem episcopus, ob morbum ingravescentem, coadiutorem episcopum obtinuerat qui sacras functiones habitualiter eius loco exsequeretur.

SOLUTIO. — 1° Recte egit Leontius si episcopus loci extra propriam dioecesim versabatur : perperam, si intra dioecesim aegrotabat. Etenim in priore hypothesi vere abest, quod sufficit, iuxta decretum Clementis VIII (n. 432, V), ut liber maneat Superior Regularis ; in posteriore, perinde est ac si ordines per se ipsum conferret (Gasp. l. c. n. 922 ; Piat. Iur. Regul. II. p. 289). Necesse etiam est, sub poena nullitatis dimissoriarum, ut " illis iuncta fuerit authentica attestatio Vicarii Generalis, vel Cancellarii, aut Secretarii eiusdem episcopi dioecesani, ex qua constet vel ipsum a dioecesi abesse, vel clericorum ordinationem habiturum non esse proximo legitimo tempore per ecclesiasticas leges ad hunc effectum statuto „ (Bened. XIV. Const. *Impositi Nobis*).

2° Erravit Leontius ubi subditos suos misit ad alium episcopum quam ad coadiutorem, de mandato coadiuti ordines conferentem. (Piat, l, c.). Coadiutor enim vices agit Ordinarii, qui censendus est per eum ordinare.

CASUS IV

Bonaventura Regularis, cum litteris dimissoriis Provincialis sui ad Simonem episcopum missus est ut minores ordines susciperet. Verum episcopus eum monuit se ei Dominica sequenti collaturum esse tantum duos primos

ordines minores, exspectandam fore aliam ordinationem ut duos ultimos reciperet. Verum, susceptis ostiariatu et lectoratu, Bonaventura nescio qua alucinatione deceptus putavit se vocari ut cum ceteris accederet : quod reapse fecit, atque ab episcopo distracto ordinatus est sicut reliqui.

SOLUTIO. — Probabilius Bonaventurae ordinatio valida est. Episcopus enim censendus est habuisse absolutam intentionem eum ordinandi, cum ei instrumenta porrexerit sicut ceteris (n. 434, VIII). Atque haec intentio praevalebit ei quam antea habuerat non admittendi hac die Bonaventuram nisi ad duos primos ordines. Nihilo minus, cum e tali conflictu intentionum facile nascantur dubia, ordinatio sub condicione reiteranda foret, ut constat e responso S. C. C. 3 aug. 1794 de huius modi casu : " Praevia paenitentia salutari imponenda per Superiores Ordinis, (exorcistatum et acolythatum) reiterandos esse sub condicione „.

CAPUT III

DE SUBIECTO ORDINIS

CASUS I

Caietanus, scrupulorum procella vehementer agitatus, plurimum dubitat num valide ordinatus sit presbyter. Toto enim ordinationis tempore timuit ne presbyteratum in statu peccati mortalis susciperet vel, nimio suscepto onere, se ipsum damnationi aeternae exponeret. Quare videtur sibi retractasse intentionem suam et mere externam participationem sacris ritibus dedisse : ubi enim aliqua essentialia occurrebant, ad se ipsum dicebat : « Nolo ordinari, nolo me damnare. »

SOLUTIO. -- Ordinationem Caietani moraliter certo validam censemus ita ut nulla sit illius sub condicione repetendae obligatio.

Hanc practicam solutionem fulcire nolumus paucorum DD. sententia qui, ut Gasparri (de S. Ord. I. n. 643 seq.), ordinationem validam reputant quando aliquis ficte accedit, nempe voluntarie suscipit debitam materiam et formam, sed non vult sacramentum eiusque effectum. Debiles enim sunt rationes quibus innituntur. Prior est doctrina ab Innoc. IV proposita (Decr. l. 3. t. 42. c. 3) : quae tamen satis probabiliter videtur intellegi posse de iis qui sacramenta accipiunt cum voluntario secundum quid, puta consentientes in baptismum ob metum incussum, neque ab eodem Pontifice suo nomine, sed potius tamquam probabilis Doctorum doctrina proponitur. Posteriorem rationem afferunt : praevalere intentionem suscipiendi sacramenti, quia secundum illam agitur. Sed nihil inde concludi potest nisi consensus in externum sacramenti ritum, voluntate repugnante susceptioni gratiae sacramentalis : est autem contra naturam sacramentorum, adultum gratia augeri quin id velit (n. 125, I). Quare multo probabilior videtur sententia communis (quamquam plane certa ratione eam non demonstrari libenter damus) : si defuisset intentio habitualis, invalidam fuisse Caietani ordinationem (n. 435, I).

Sed eam intentionem reapse defuisse, in casu, negamus. Etenim, ut merito de casu simili scribunt Elbel (Theol. Mor. Sacr. Pars. l. conf. 21.n.24) et Gury (Cas. II. n. 826), quem ad modum scrupulosi saepissime putant se consensisse in peccatum, quando tamen nullum consensum praebuerunt, ita Caietanus videbitur quidem sibi revocasse intentionem suam, reapse tamen vero voluntatis actu eam minime revocavit. Signum optimum eius perseverantiae in voluntate, quam certe antea habuerat, suscipiendi presbyteratum reperitur in actibus profecto liberis quibus se variis ordinationis caerimoniis subiecit. Atque ut ex ipsis verbis ab eo prolatis : " Nolo ordinari, nolo me damnare „ erui potest, non reiecit ipsum sacramentum, sed potius periculum damnationis quod in eo suscipiendo sibi fingebat. Forsan etiam, ut saepe fit in scrupulosis, actum nolendi vel volendi phantasia propositum cum vero voluntatis actu confudit, et prae mentis perturbatione, nullam conscientiam habuit perseverantis voluntatis suscipiendi ordines, sicut saepe scrupulosi, dum solitis terriculamentis suis agitantur, nullam conscientiam habent perseverantis suae voluntatis non offendendi Deum.

Nullatenus igitur obligatur Caietanus ut petat ab episcopo novam ordinationem sub condicione. Attamen si eam petierit, episcopum annuere posse opinamur (n. 118). Sed melius hanc reiterationem plerumque denegabit episcopus, tamquam inutilem ad obtinendum praecipuum finem ad quem fieret, scil. neo-sacerdotis pacem. Sapienter enim scribit Elbel (l. c. n. 25) de Titio quodam scrupuloso, cui concessa fuerat, ob tale motivum, iterata ordinatio : " Tametsi pariter haud ignorem hanc repetitionem S. Ordinationis Titio in hunc finem minime profuisse, quippe ex qua mox incidit in alios scrupulos sine fine : id quod eidem ante praedixeram, probe gnarus scrupulosos nequaquam corrigi ex eo quod dictamina sua sequantur et expleant, sed ex eo potius quod iisdem directe sese opponant et contraveniant. „

CASUS II

Theophilus Regularis a Palemone Superiore suo iussus est se accingere ad subdiaconatum suscipiendum in proximo Pentecostes festo. Obiecit sibi defuturum esse unum diem ut viginti et unum annos compleret, iuxta canonicas dispositiones. Respondit Palemon in rebus moralibus moraliter procedendum esse ; tranquillo igitur animo se ad ordinationem accingeret. Paruit Theophilus, sed postea a docto quodam confratre suo increpatus est quod graviter legem Ecclesiae violasset.

SOLUTIO. — Quamquam probabiliter bona fide excusatus est Theophilus, per se graviter peccavit, dum Superiori suo oboedivit contra legem Ecclesiae praecipientem ut subdiaconatum susciperet quando integra dies ei deficeret ad canonicam aetatem complendam. Haec enim physice, non tantum moraliter completa esse debet, ne desit quilibet certus limes in re tanti momenti (Gury, Cas. II. n. 829 seq.). Etiam opinio quorundam veterum DD., qui putabant posse aliquem ordinari mane diei in cuius vespera complet aetatem requisitam, a S. Alph. (l. 6. n. 800) et communiter a recentioribus (Gasp. n. 490) reicitur, quia reapse ordinaretur ante aetatem a Tridentino praescriptam. Neque licuisset Theophilo parere Superiori suo : quippe cuius mandatum esset manifeste iniustum (n. 102, III). Nullam tamen specialem ecclesiasticam poenam

incurrit ordinatus cum hac aetatis irregularitate quae post unum diem evanescet : suspensio enim, quam olim contra ordinatos ante canonicam aetatem tulerat Pius II, abolita est, utpote quam non renovavit Const. Apostolicae Sedis (n. 579).

CASUS III

Silvester iam minoribus ordinibus initiatus saepe dubitat utrum subdiaconatum recepturus an ad laicalem libertatem regressurus sit. Instante iam ordinationis die, semper haesitabundus manet. Tandem statuit subdiaconatum suscipere, ea potissimum ratione ductus quod, si postea ad saeculum redire et matrimonium inire cupiat, plane via dispensationis patebit.

SOLUTIO. — Prava est Silvestri dispositio si caret firmo animo faciendi quicquid, cum divina gratia, moraliter potest ut iugiter servet votum castitatis in ordinatione emittendum : qui enim perpetuam castitatem Deo vovet et se ipsum sollemniter mancipat Ecclesiae servitio, se ipsum implicite obligat ut nullam necessitatem inducat ob quam Deus et Ecclesia iuri sibi quaesito per dispensationem renuntiare moraliter cogantur. Atque haec animi remissio, si magna foret, etiam gravem culpam constitueret. Nullam vero culpam admitteret Silvester si hac possibilis dispensationis praevisione animum suum liberaret tantum a nimia anxietate qua timor non perseverandi eum vexaret, praesertim si eius confessarius iudicaret eum tranquilla mente, utpote ferendis tam sancti status officiis parem, ad altare accedere posse.

CASUS IV

Pomponius adulescens, tonsura clericali tantum insignitus, post paucos dies subdiaconus esse debebat ni vellet impiis legibus militiae saeculari addici. Quare Urbanus episcopus ei eadem die quattuor minores ordines et subdiaconatum contulit.

SOLUTIO. — Ubi viget consuetudo conferendi eodem die quattuor minores ordines, vel etiam insuper subdiaconatum, nihil est quod in Urbano reprehendamus (n. 436, V). Neque aliter dicendum videtur ubi talis consuetudo non vigeat, modo aliqua necessitas coegerit, ut facile fieri potuit in casu, seu quia opus erat ut quam primum subdiaconus foret Pomponius, seu quia molestum fuisset episcopo remittere ad aliam diem collationem ordinis sacri. Non enim tam gravis causa requiritur ut licitum censeatur quod passim sola locorum consuetudine licitum evadit.

CASUS V

Valerianus Superior Regularis Tiburtium episcopum rogavit ut ordines quibusdam subditis suis in festo Purificationis B. M. V. conferre et simul cum uno ex iis super anni integri defectum ad suscipiendum sacerdotium dispensare vellet. Petiit Tiburtius num eius Ordo privilegium haberet ordines extra tempora recipiendi. Respondit Valerianus hoc esse commune omnibus Regularibus, suum tamen Ordinem nullo directe concesso privilegio huius modi gaudere. His auditis, utramque gratiam concessit Tiburtius.

SOLUTIO. — 1° Merito respondit Valerianus posse omnes Regulares extra tempora ordinari, etiamsi eorum Ordini nulla directa huius modi concessio post Tridentinum facta sit. Ipse enim S. Alph. (de Privil. n. 115) hanc facultatem iis agnoscit, immo rem extra omne dubium esse scribit, quia Bened. XIII in Conc. Rom. facultatem expresse agnovit. Contradicunt tamen alii, praesertim Bened. XIV. (Notif, 23. n. 3 seq.) qui declarationem praedecessoris sui restringere conatur ad eos Regulares qui post Tridentinum illud privilegium receperint, quod reapse cum clausula incommunicabilitatis a Gregorio XIII Societati Iesu concessum fuerit. Practice igitur episcopo licet cui voluerit sententiae adhaerere, concessa vel negata ordinatione extra tempora petita. Cfr. Bucceroni, Cas. II. n. 134; Piat, Prael. I. Reg. II. pp. 142 et 300.

2° Si Regulares non exprimuntur in formula facultatum quas Tiburtius a S. Sede accepit dispensandi in aetate cum ordinandis,

non potest cum iis dispensare, ut respondit S. Off. 9 apr. 1727 (Coll. P. F. n. 1172). Contrarium evidenter dicendum foret si in formula expressi essent Regulares.

CASUS VI

Chrysogonus, e familia optime de religione merita natus et valde pius, plurimum cupiebat sacerdotio initiari. Verum obstabat ingenii exiguitas ob quam penitus ineptus erat solitis studiis clericalibus cum aliquo fructu obeundis. Post ingentes conatus id tantum assecutus est ut Missam decenter legere et saltem imperfecta ratione intellegere posset; confessionibus vero audiendis semper impar futurus videbatur. Quare Meletius episcopus diu dubitavit num eum sacerdotem ordinare posset.

SOLUTIO. — Certe licet Meletio presbyteratum conferre Chrysogono si is satis novit quae cognoscenda sunt ut saltem valide et sine nimis magnis erroribus conferat sacramenta quae forsan ob necessitatem occurrentem ab eo ministranda forent, quamquam nulla spes est fore ut habitualiter confessiones excipere possit (n. 437, 4°). Sed etiamsi ad hanc satis exiguam scientiam ascendere non potuerit pius adulescens, non videtur episcopus prohibendus quominus eum ob specialia familiae vel personae merita aliamve iustam causam ordinet, modo nihil aliud obstet. Quamquam enim, e Trid. Sess. 23. de ref. c. 14, saltem exigua scientia supra dicta requiritur, non censemus eam regulam adeo stricte applicandam esse ut, ubi propter specialia adiuncta nullum incommodum timetur, non ordinetur presbyter qui etiam infra illam scientiam haereat. Atque haec videtur fuisse mens S. Alphonsi, opinantis (n. 791) Regulares qui vitam mere contemplativam ducunt cum illa inferiore scientia ordinari posse. Iam vero fieri potest ut etiam saecularis presbyter absque probabili incommodo careat scientia quam Trident. requirit, puta si et ipse vitam paene solitariam atque a pastoralibus ministeriis remotam degere velit atque, copiosis fortunae bonis auctus, secure possit : qui probabiliter est Chrysogoni nostri casus.

CASUS VII

Alipius, ordinibus minoribus initiatus, valde exiguum beneficium acceperat e quo singulis annis tantum 84 fr. hauriebat. Simul e bonis propriis 500 fr. reditum annuum obtinebat. Qui cum subdiaconatum suscipere intenderet, Lucius episcopus dubius haesit, quia neque e beneficio, neque e patrimonio titulum sufficientem habere videbatur.

SOLUTIO. — Nihil obstat quominus Alipius sacrum ordinem recipiat, modo reditibus tum exigui beneficii, tum patrimonii, habeat unde se alere possit ; nempe necessarium est ut ex utriusque reditibus compleatur taxa synodalis, seu summa quam episcopus statuerit sufficere ut clericus vel in tota dioecesi, vel saltem in aliqua eius parte, congrue vivere queat ; quod si nihil huius modi statutum fuerit, spectanda est summa quam mores in dioecesi recepti postulant. In hunc sensum respondit S. C. C. 3 febr. 1884 episcopo Lancianensi (Coll. P. F. n. 1179). Sed oportet ut bona illa patrimonialia sint res immobiles frugiferae, vel quae ex iure immobilium instar habeantur (S. C. C. 29 nov. 1670), quales non sunt obligationes vel actiones in quibus hodie saepe magna bonorum pars constituitur. Cfr. D'Annib. III. n. 295, nota 9. Quod si summa illa 584 fr. ad taxam synodalem vel consuetudinariam non pertingeret, Lucius Alipium ordinare non posset nisi vi generalis aut particularis indulti S. Sedis (n. 438, III). Supponimus episcopum iudicare talem ordinationem esse ipsius ecclesiae necessariam vel utilem, cum aliter ordinare nequeat titulo (qui hic praecipuus est) patrimonii : quod tamen semper contingit ubi desunt, sicut fit in Gallia et Belgio, beneficia quae titulum ordinandis praebeant (Gasp. de S. Ordin. I. n. 596).

CASUS VIII

Rufus, in quodam seminario expensis cuiusdam Vicarii Apostolici educatus, titulo missionis ordinatus est. Attamen seu ignorantiae, seu incuriae causa, nullum iuramentum

inserviendi eidem Vicariatui Apostolico emisit. Igitur, cum se minus stricto vinculo cum eadem Missione ligatum existimaret, totum annum inter cognatos et amicos suavi otio tribuit. Tandem, a Vicario Apostolico cui addictus erat admonitus, lentis passibus ad Missionem suam profectus est, sed mox taedio captus ab eodem facultatem petiit impetravitque ut ad aliam mitiorem Missionem transiret.

SOLUTIO. — 1° Omnino debuisset Rufus iuramentum inserviendi Vicariatui Apostolico cui addictus erat emittere, antequam subdiaconatum susciperet, prout constat ex Instr. S. C. de P. F. 27 apr. 1871, n. 8 (Coll. P. F. n. 1179). Quod si ob invincibilem ignorantiam vel inadvertentiam a peccato excusati fuere tum iuvenis, tum eius Superiores, manet certe principalis obligatio : ac proinde quam primum post ordines susceptos idem iuramentum emittendum erit. Ceterum etiamsi iuramentum nondum emisit, ex ipso titulo missionis exsurgit obligatio se ei territorio cui aliquis addictus fuerit impendendi : haec enim condicio implicite continetur in facultate S. Sedis indulgentis ut clericus cum hoc titulo promoveatur.

2° Ut Rufus licite integrum annum suavi otio impenderet postquam titulo Missionis ordinatus erat, necessarius erat expressus vel rationabiliter praesumptus Vicarii Apostolici vel Superioris Seminarii, cui hic suas vices forsan commiserit, consensus. Quem ad modum enim e rei natura liquet et n. 9 citatae Instructionis edicitur, oportet " ut paratus sit ad missiones obeundas, quando et quomodo Superiores eum mittendum censuerint ac ire iubeant.„ Frustranea enim esset promissio cuius exsecutionem indefinite differre in arbitrio promittentis foret.

3° Rufus, ut ad aliam missionem transiret, licentiam a S. C. de P. F. obtinere debebat. Haec enim interrogata : " Estne necessaria licentia S. C. ut sacerdos, ordinatus titulo missionis quin iuramentum praestiterit, possit ab illa dioecesi pro qua ordinatus fuit ad aliam transire ? „ 4 febr. 1873 respondit : " Affirmative „ (Coll. P. F. n. 1180). Excipe si casus contingeret in Anglia vel Stat. Foed. Amer. et transiretur ad missionem quae in eadem provincia ecclesiastica sita esset.

CASUS IX

Sosthenes, qui cum patre suo, militiae officiali, in pluribus dioecesibus habitaverat, Ordinem quendam Regularem, sedecim annos natus ingressus est. Post sex annos, solis ordinibus minoribus initiatus, Ordini valedixit ut iterum inter laicos viveret. Sed post quattuor annos seminarium Gandavense ingressus est ut in illius dioecesis clero ascriberetur. Appropinquante iam die ordinationis subdiaconatus, a viro perito quaesivit quas litteras testimoniales afferre deberet.

SOLUTIO. — Sosthenes Ordinario Gandavensi exhibere debet litteras testimoniales omnium Ordinariorum in quorum dioecesi per sex menses commoratus est postquam ex Ordine egressus est (n. 439, VIII). Pariter exhibere debebit litteras testimoniales de tempore quod degit in monasterio vel in variis monasteriis Ordinis post susceptam primam tonsuram. Hae litterae obtineri poterunt ab episcopo loci in quo sita sunt eius modi monasteria, si quidem Sosthenes nunc iam iure saecularium regitur ac proinde non aliter tractandus est quam qui velut saecularis in iis dioecesibus versatus esset. Possent tamen probabiliter eaedem litterae peti a Superioribus monasteriorum in quibus per sex menses commoratus sit Sosthenes ; si quidem hi, propter exemptionem, sunt quasi Ordinarii huius loci (Gasp. op. cit. n. 711). Videntur etiam peti posse a Superiore Provinciali vel Generali qui super has varias domos suam iurisdictionem extenderet.Tandem censemus exhibendas esse a Sosthene etiam testimoniales litteras ordinariorum in quorum dioecesi per sex menses commoratus sit postquam septennium compleverit. Ab iis enim afferendis non excusatur propter susceptos minores ordines dum in Ordine Regulari degebat. Nam ante horum ordinum susceptionem nullae huius modi litterae exigendae fuerant, cum eo tempore Regularium iure regeretur Sosthenes. Sic etiam Innoc. XII Const. *Speculatores* declarat litteras testimoniales exigendas esse a clerico, qui iam a proprio episcopo ad tonsuram seu etiam ad minores ordines promotus fuerit, quando ab alio episcopo, ratione beneficii in eius dioecesi obtenti, ad altiores ordines promovendus est. Patet specialis

necessitas talium litterarum ab episcopo originis petendarum, ut episcopo Gandavensi constet Sosthenem e legitimis nuptiis natum esse. Nam cum certo in Societate Iesu et probabiliter in aliis Ordinibus vota simplicia irregularitatem e defectu natalium tollant (n. 632, V), nullatenus e collatis Sostheni, tamquam Regulari, ordinibus minoribus authentice constat eum esse legitimum. Cfr. Gasp. op. cit. n. 724. Praeterea videndum erit num etiam dimissoriis litteris indigeat Sosthenes : quae probabiliter in hoc casu petendae erunt ab Ordinario loci e quo pater ordinandi oriundus erat, cum nullum domicilium fixum haberet quando filius natus est. Cfr. supra, Cap. II. cas. I.

TRACTATUS XVIII

DE MATRIMONIO

CAPUT I

DE SPONSALIBUS

§ 1. DE SPONSALIUM NATURA

CASUS I

Maximilla suavem amicitiam cum Andrea fovebat. Nullatenus tamen de eodem iuvene in maritum assumendo cogitaverat, cum ipse, e blandis quibusdam eius verbis occasionem sumens, rogavit num vellet sibi nubere : nihil magis sibi in votis esse. Obstupefacta puella paululum turbata est ; mox tamen annuit. « Igitur, reposuit gaudio exsultans Andreas, ab hac die possum te considerare tamquam mihi obstrictam sicut tibi obstrictus sum. Sumus ligati sicut sponsus et sponsa *(fiancés) ?* » Iterum annuit Maximilla : quam tamen brevi post poenitere coepit fidei tam festinanter obstrictae.

SOLUTIO. — Si verba prolata spectamus, nihil videtur deesse quod ad contractum sponsalicium ineundum requiritur. Nam, licet priora verba Andreae et Maximillae solum propositum ineundi

matrimonii significent, posteriora clare efferunt voluntatem mutui vinculi suscipiendi, quale inter sponsum sponsamque de futuro viget. Sed merito dubitari potest num affuerit a parte puellae plena cognitio atque consensus, cum numquam antea de tali contractu ineundo cogitavisset atque inopinata iuvenis postulatione perturbata fuisset (n. 440). Igitur si constat eam, hoc ipso momento quo annuit alteri postulationi amasii sui, non nisi imperfecte sui compotem fuisse, nulla sponsalia valida ab ea contracta fuisse pronuntiandum est. Quod si (ut facile in tali facto continget) dubium manet num plene sui compos fuerit Maximilla, saltem practice non est urgenda sponsalium obligatio (n. 441, III).

CASUS II

Lubinus formosam ardebat Clorindam. Saepe, qua voce qua scriptis, ei promiserat se eam matrimonio ducturum esse nullamque aliam umquam uxorem suam fore. Has promissiones sibi gratissimas esse pluries significavit Clorinda; numquam tamen claram promissionem, quam optabat, assecutus est Lubinus. Tandem cum novis amoribus ardere coepisset, quaesivit adulescens num promissam Clorindae fidem abrumpere liceret.

SOLUTIO. — Patet in casu nulla esse inducta sponsalia, deficiente repromissione (n. 440). Sed neque videtur ligari Lubinus promissione ab eo facta atque a puella acceptata numquam ducendi aliam uxorem. Etenim, quamquam minime repugnat aliquem se ipsum devincire ad exspectandum alterius consensum, sine ulla repromissione, generatim non sunt censendi adulescentes id intendisse dum asserunt se nullam aliam umquam velle uxorem praeter praesentem amasiam. Plerumque enim non intendunt se obligare independenter a puellae repromissione. Quare, nisi *certo* constet Lubinum intendisse huius modi solitariam obligationem in se suscipere, omnino liber erit ut recentioribus amoribus obsequatur (S. Alph. n. 836; Gury. Cas. II. n. 836). Atque etiamsi hanc solitariam obligationem in se suscepit, non obligatur Lubinus nisi e mera fidelitate, ac proinde sub levi. Quare si datur causa rationabilis ob quam matrimonium ei magis profuturum videatur quam caelibatus, iam sine ulla culpa ducet quam voluerit.

CASUS III

Flavius et Lucia, coram parentibus suis, mutuam sibi dederant fidem matrimonii post proximum tempus Paschale ineundi. Sed brevi post puellae pertaesus, aliasque nuptias appetens, rogavit Flavius Nepomucenum confessarium suum num ab hac promissione resilire posset. Affirmavit Nepomucenus, hac ratione ductus quod passim in eadem regione iuvenes utriusque sexus existimant se manere liberos etiam post huius modi promissionem factam, ac proinde nullus ibi initur contractus sponsalicius.

SOLUTIO. — Erravit Nepomucenus dum Flavium ab omni obligatione contractus sponsalicii liberum declaravit ob illam, quam asserit, generalem persuasionem. Etenim prorsus improbabile est ullibi universaliter vigere opinionem adeo oppositam naturali aequitati, ut, dum exterius fiunt quaecumque ad mutuam promissionem et repromissionem requiruntur, interna animi dispositione quilibet effectus morales tollantur. Sane si quis sibi vere in animum induxisset nullas obligationes nasci ex illa externa contractus sponsalicii celebratione, reapse nihil ageret (Vol. I. n. 585, I). Sed contrarium praesumendum est, cum actus validus censendus sit donec probetur fuisse nullus. Ut recte advertit Gasparri (De Matrim. I. n. 118) de Gallia, qui contendunt in ea regione passim vigere persuasionem, nullam obligationem e sponsalibus oriri, eam persuasionem confundunt cum opinione quae reapse viget atque a veritate aliena non est, multas ob causas solvi posse vinculum sponsalium atque longissime distare eius firmitatem ab indissolubili nuptiarum nexu. Nepomucenus igitur Flavium sedulo interrogare debuisset num ipsi, dum contractum celebrabat, vera voluntas fuisset nullam obligationem suscipiendi, et, si nulla probabili ratione de hac erronea adulescentis dispositione constaret, declarare non posse Luciam ab eo deseri nisi adesset aliqua e causis ob quas contractus sponsalicius licite rumpatur.

CASUS IV

Bibiana, tredecim annos nata, a parentibus suis Ulpiano adulescenti, rei penitus inscia, desponsata est. Postea cum

parentes de contractu a se inito coram filia sua sermonem iniecissent, Bibiana, prae summa reverentia qua liberi in illa regione totam rem matrimonialem parentibus suis committunt, penitus tacuit. Ubi vero tempus ineundi matrimonii venit, pia puella confessarium suum rogavit num his sponsalibus teneretur, cum Deum in caelibatu colere mallet.

SOLUTIO. — Probabilius ducimus cum Sanchez (de Matr. l. 1. disp. 23. n. 16) Bibianam nullo contractu sponsalicio ligari, modo id quod parentes eius egerint neque expresse, neque etiam tacite ratum habuerit, puta dum cum Ulpiano eas relationes haberet quae inter solos sponsum et sponsam, iuxta gentis morem, vigere soleant. Nam cum non adesset quando eius parentes de eius matrimonio egerunt, necesse fuisset ut postea, id quod actum fuerat, tacite vel expresse ratificasset, prout in c. unico de Despons. impub. in 6° edicitur. Neque ad hunc effectum sufficit eius silentium : nam in eodem textu dicitur silentio liberorum valere sponsalia iisdem praesentibus ab eorum parentibus contracta ; quae vero ab iisdem contrahantur dum liberi absunt, indigere eorum ratificatione, ac proinde plus in hoc casu necesse est quam eorum silentium. Atque hanc sententiam S. Alph. (n. 839) probabilem vocat, quamquam oppositam probabiliorem dicit. Huius alterius sententiae ratio est : tacitam ratificationem haberi in ipso silentio. Sed ratio pro sententia Sanchezii allata probat aliquid amplius necessarium esse.

CASUS V

Dafrosa totam domum suam eiulatibus complebat : lamentabatur Severinum maritum morti proximum. Ad eam consolandam accessit Gaudiosus, olim Dafrosae amasius et adhuc caelebs. Hic blandimentis suis primum lacrimarum imbrem compescuit ; deinde longius progressus se pro Severino in maritum obtulit. Nec mora : ultro citroque fides datur matrimonii ineundi, si Severinus e vivis excesserit. Hoc defuncto, iam de consilio suo exsequendo cogitabat Dafrosa, cum astitit Longinus, quocum flebilis vidua sponsalia olim inierat, antequam Severino nuberet.

SOLUTIO. — 1° Irrita est promissio reciproca inter Dafrosam et Gaudiosum facta, quamquam addita est condicio : " si Severinus e vivis excesserit. „ Huius nullitatis ratio manifesta est si inter Dafrosam eiusque amasium habita est copula, quando mulier iam Severino nupserat, atque ita inter eos exsurgit criminis impedimentum (n. 485, II). Quod si huius modi impedimentum non exsurgit, videri possit huius modi pactum esse quidem graviter peccaminosum, utpote quod ansam praebeat captandae mortis legitimi coniugis, valere tamen, cum referatur ad tempus quo impedimentum ligaminis naturaliter cessaverit. Nihilo minus etiam in hac hypothesi invalidam esse huius modi promissionem cum Sanchez (de Matrim. l. 7. disp. 79. n. 40) aliisque DD. ducimus, quia iura huius modi promissionibus resistunt, ne detur ansa captandae mortis proximi : quam ob causam etiam invalida est promissio vacaturi beneficii (Decr. l. 3. t. 8. c. 2).

2° Neque Longinum ducere tenetur Dafrosa : quia probabilius dissoluta sunt sponsalia cum eo inita per matrimonium sponsae cum Severino (n. 446, I).

CASUS VI

Maxentius adulescens Emmam, aequalis condicionis puellam, ad copulam secum habendam sollicitat : ipsa autem recusat nisi promittat se eam in uxorem ducturum esse. « Ne timeas, inquit Maxentius, certe te in uxorem ducam. » His dictis confisa, Emma copulae acquievit et, cum impraegnata fuisset, postulavit ut obstrictam fidem liberaret Maxentius. Hic vero, iam alius puellae nuptiis inhians, Emmae frustra reclamanti nihil aliud concedere voluit quam pecuniam ad puerum alendum.

SOLUTIO. — Tenetur Maxentius ad ducendam in uxorem Emmam. Etenim, nisi ficte promissionem illam fecerit, vera sponsalia inter eos inita sunt : promissioni enim ab adulescente factae accessit saltem virtualis repromissio puellae, modo haec (ut ex eius resistentia conicere licet) honesta fuerit (n. 440). Quod si forte ficte matrimonium promisit Maxentius, ipse nihilo minus puellam ducere debebit, saltem regulariter, ut compenset damnum eidem per fictionem illam illatum. Excipe si Emma facile advertere

potuisset fictam esse promissionem, utputa si iuvenis esset ob levitatem malosque mores famosus vel si qua alia ratio adesset quae ab implenda promissione sponsalicia, atque a fortiori a nuda promissione matrimonii excusaret (Vol. I. n. 569, II).

CASUS VII

Pacomius, iuvenis catholicus, sponsalia iniit cum Eleonora consobrina sua in quarto gradu, ad sectam protestantem pertinente, sub condicione quod Romanus Pontifex dispensasset in impedimentis mixtae religionis et consanguinitatis. Brevi post Eleonora ad catholicam unitatem rediit ; dum vero procurabatur dispensatio in impedimento consanguinitatis, Pacomius ad alias nuptias aspirare coepit confessariumque suum interrogavit num tuta conscientia Eleonoram deserere posset.

SOLUTIO. — Nulla obligatione ducendae Eleonorae premitur Pacomius. Etenim pactum sponsalicium quod cum ea iniit nullum erat quatenus se obligaverat ad eam, adhuc haereticae sectae addictam, in uxorem ducendam. Neque convaluit idem pactum per recentem puellae conversionem, si quidem nullum influxum haec mutatio exercuit in consensum qui ab initio inefficax erat ad inducendam obligationem. Aliter tamen dicendum foret si, post Eleonorae conversionem, iterum ratum habuisset Pacomius contractum sponsalicium, neque huius valori aliud quid obstitisset. Verum obstabat, in casu, saltem probabiliter, consanguinitas in quarto gradu. Nam licet probabilius valeant sponsalia contracta sub condicione " si Papa dispensaverit „, certe probabilis est sententia contraria : quam proinde tuto sequi poterit Pacomius ut aliam puellam ducat (n. 442).

CASUS VIII

Baradius qui, dum studiis in Universitate vacabat, pluries cum quadam muliercula rem habuerat, postea Seraphinae, honestissimae puellae, manum appetiit. Haec ante-

quam sponsalia inirent, rogavit iuvenem num umquam cum ulla alia muliere rem habuisset : se ita dispositam esse ut numquam in maritum assumeret virum qui iam aliis amoribus indulsisset. Amoris vehementia nuptiarumque cupidine victus, negavit iuvenis quod semper occultum fore confidebat. Pridie vero nuptiarum mendacium illud suum in confessione manifestavit Sertorio.

SOLUTIO. — Facile contingere potuit ut Barradius, negato commercio illo fornicario, graviter peccaverit quia egit contra conscientiam suam, qua ei gravis obligatio fatendae veritatis proponebatur. Attamen, re in se inspecta, licebat ei culpas olim admissas negare, intellegendo negationem de fornicatione quam amasiae suae fateri teneretur (Vol. I. n. 417, 6°). Etenim defectus ille non est perniciosus Seraphinae : quod enim olim peccata quaedam fornicationis admiserit iuvenis, nullum nocumentum afferet ei quae eius legitima uxor futura sit (n. 443). Neque sufficit illud intensum desiderium Seraphinae nubendi iuveni castissmo : ut hunc valde laudabilem scopum attingat, sufficiunt inquisitiones quas de moribus futuri sponsi apud alios instituere potest, nullum vero habet ius ut ipse interrogatus fateatur culpas secretas. Secus enim imponendum esset adulescentibus officium fatendi interroganti sponsae etiam culpas mere solitarias contra castitatem vel pravas propensiones ad venerea. Excipiendus foret casus in quo iuvenis tantis luxuriae flagitiis foedatus esset ut ex iis infamia aspergeretur mulier quam in uxorem ducturus esset : ita enim defectus ille perniciosus evaderet. In hoc casu utique raro, imponenda esset Barradio obligatio detegendi sponsae suae eundem defectum ante matrimonium, ne eundem cum damno suo cognoscat quando iam ab infamia cavere non poterit.

§ 2. DE SPONSALIUM OBLIGATIONE

CASUS I

Sponsalia iam a pluribus mensibus inter Bertholdum et Ermesindam contracta fuerant, cum sponsa lacrimabunda parochum adiit, conquerens quod sponsus iam numquam

de matrimonio ineundo verba faceret : unde timere coeperat ne fidem datam infringeret. Promisit parochus se cum iuvene de eius angustiis locuturum esse. Quod cum praestitisset, respondit Bertholdus sibi nullam esse festinandi causam ; fidelem tamen fore promissis suis si a sponsa urgeretur eorum adimpletio.

SOLUTIO. — Si inter Bertholdum et Ermesindam convenerat de die qua matrimonium ineundem esset, iniuste egit Bertholdus si eam, sine iusta causa, praetermisit : quamquam non erat gravis culpae arguendus ob exiguam dilationem (n. 444, II). Si vero, ut in casu probabilius est, nullam diem praefixerant contrahentes, non est culpandus iuvenis quod petitionem sponsae exspectaverit, quam diu supponere potuit eam nullo extraordinario pudore a iure suo urgendo prohiberi. Verum ex quo a parocho audivit sponsam pudore vel timore impediri quominus petitionem faceret, iam tenetur sponte offerre Ermesindae promissionis suae exsecutionem : praesertim cum iam elapsum sit tempus longius quam communiter inter sponsalia et matrimonium elabi sinunt (n. 444, III).

CASUS II

Gontramnus saepe promiserat Genovefae, quacum iam dudum amores fovebat, se eam in uxorem ducturum esse, iamque communi consilio diem statuerant qua, iuxta regionis morem, coram parocho et testibus sponsalia inirent. Sed antequam hoc consilium exsequerentur, vehementer affici coepit Gontramnus erga Cunegundam : quacum brevi sponsalia iniit. Statim ad parochum advolavit Genovefa, postulavitque ut infidelem adulescentem officii sui admoneret, neque tantam iniuriam sibi fieri sineret.

SOLUTIO. — Si nudam promissionem ineundi matrimonii Genovefae dederat Gontramnus, peccavit sane contra fidelitatem, et leviter quidem, si absque iusta causa promissis non stetit. Sed inita iam sponsalia cum Cunegunda obligationem factae promissionis abstulerunt, cum simplex promissio sit contractus gratuitus, sponsalia vero contractus onerosus (n. 444, V). Atque simplicem

fuisse illam promissionem praesumendum est, si quidem diem contrahendis publicis sponsalibus determinaverant iuvenis atque puella. Licet enim non repugnet sponsalia clandestina praeire publicis, regulariter non intendunt iuvenes se stricte obligare ad matrimonium ineundum ulla privata conventione, quando coram parocho et testibus mutuam sibi dare fidem statuerunt. Quid vero dicendum si etiam prior promissio onerosa erat, quia iuvenis matrimonium promisit sub condicione copulae habendae, puella vero sui copiam fecit? In hoc casu, praevalebit promissio Genovefae data, seu quia in vera sponsalia mutata est, seu quia, impleta condicione turpi, Gontramnus iam tenebatur ex iustitia ad ducendam eandem puellam (Vol. I. n. 569); Genovefa autem meliore iure gaudebat, tamquam tempore prior. Neque aliter sentiendum opinamur si etiam cum Cunegunda copulam sub promissione matrimonii habuit Gontramnus, quem ad modum neque copulam additam posterioribus sponsalibus sufficere censemus ut priorum obligatio tollatur.

CASUS III

Eleutherius Monicae, diviti puellae, quacum sponsalia iniverat, dono dedit pretiosa monilia, vestem splendidam aliaque magni valoris munera. Praeterea aedes conduxit quas cum futura uxore sua incoleret, easque pulchra supellectili copiose instruxit. Sed una fere hebdomada antequam matrimonium celebrandum foret, Monica, nescio qua feminea inconstantia impellente, declaravit se iam nuptiis valedixisse, frustraque reclamanti Eleutherio neque pretiosa munera reddere, neque expensas in aedibus conducendis instruendisque compensare voluit.

SOLUTIO. — Merito retinet sibi Monica ea munuscula quae pro Eleutherii fortunis sint exigui valoris ac propterea passim inter viros mulieresque eiusdem condicionis ad benevolentiam conciliandam vel testificandam dono dantur : haec enim absolute donata sunt. Sed pretiosiora dona reddere debet Eleutherio reclamanti : haec enim data non sunt nisi sub condicione quae verificata non est, nempe modo matrimonium sequatur (n. 445, VIII). Atque haec obligatio reddendi huius modi munera a fortiori urget

in casu, cum sola ratio ob quam nuptiae secutae non sint e sponsae libidine orta fuerit. Pariter compensare debet Monica detrimenta quae passus sit Eleutherius in aedibus, futurae societati coniugali destinatis, conducendis instruendisque. Ipsa enim huius detrimenti causa efficax fuit per culpam theologice gravem, saltem si sibi conscia fuit quam inani motivo eius dissensus niteretur (Vol. I. n. 512 seqq.). Quod si defuit (ut saepe deesse poterit) culpa theologica, saltem gravis, non tenebitur ad integrum damnum compensandum (Vol. I. n. 520). Tenebitur tamen ad dimidiam huius detrimenti partem ferendam, si communi utriusque consensu aedes conductae instructaeque fuere : quae enim ita a sponso geruntur in utilitatem futurae societatis coniugalis, utriusque nomine aguntur, ideoque ad sponsam aeque et ad sponsum pertinent.

§ 3. DE SPONSALIUM DISSOLUTIONE

CASUS I

Ugolinus praeclarae spei adulescens, dum Iuri civili studebat, sponsalia contraxit cum Barbara, pariter honestissima puella, dilato matrimonio ad studiorum finem. Iam duo anni a sponsalibus contractis elapsi erant, Barbara vero oblatas sibi alias splendidas nuptias recusaverat, cum Ugolinus, peractis exercitiis spiritualibus, seminarium clericorum ingressus est. Acriter contra eum reclamarunt Barbara eiusque cognati, et multo acrius cum, post aliquot menses, Ugolinus, qui seminario vitaeque clericali valedixerat, recusavit Barbaram ducere ut alias nuptias iniret.

SOLUTIO. — 1° Plane licuit Ugolino, relicta sponsa sua, amplecti statum clericalem (n. 446, 3°). Quod si inde maius detrimentum sensit Barbara ob recusatas alias nuptias splendidas, id plane per accidens se habet : ipsa vero aliquatenus in huius modi infortunia consensit, dum promisit matrimonium non nisi post longum tempus celebrandum. Ignorare enim non poterat quam facile ob mortem, morbum, animi inconstantiam etc. sponsum in tam longo spatio amittere posset. Cfr. Gury, Cas. II. n. 860.

2° Aequitas profecto postulabat ut Ugolinus, in casu, fidem servaret Barbarae, quae, propter fidem ipsi servatam, splendidas nuptias recusaverat. Attamen non videtur Ugolinus stricta iustitia obligatus ad contractum sponsalicium servandum, cum amplexus sit, quatenus poterat, statum perfectiorem (n. 446, 3°). Neque ei obest quod in vocatione sua non perseveraverit, sicut defectus perseverantiae non obesset sponso qui e noviciatu religioso egrederetur vel dispensationem in emissis votis religiosis obtineret.

CASUS II

Simonem sponsalium cum Christina initorum paenitebat, quamquam nullam sufficientem rationem ea dissolvendi cernebat. Quare coepit puellam importunis precibus vexare donec consensum iisdem dissolvendis daret. Sed iam impetrato consensu aliasque nuptias initurus, petiit a confessario num ab omni obligatione erga Christinam liber foret.

SOLUTIO. — Nisi Christina (quod non est sine manifesta probatione admittendum) ficte tantum renuntiaverit iuri suo, vinculum e sponsalibus inductum solutum manet (n. 446, 1°). Attamen cum importunae preces in casu induxerint levem metum et rationem unicam renuntiationi sponsae praebuerint (ut videtur), in arbitrio Christinae est consensum datum revocare atque iterum urgere ius per sponsalia quaesitum (Vol. I. n, 592, IV). Attamen nisi ex eius protestatione contrarium liquet, praesumere potest confessarius eam iam nolle nubere ei qui animum ab ea tam aversum gesserit, ac proinde poterit Simonem novis amoribus suis permittere. Accedit ratio discordiarum quae e matrimonio, quod reluctanti animo iniretur, timenda essent : raro enim expedit ut iudex, seu interni seu externi fori, urgeat celebrationem matrimonii, quod infaustum fore praevideat. Cfr. Matharan, Casus n. 27.

CASUS III

Paschasius, dum crebro Melaniam sponsam suam invisebat, cum Sophia eius sorore amicitia tenerrima iunctus est, ac brevi cum eadem copulam habuit. Post aliquot heb-

domadas, certior factus de impraegnatione secuta, confessarium suum interrogavit quid sibi agendum foret.

SOLUTIO. — Iam ducere nequit Melaniam Paschasius propter inductum impedimentum affinitatis e copula illicita in primo gradu lineae collateralis (n. 481). Igitur impedimentum voluntarie inductum procurata dispensatione auferre debet, saltem si rem Melaniae aperire nolit (n. 447, II, 1°). Excusat quidem ab hac obligatione S. Alph. (n. 858), cum communi sententia, eos qui dispensationem obtinere nequeant nisi cum magnis expensis et longa mora. Sed iam hodie propter commoditatem maximam litteras e locis etiam longinquis mittendi ad episcopum vel Romanum Pontificem, et propter copiam facultatum dispensandi locis praesertim Missionum concessam, rarissime huic exceptioni locus erit. Quandoque tamen praestaret rem Melaniae aperire eiusque consensum petere ut, impetrata dispensatione in impedimento publicae honestatis, Paschasius Sophiam ducere posset, atque ita melius puellae honori et contrahendi matrimonii felicitati consuleret. Sed haec via non foret ineunda nisi e circumstantiis indolis et dispositionum personarum prudenter sperari posset successus. Cfr. Matharan, Cas. n. 31.

CASUS IV

Thryphon, cum Luciam, Caeciliae sponsae suae sororem, gravidam reddidisset, eiusque familiam magna maestitia et dedecore affecisset, promisit se dispensationem petiturum esse ut Caeciliam ducere posset. Haec vero prorsus recusavit ei nubere, sed acriter institit ut infidelis sponsus ei dotem daret qua ad aeque bonas nuptias ineundas iuvaretur.

SOLUTIO. — Iure suo utitur Caecilia dum perfido sponso nubere omnino recusat (n. 447, II, 3°). Neque propterea amittit ius ad compensationem damni sibi illati, modo istud per bona eiusdem ordinis compensari queat (Vol. I. n. 561). Igitur videndum erit num reapse iniuria a Thryphone illata fuerit causa ob quam Caecilia iam probabiliter non possit tam bonas nuptias inire quam cum Thryphone initurus fuisset ; deinde, num danda pecunia satis

certo eam adiutura sit ut nuptias aeque bonas ineat. Putamus plerumque de alterutra illa condicione restitutionis faciendae fundatum dubium mansurum esse, ac proinde, licet theoretice obligatio restituendi admittenda sit (Ball. P. n. 295 ; Matharan, n. 32), raro eam in praxi urgendam fore.

CASUS V

Blandina, pia puella, postquam, a parentibus inducta, sponsalia cum Germano inierat, votum perpetuae castitatis emisit. Postea autem confessarium suum interrogavit utrum sponsalibus suis an voto adhaerere deberet.

SOLUTIO. — Alterutrum sine ulla dispensatione eligere potest Blandina, cum de effectu status perfectioris per hoc votum initi duplex detur sententia probabilis (n. 446, I, 3°). Si enim plane solvuntur sponsalia huius modi voto, tenetur manere innupta ; si vero, ut alii opinantur, hoc voto datum est tantum ius Germano ut a sponsalibus resiliat, manent valida sponsalia, ac proinde quam diu sponsus iuri suo non renuntiavit, ei adhaerere debebit Blandina. Ex adiunctis videbit confessarius ad quem sponsum, caelestem an terrenum, *impellere debeat* puellam.

CASUS VI

Sabbas, initis iam sponsalibus cum Veronica, statum clericalem inire decrevit. Antequam ad seminarium proficisceretur, petiit a Veronica ut sibi fidem suam redderet. At puella, instigantibus avaris parentibus, iure suo cedere noluit nisi iuvenis quingentos francos sibi solveret.

SOLUTIO. — Communiter AA. (Matharan, n. 37) censent Sabbam teneri ad summam illam solvendam, si statim plene a sponsalium obligatione liberari cupit, modo summa petita aequam compensationem, iuxta sponsorum condicionem aliasque circumstantias, non excedat. Ipsum tamen opinamur probabiliter ab omni obligatione sponsalium, saltem in foro interno, liberari, dum seminarium

theologicum, firmo animo suscipiendi sacros ordines, ingreditur, cum hac ratione, quantum in ipso est per leges ecclesiasticas hodie vigentes, statum clericalem ingrediatur (n. 446, I, 3°).

CASUS VII

Virginia a quadam amica sua monita est Metellum sponsum suum, quem plane catholicum iuvenem putabat, esse massonem. Obstupefacta puella Metellum interrogat num verum esset quod audierat. Fatetur iuvenis se olim, ad negotiationem suam promovendam, nomen dedisse massonibus, nunc vero iam penitus huic sectae valedixisse. Nihilo minus Virginia, cum dubium conceptum plane expellere nequiret, matrimonium cum Metello inire recusavit.

SOLUTIO. — Virginia potius laudanda quam increpanda est quia se indissolubiliter coniungere noluit cum viro de cuius religione ob grave motivum dubitabat. Nemo enim ius resiliendi a sponsalibus denegabit sponsae quae cum certitudine detegit sponsum suum esse massonem : notabilis enim mutatio advenit in cognitione quam de eo quoad praestantissima animi bona habebat (n. 447, II, 4°). Neque aliter dicendum in casu, quia dubium manet de praesentibus relationibus Metelli cum hac impia secta : nam etiam sic tanta mutatio habetur in notitia quam sponsa de sponso suo habebat, ut cum hoc dubio numquam sponsalia iniisset. Neque apparet quomodo ipsa in conscientia obligari possit ad exponendam se ipsam et prolem suscipiendam periculo etiam mere probabili mariti patrisque qui massonibus adhaereat velparatus sit iis nomen dare.

CASUS VIII

Petronilla, Nicolao desponsata, ubi paucis diebus ante matrimonium celebrandum ad confessionem accessit, fassa est se rem habuisse cum alio iuvene atque ex eius concubitu gravidam evasisse; praeterea se, iam antea, cum tertio quodam fornicatam, prolem suscepisse quam secreto in

quodam brephotrophio alebat. Anxia autem petiit num varia illa facinora Nicolao detegere teneretur.

SOLUTIO. — Nequaquam tenetur Petronilla manifestare Nicolao iacturam virginitatis et prolem in brephotrophio educatam, modo e bonis suis eius necessitatibus providere possit neque timendum sit ne maritum suum infamia aspergat : sic enim hi defectus nullum positivum nocumentum futuro marito inferent (n. 443). Tenetur vero sub gravi ad manifestandam praesentem praegnationem, vel ad resiliendum a sponsalibus contractis : hic enim est defectus perniciosus, cum coacturus sit Nicolaum ad alendam alienam prolem tamquam suam. Nam si haec in iis nascatur adiunctis ut ipse existimet eam esse suam, id praestabit ex ignorantia invincibili ; si vero ex adiunctis innotesceret marito eam prolem non esse suam, puta quia septem mensibus post initum matrimonium nasceretur, ipse vero numquam ante matrimonium rem cum ea habuit, cogetur ad eam tamquam suam alendam vel ad eam, cum infamia propria, a familia sua removendam : ut nihil dicamus de destruenda per talem revelationem coniugum fiducia. Opinatur tamen Gury (Cas. II. n. 87) quandoque tantas esse posse angustias paenitentis ut ad salvandam eius famam, aut etiam honorem familiae conspicuae, necnon ad ingens scandalum avertendum, paenitens in pace relinqui possit vel etiam debeat. Verum cum Matharan (Cas. n. 41) ducimus eas rationes non esse sufficientes, nisi ut sponsus (si qua spes est successus) enixe inducatur ad sponsam nihilo minus ducendam. Etenim contra certum detrimentum, quod sponso innocenti inferretur contracto cum tali defectu matrimonio, nequit praevalere mere probabilis spes servandi famam sponsae noxiae. Dico *mere probabilis :* quia prudenter timendum est in talibus adiunctis ne res a marito decepto detegatur atque ita maiore infamia aspergatur uxor fallax, dum forsan ab irato coniuge dimittetur.

CASUS IX

Porphyrius et Asella, inter quos contractus sponsalicius intercedebat, uterque fornicationem cum alia persona admisere. Asella vero, quae sponsi sui infidelitatem noverat, cupiebat quidem eum deserere ; dubitabat tamen num

id sibi fas esset, cum quaedam compensatio per utriusque fornicationem inducta videretur.

SOLUTIO. — Licite Porphyrium relinquere potest Asella. Licet enim turpior sit fornicatio sponsae quam sponsi, ac propterea communis sententia (S. Alph. n. 862) soli sponso tribuat discedendi facultatem, probabilis tamen est sententia quam post Castropalao tuentur Gury (Cas. n. 862) et Matharan (Cas. n. 42) : idem ius competere sponsae, si quidem quoad violationem fidei datae uterque aequiperatur. Neque hic fit compensatio, sicut in mutuo adulterio coniugum : quia multo facilius solvitur obligatio sponsalium quam matrimonium etiam quod ad torum et cohabitationem.

CASUS X

Sophronius, pius et impiger adulescens, sponsalia inivit cum Elisa divite nobilique puella, quam satis imperfecte noverat. Iam artius cum futurae sponsae familia coniunctus, saepius Elisam invisere attentiusque spectare coepit. Sed proh dolor ! tantam in eius animo levitatem mundanaeque voluptatis cupidinem repperit ut timere coeperit ne umquam cum ea feliciter vivere non posset. Quare petivit a confessario num ab his sponsalibus resilire liceret : quod sine magna offensione sponsae eiusque familiae fieri non posset.

SOLUTIO. — Censemus Sophronio indulgendum esse ut Elisam deserat, modo eae quas in sponsa sua observarit levitas mundique cupido transgrediantur eas quae communiter in puellis, paucis exceptis, reperiantur. Ita enim notabilis mutatio inducta est in notitiam quam de Elisae dotibus habebat ubi sponsalia iniit, et quidem tanta ut iuvenis pius laborisque amans tale pactum minime iniisset si rem ab initio perspectam habuisset (n. 447. II, 4°). Si enim graves Canonistae, ut Schmalzgrueber (in Decr. l. 4. t. I. n. 189), existimant ad abrumpenda sponsalia sufficere incurabilem oris graveolentiam post sponsalia ortam vel detectam, quanta magis Theologi morales parcere debent iuveni pio et impi-

gro, ne eum obligent ad vitam suam iugiter conectendam cum vita levis mundanaeque puellae : intolerabile profecto supplicium et iuge discordiarum, immo et infidelitatum seminarium !

CASUS XI

Ambrosius sponsalia contraxerat cum Caelestina paris condicionis puella, cum ei dixit Eugenia, dives matrona : « Heu ! miser iuvenis ! quid fecisti ? Si manum petiisses unicae filiae meae Melaniae, libenter tibi dedissem : nam te perdite amat. » Invasit animum iuvenis primum stupor, mox paenitentia omissae tam pulchrae occasionis, tandem desiderium relinquendae Caelestinae pro Melania vel (ut verius dicam) pro Melaniae opibus. Sed dubius haesit num haec mutatio in conscientia liceret.

SOLUTIO. — Censemus licite Melaniae manum petiturum esse Ambrosium, modo (ut ex adiunctis veri simile est) illa altera sponsa sit priore non tantum aliquatenus, sed excedenter melior quoad bona fortunae, neque quoad ceteras dotes complexive sumptas multo inferior (n. 447. II, 4°). Neque propterea permittendum erit ut omnia sponsalia posthabeantur, quando alia se offeret occasio, quae semper melior videbitur mutationem cupienti ; nam liceitatem restringimus ad casum, utique rarum, in quo altera sponsa manifeste et multo melior sit. Fatendum tamen parum nobilis animi indicium esse quod sponsa propter maiores opes relinquatur. Sed inde non prohibetur Ambrosius quominus ditiorem praeferat praedilectae, sicut eam praeferre potuisset si nulla sponsalia contraxisset.

CASUS XII

Symphorosa cum Probo convenerat de matrimonio brevi post Pascha celebrando. Sed varias rationes obiecit sponsus ne pactum perficeret. Tandem, cum in vigilia Pentecostes ad confitendum accessisset Symphorosa, rogavit num teneretur diutius moras nectentem Probum exspectare.

SOLUTIO. — Modo constet Probum nulla vera ratione prohibitum hucusque fuisse, sed inanes praetextus quaesivisse ad differendam pacti impletionem, licet Symphorosae eum tamquam infidelem obligationi sponsalium deserere (n. 447, II, 3°). Si vero constaret adulescentem legitime impeditum fuisse et sperari posset fore ut se brevi ab impedimentis extricaret, sponsa teneretur tam diu exspectare : dilatio enim illa non est adeo magna ut per se solam praebeat rationem resiliendi. Tandem si dubitaretur utrum voluntaria an involuntaria mora illa foret, antequam a sponsalibus resiliretur, conandum esset ut veritas innotesceret.

CASUS XIII

Philippina sponsalia inierat cum Bartholomaeo artifice. Hic, inscia sponsa, pagum reliquit, laborem in regione vicina quaesiturus. Post aliquot menses, existimans eum iam non esse rediturum, Philippina iterum desponsata est Ubaldo. Sed brevi post rediit Bartholomaeus. Philippina vero, inter ambos sponsos constituta et ab utroque expostulata, quo se verteret, nesciebat.

SOLUTIO. — Eat felix Philippina quo eam ducet cor suum ! Ubaldo, si malit, nubere potest, quia licite cum eo sponsalia iniit, postquam prior sponsus sine eius consensu abiit et plures menses afuit (n. 447, II, 3°). Cfr. Sanch. de Matr. l. 1. disp. 54. Sed neque ad Bartholomaeum redire prohibetur : Ubaldo enim non dedit fidem suam nisi quia prior sponsus iam non sperabatur rediturus, ac proinde cum tacita condicione resolutoria : " nisi Bartholomaeus redeat „ (Matharan, Cas. n. 46).

CAPUT II

DE PROCLAMATIONIBUS ET EXAMINE SPONSORUM

§ 1. DE OBLIGATIONE PROCLAMATIONUM

CASUS I

Livinus parochus iam ecclesiam suam adierat, Romanum cum Martina matrimonio iuncturus. Proclamationes omnes fecerat pro Martina paroeciana sua. Cum vero a Romano, alius paroeciae incola, testimonium peractarum denuntiationum petiisset, audivit tertiam nondum fuisse peractam ob parochi oblivionem. Nihilo minus, cum sponsi aegre tulissent dilationem, eos statim coniunxit.

SOLUTIO. — Licebat Livino statim ad nuptias illas benedicendas procedere. Omissio enim unius proclamationis levis est (n. 448, I) : sufficit ergo causa rationabilis ut post duas proclamationes contrahatur. Iam vero causam rationabilem certe habebant Romanus et Martina, cum omnia ad nuptias hac die celebrandas parata essent. Attamen, quatenus per adiuncta licet, iuvat parochum hortari parochianos suos ut testimonia ad matrimonium ineundum necessaria iam pridie afferant : sic enim facilius poterit, si quid desit, supplere vel dispensationem ab Ordinario assequi.

CASUS II

Eusebius, sacerdos Regularis, missionibus operam dare solitus, ubi creberrime occurrunt paenitentes maritaliter conviventes mulieribus quibuscum nullatenus vel solo matrimonio civili coniuncti sunt, solet a parocho loci petere ut ipsum

deleget ad assistendum omnibus matrimoniis quae ad salutem animarum inter eius paroecianos celebranda duxerit. Quare, ubi huius modi paenitentes accedunt, eos ad sacristiam ducit, ibique coram aedituo alioque teste cuiuslibet condicionis vel sexus, matrimonio coniungit.

SOLUTIO. — Videndum est ex adiunctis personarum et locorum num vera necessitas cogeret Eusebium ad matrimonia illa celebranda omissis quibuslibet denuntiationibus. Si enim tam plena erat utriusque partis conversio ut certo ambae exspectaturae essent donec proclamationes fierent vel saltem dispensatio in iisdem obtineretur, debebat Eusebius tam diu differre nuptiarum celebrationem : sic enim nulla necessitate cogebatur ad omittendas praescriptiones Ecclesiae. Raro tamen id satis constabit ubi multiplicatae coniunctiones fornicariae testantur praecepta Ecclesiae plurimum neglegi atque ipsam fidem languere : nam facile fiet ut saltem de alterutrius constanti voluntate dubitandum sit. Igitur quotiens huius modi necessitas satis constat, licebit Eusebio ad nuptias benedicendas, omissis proclamationibus, procedere. Numquam tamen omittere potest summariam interrogationem de praecipuis impedimentis : ne forte nulliter coniungat consanguineos, affines, alii tertiae personae adhuc viventi legitime unitos, etc. Deinde, si novit fore ut saepe sibi occurrant huius modi casus, debet ab Ordinario petere facultatem dispensandi in lege bannorum : si enim commode potest servare Ius quo dispensatio in bannis reservatur Ordinario, nequit se immittere in necessitatem assistendi matrimonio sine bannis praemissis vel dispensatis.

CASUS III

Multum instabat Leontius ut eius matrimonium cum Leocadia, quod primo denuntiatum fuerat die Dominica, sequenti Sabbato celebraretur. Cum tamen nulla solida ratio tantae festinationi favere videretur, restitit primo Gilbertus parochus, sed mox, recordatus magnum populi concursum fore diebus Lunae et Martis proxime sequentibus,ob triduanam sollemnitatem in honorem S. Apolloniae, petiit ab Ordinario obtinuitque facultatem faciendi his diebus duas reliquas proclamationes.

SOLUTIO. — Per se non impletur lex bannis quae diebus feriatis, in quibus est magnus populi concursus, proclamantur (n. 449, 1°), ac proinde parochus hanc mutationem propria auctoritate facere non potuisset. Ubi vero ab Ordinario dispensatio obtenta est, licitum videtur, siquidem Trid. concessit episcopis in hac lege dispensare, dummodo salvus sit finis intentus, vid. ut nullum lateat impedimentum. Neque ex hac concessione timenda sunt pericula abusus, ut timenda essent si singulis parochis relinqueretur cura investigandi num proclamationibus opus foret : hic enim dispensatur ab eo cui ipsa Ecclesia curam denuntiationum commendavit (Rosset, de Sacr. Matr. t. II. n. 1112).

CASUS IV

Berthuinus parochus banna quandoque, dum fauces dolent, alii sacerdoti, seminaristae vel etiam aedituo facienda committit. Neque semper in ecclesia parochiali matrimonia denuntiat, sed, cum exstet in territorio parochiali aliquod sacellum in quo die Dominica aliquis sacerdos celebrare solet, in eo proclamare solet banna fidelium qui prope illam aediculam commorantur.

SOLUTIO. — 1° Berthuinus, omnium consensu, banna proclamanda committere potest alii sacerdoti, si quidem ei committere potest quod multo maius est, authenticam assistentiam matrimonio praestandam. Pariter omnino licitum censemus parochum vices suas committere cuilibet clerico, qui, cum lectoris ordinem recepit, videtur satis aptus ad recitandas proclamationum formulas, neque videmus cur ad hoc officium necessaria foret, ut opinatur Rosset (de Sacr. Matr. i. II. n. 1126), approbatio episcopi ad praedicandum Dei verbum : quae praedicatio multo sollemnior est et maiorem aptitudinem requirit quam nuda illarum formularum recitatio. Per se minus congrua est persona aeditui : parum enim decet ut laicus publicam recitationem faciat " inter Missarum sollemnia. „ Attamen id quoque vituperare nolumus, si aedituus id decenter et cum populi aedificatione facere potest vel si adest consuetudo, de qua Sanchez pro Hispania : " Praxis ita explicat : communiter enim de mandato parochi aeditui hoc praestant „ (De Matr. l. 3. disp. 6. n. 5).

2° Per se legem violat, quamquam leviter, Berthuinus, dum banna proclamat in sacello ab ecclesia parochiali separato (n. 450, IV). Attamen probari posset praxis Berthuini si ei faveret statutum vel consuetudo illius dioecesis, vel si sacellum haberet territorium determinatum cum proprio sacerdote qui ei deserviret et ita quasi-parochiam efficeret (Rosset, de Sacr. Matr. t. II. n. 1102).

CASUS V

Anatolius parochus saepe omittit denuntiare matrimonia paroecianorum suorum qui cum incolis paroeciae vicinae eiusdem civitatis contracturi sunt : quicquid enim (ait) in una paroecia publici iuris fit, statim in altera innotescit. Ubi vero matrimonium inituri sunt qui multis paroeciis peragratis, a brevi tempore sedem in Anatolii territorii posuerunt, benignus parochus nihil aliud curat quam ut in sua ecclesia banna proclamentur.

SOLUTIO. — 1° Legem Ecclesiae violat, et quidem per se graviter, Anatolius ubi banna proclamare omittit pro parte sibi subdita : id enim diserte adversatur interpretationi legis, quam dat Rit. Romanum (t. 7. c. 1. n. 8). Quidam tamen (Gury. Cas. II. n. 878 ; Matharan, Cas. n. 59) admittunt excusationem ab Anatolio allatam e notitia quae tam facile e vicina paroecia dimanet. Sed plerique recentiores nullam mentionem huius exceptionis faciunt, et merito : nam cum valde molestum sit definire quandonam fama bannorum in una paroecia editorum in aliam pervolitet, parochi facile in hac existimatione alucinarentur, cum periculo nullitatis matrimoniorum, neque in lege ipsa ullum huius exceptionis, tamen sat crebrae, vestigium reperitur (1).

2° Si illi advenae vere sedem fixerunt in Anatolii paroecia, in ea domicilium vel saltem quasi-domicilium acquisiverunt. Ipse igitur, tamquam eorum proprius parochus, proclamationes facere

(1) Frustra a Gury allegatur pro hac sententia Laymann (nullo indicato loco). Ubi enim de hac re agit idem A. (l. 5. tr. 10. p. 2. c. 4. n. 10), id tantum contendit : non esse damnandam consuetudinem in aliquibus locis vigentem ut universim banna proclamentur in sola ecclesia in qua fient nuptiae,si sponsi in duabus diversis paroeciis domicilium habeñt. Nihil autem de vicinia paroeciarum et de fama ab una ad alteram transmissa loquitur.

debebit, nisi forte in casu quodam videantur prorsus inutiles ob brevissimam nupturientium commorationem in eo loco et certam absentiam impedimenti : quo in casu tamen recurrendum esset ad Ordinarium ut iubeat banna proclamari in pristino nupturientium domicilio. Deinde semper Anatolius sibi procurare debebit testimonium de libero eorum statu (Gasp. de Matr. n. 163. Num vero praeterea publicanda sint banna in parochia in qua nupturientes nati vel longo tempore morati sint, a statutis usibusve dioecesanis pendet (n. 450. V, 3°).

§ 2. DE DISPENSATIONIBUS IN LEGE PROCLAMATIONUM

CASUS I

Melchiades, qui cum Eusebio episcopo suo amicissime agebat, facile ab eo dispensationem a nuptiarum proclamationibus, tamquam plane otiosis, obtinuit. Qua de re certior factus Mercurius, Silvinae sponsae parochus, hanc quoque ab iisdem dispensatam esse existimavit, neque ullam proclamationem fecit.

SOLUTIO. — 1° Modo reapse constet Eusebio nullum subesse matrimonii impedimentum, puta quia familiam moresque partium optime perspecta habet, licite hanc dispensationem largitur (n. 451, III). Si vero hanc moralem certitudinem non habet et tantum amicitiae causa Melchiadem dispensat, per se graviter peccant, tum episcopus, tum nupturientes, hac dispensatione invalida utentes : quamquam eam nullitatem vix umquam cognoscerent simplices fideles (Vol. I. n. 121, I).

2° Licet rectius egisset Mercurius si banna sponsae proclamasset, vel saltem Ordinarium suum interrogasset num et ipse cum Silvina dispensare intenderet, absolute tamen non est vituperandus, si quidem dispensatio probabiliter a Melchiade Silvinae communicatur (n. 451, II). Neque ad eum pertinebat inquirere de causa dispensationis : quam non nisi ob iustam causam ab Eusebio datam fuisse praesumere debebat (Matharan, Cas. n. 62).

§ 3. DE OBLIGATIONE REVELANDI IMPEDIMENTA

CASUS I

Lucilia exponit confessario suo se in magnis versari angustiis : banna proclamata esse inter Stephanum suamque sororem Eulaliam ; sibi vere notum esse impedimentum quod his nuptiis contrahendis obstet propter copulam habitam inter Stephanum et Nathaliam, pariter sororem suam. Libenter impedimentum illud manifestaret, sed timet ne magnum dedecus e matrimonii omissione familiae inuratur, et praesertim ne in se concitet odium Stephani qui facile suspicabitur ab ipsa factam esse illam manifestationem.

SOLUTIO. — Per se tenetur Lucilia denuntiationem peragere : neutra enim e rationibus allegatis probat ex ea magnum damnum ipsi vel consanguineis per accidens oriturum esse. Etenim perperam inde timet magnum familiae dedecus : non enim absolute prohibendum est matrimonium, sed tantum donec dispensatio obtenta fuerit, neque desunt generatim praetextus quibus aliqua dilatio (si forte necessaria sit) veletur. Sed etiamsi nuptiae sequi non possent, non daretur excusatio : si quidem vera infamia e ruptis sponsalibus timenda non est, cum tam crebro ob rationes minime infamantes abrumpantur. Frustra quoque, saltem generatim, quaeretur grave incommodum in odio quod pars contractura concipiat adversus denuntiantem. Nisi enim Stephanus sit homo nequam et impius, timor ille inanis est, vel summum concipiet adversus Luciliam quandam animi aversionem, quae nullum notabile et perdurans detrimentum puellae illatura sit. Attamen si quando, ob specialia adiuncta, reapse grave malum immineret Luciliae ex odio et vindicta Stephani, a denuntiatione facienda excusaretur (n. 452, II, 1°).

CASUS II

Publicatis bannis matrimonii inter Sigefridum et Radegundem celebrandi, Richildis puella rogavit confessarium

suum num teneatur ad monendum parochum de sponsalibus quae idem Sigefridus antea inierat cum Clotilde : quod audiverat a Genovefa, matertera sua, quae plura quam ipsa diaria publica noverat de gestis dictisque incolarum huius paroeciae.

SOLUTIO. — Si Genovefa fide digna est (quod saepe desideratur in iis qui vivis ephemeridibus assimilantur) et factum ut certum narravit, per se datur obligatio gravis denuntiandi impedimentum sponsalium, quamquam est mere impediens (n. 452, I). Attamen cum sponsalia plurimis causis solvantur, saepe ab iis denuntiandis excusatio dabitur, saltem quia rationabiliter praesumetur priorem sponsam iam nolle urgere ius suum, postquam sponsus alii puellae adhaesit. Immo generatim opinamur posse abstineri a denuntiando hoc impedimento in locis ubi viget consuetudo sponsalium publicorum, quotiens agitur de sponsalibus privatis. In his enim locis rarius solent iuvenes fidem suam stricte obstringere antequam coram parocho et testibus compareant : ac propterea nimis incertum est ipsum factum datae fidei ut propterea ulli fideli imponatur obligatio, praesertim gravis, peragendae denuntiationis.

CASUS III

Crescentia Albino confessario suo declarat se copulam habuisse cum Theotimo, qui mox cum ipsius sorore matrimonium initurus esset. His auditis, Albinus paenitenti declaravit non aliter se daturum esse absolutionem quam si promitteret se brevi impedimentum illud parocho denuntiaturam esse.

SOLUTIO. — Iniuste egit Albinus dum Crescentiae absolutionem recusavit ni vellet denuntiationem illam peragere : quippe quam facere nequeat sine gravi infamia propria (n. 452, II, 1°). Hoc unum iubere debebat confessarius, ut paenitens Theotimum moneret de obligatione abstinendi ab hoc matrimonio vel procurandae dispensationis, saltem si qua spes esset fore ut monitis obtemperaret (n. 453).

CASUS IV

Quondam Fanniae dixit Euphrosina : « Si vis, tibi dicam aliquid : sed sub sigillo confessionis tantum id communicabo. » Annuit libenter Fannia, arrectisque auribus, auscultavit longam Euphrosinae narrationem : cuius compendium erat eius amicam Bibianam copulam habuisse cum Ioviniano. Sed quod tam libenter audiverat Fannia, mox ei magnam perturbationem iniecit, ubi audivit proclamari banna matrimonii inter Iovinianum et Estellam, Bibianae sororem.

SOLUTIO. — Communicatio facta ab Euphrosina sub secreto confessionis non inducit secreti sacramentalis, sed mere commissi, et quidem sine ulla officii vel consilii petendi necessitate, obligationem (n. 381). Cfr. Sanchez, de Matr. l. 3. disp. 13. n- 6. Quare per se tenetur Fannia ad impedimentum affinitatis e copula illicita manifestandum (n. 453). Videndum tamen num forte excusationem habeat eo quod Euphrosina non mereatur plenam fidem vel moraliter certum sit eam per se ipsam denuntiaturam esse.

CASUS V

Tarasius vicarius multa familiarum secreta novit propter magnam fiduciam qua plurimi fideles impelluntur ad loquendum cum eo de rebus maxime intimis, seu post institutam confessionem, seu in aliis mere privatis colloquiis. Sed interdum dubius haeret num teneatur denuntiare parocho impedimenta matrimoniorum proclamatorum, quae ipsi hac via innotuerint.

SOLUTIO. — Censemus Tarasium minime teneri ad huius modi denuntiationem faciendam. Id manifestum est ubi secretum impedimentum novit tantum e communicatione facta statim post auditam confessionem. Licet enim haec notitia (ut supponere licet) non referatur ad accusationem sacramentalem, ac proinde sub sigillum

confessionis minime cadat, periculum haud leve foret ne, si tali notitia uteretur sacerdos, fideles plurimi scandalum paterentur dum sigillum illud violari autumarent : plurimi enim putant sub illo sigillo claudi quicquid in confessionali declaratur, praesertim si aliquatenus ad conscientiae intima pertineat. Sed etiam ea quae ipsi in privatis colloquiis manifestata fuerint, ob specialem illam fiduciam qua fideles pii sacerdotem de omnibus rebus quae ad eorum conscientiam spectant consulere solent, Tarasius revelare non debet : talis enim revelatio cederet in publicum detrimentum, quia iam fideles non auderent cum eadem fiducia et simplicitate ad sacerdotem recurrere in dubiis suis, ac proinde saltem aequivalenter violaretur secretum commissum propter speciale munus quod geritur (n. 453). Ita etiam Gasp. op. cit. n. 177. Teneretur tamen Tarasius ad monendas personas a quibus huius modi secretum accepit ut denuntiationem facerent, vel ut saltem eum qui impedimento laboraret monerent de petenda dispensatione.

CASUS VI

Clementia exponit confessario suo sibi a Petronilla, amica sua, sub artissimo secreto commissum esse se copulam habuisse cum Gerulpho ; huius vero matrimonium cum Pharailde, Petronillae sorore, recens proclamatum fuisse. Petit ergo num ipsa teneatur ad impedimentum illud parocho manifestandum.

SOLUTIO. — Censemus Clementiam nulla premi obligatione manifestandi illius impedimenti. Hanc enim manifestationem facere non potest sine gravi infamia Petronillae, quae ipsi hoc secretum communicavit sub secreto commisso et quae nullam partem in matrimonio Pharaildis cum Gerulpho habet. Neque generatim ad aliquid aliud faciendum tenebitur Clementia, quia plerumque nulla via tuta et sine gravi incommodo poterit vel matrimonium impedire ope monitionis vel dispensationem procurare (n. 453).

§ 4. DE EXAMINE SPONSORUM

CASUS I

Iudocus parochus non raro rogatur ut assistat matrimonio opificum, qui e regionibus dissitis, laboris quaerendi causa, in eius parochiam advenerunt. De eorum statu libero litteris interrogavit parochos in quorum paroecia hi nupturientes diu commorati erant. Sed quandoque, post longas moras, nullum responsum obtinuit nisi quod huius modi viros nullatenus nossent, utpote qui ecclesiae pedem inferre non solerent ; quandoque, postquam tum litteris acceptis, tum testimonio nupturientium, certior factus esset eos reapse liberos esse, eosque cum loci puella coniunxisset, audivit eos variis impedimentis, praesertim ligaminis, devinctos fuisse. Quare dubitare coepit num huius modi informationes per litteras forent necessariae vel etiam sufficientes ad permittendum talium alienigenarum matrimonium.

SOLUTIO. — Informationes illae de libero statu talium nupturientium omnino per litteras sumendae sunt, quatenus id sine extraordinario incommodo et cum aliqua spe fructus fieri potest. Etenim, ut experientia (Comp. I. Eccl. § 191, nota 10) constat, facile nostris diebus, ob facilitatem qua multi de loco ad locum migrant, fiunt coniunctiones polygamicae vel propter aliud impedimentum nullae, si parochi in libero statu verificando desides fuerint. Nemo autem in eodem loco est qui idoneum testimonium de libero advenarum illorum statu ferre possit. Quare, nisi ad litteras recurratur, fidendum erit soli testimonio nupturientium : qui utrum fide digni sint necne, etiamsi iuramento assertionem suam muniant, minime liquet. Nec tamen propterea obligabitur Iudocus ad consulendos per litteras parochos omnium locorum in quibus sat diu commorati sint huius modi gyrovagi : quod in multis casibus vel physice vel saltem moraliter impossibile esset, seu quia ipsi nupturientes ea omnia loca non recordantur, seu quia onus intolerabile

foret parocho scribere ad plurima illa loca in quibus commorati fuerint qui saepissime sedem mutarunt. Ex alia parte, ubi usus viget non observandi constitutionem *Cum alias* Clementis X, sufficere videntur huius modi testimonia per litteras obtenta una cum responsis iuratis quae ipsi nupturientes parocho interroganti fecerint, praesertim sub iuramento, cum haec media informationis generatim habeantur tamquam satis tuta, neque per paucos casus in quibus fefellerint universim infirmentur. Attamen si in casu quodam specialis ratio dubitandi maneret, puta quia advena ille se prodidisset tamquam virum nequam et perfidum, non posset Iudocus assistere matrimonio antequam Ordinarium de hoc dubio consuluisset (n. 454. I). Idem dicendum si alienigena vagis accensendus esset ob defectum animi permanendi saltem per sex menses in loco in quo matrimonium inire cupiat (n. 450).

CASUS II

Cyrillo, parocho in magna civitate, in qua longe lateque serpit incredulitatis venenum, quandoque occurrunt nupturientes, praesertim masculini sexus, qui interrogationibus de rudimentis fidei respondere denegant, vel responsis suis manifestam incredulitatem produnt. Hinc dubitat interdum Cyrillus num huius modi superbos ignarosque homines ad matrimonium contrahendum admittere possit.

SOLUTIO. — Licet Cyrillo illas ignaras et superbas oves ad celebrandum matrimonium admittere. Etenim, etsi per se differendi sunt qui fidei rudimenta ignorant (n. 454, II), non est haec lex urgenda ubi iam non in aedificationem, sed in detrimentum cederet. Iam vero ita contingeret in casu : nam cum homines illi, incredulitatis veneno infecti, vix umquam parituri sint parocho monenti ut rudimenta fidei addiscant, iam nihil supperesset quam ut iis denegaret omnem assistentiam parochus. Sed inde orirentur matrimonia nulla et mere civilia, vel saltem eorum animus adhuc vehementius adversus sanctam religionem nostram exacerbaretur. Quam benignitatem menti Ecclesiae conformem esse, probari censemus e facultate quam S. Sedes tribuit assistendi matrimoniis massonum aliorumque ad impias sectas pertinentium (n. 463, III) : qui non solent rudimenta fidei cognoscere vel, si

ea cognoscunt, eadem contemnunt. Attamen, si per tempus licet, consulendus esset Ordinarius, vel sequenda esset regula generalis ab eo pro omnibus huius generis casibus statuta, sicut semper faciendum est ubi de libero-cogitatoribus vel massonibus agitur (n. 463). Neque facilius omittatur examen propterea quod mere praesumitur responsiones datum iri nullas a viro impio vel indifferenti : tales enim nonnumquam examinis huius curam foverunt.

CAPUT III

DE MATRIMONIO SECUNDUM SE

§ 1. DE CONSENSU AD MATRIMONIUM REQUISITO

CASUS I

Nicolaus coniugatus, dum negotiandi causa in regione longinqua versabatur, amore flagrare coepit in puellam quandam, Pulcheriam nomine. Ut eam sibi devinciret, simulavit se nullo matrimoniali vinculo ligatum esse, eamque in facie ecclesiae in uxorem duxit. Brevi post in patriam revocatus, audivit uxorem suam, quacum vix ullas relationes servaverat, obiisse antequam Pulcheriam duceret. Sed mox ditissima vidua, Agnes nomine, se obtulit ut defunctae uxoris locum sumeret : cuius personam ac divitias libentissime accepit Nicolaus.

SOLUTIO. — 1° Matrimonium inter Nicolaum et Pulcheriam invalidum fuit, ob defectum consensus veri (n. 457). Nicolaus enim, cum minime dubitaret quominus adhuc superstes foret legitima eius uxor, nihil aliud intendit quam ficto consensu assequi Pulcheriae consortium (Gury, Cas. II. n. 894).

2° Si casus solvendus esset antequam Nicolaus Agnetem sibi in forma legitima copulasset, ipse obligandus esset ut ab hoc matrimonio abstineret et verum consensum daret Pulcheriae : id enim erit solum medium compensandae iniuriae quam huic puellae intulit. Excipe, si forsan ipsa hoc ius suum implicite vel explicite remisisset, puta dum Nicolaum deseruisset ut alii viro adhaereret. Si vero iam contractum esset matrimonium cum Agnete, huic, tamquam legitimae uxori suae, adhaerere deberet Nicolaus. Nam nullum impedimentum huic matrimonio obstabat, ut patet e supra dictis. Neque hic censendus est ficte consensisse Nicolaus, cum minime potuerit firmiter existimasse se ligatum esse cum Pulcheria, ac proinde consensum dederit quantum potuerit (n. 469, VII). Manet tamen eidem obligatio reparandi, quatenus fieri potest, damni quod Pulcheriae fraude sua intulit : quare imprimis eam monere debet de nullitate matrimonii quod cum ipsa contrahere simulavit, et, si propter illam deceptionem iam nequeat reperire maritum tam bonum quam antea repperisset, defectum hunc pecunia data compensare ut iam aeque bene nubere possit ac si decepta non fuerit.

CASUS II

Vincentia, nuptiis cum Leopoldo celebratis, mox a coniuge suo animum avertit et ad sororem quandam suam confugit. Neque umquam ad Leopoldum se redituram esse testata est : quippe quem verum maritum suum non esse existimaret, cum non nisi ficte consensisset ut obsequeretur patri, qui plane volebat eam Leopoldo nubere.

SOLUTIO. — Re in se inspecta, matrimonium Vincentiae cum Leopoldo irritum fuit, si reapse, ut asserit, non nisi ficte consensit. Attamen, si secludimus hic casum quo metu impulsa fuisset Vincentia, ipsa tenebitur in conscientia ad consensum dandum, ut damnum Leopoldo per illam fictionem illatum reparet (n. 457). Quod si ad consensum verum praestandum nullatenus induci potuerit, debebit recurrere ad Ordinarium eiusque sententiae parere (n. 492, II). Cfr. Matharan, Cas. n. 74.

CASUS III

Paulinus, ubi cum Antonia sponsa sua coram parocho stetit, matrimonium celebraturus, haec tantum verba protulit : « Antonia, ego te in uxorem meam accipio ». Cui illa respondit : « Contenta sum quam maxime ». Postea vero dubitavit parochus num valeret matrimonium illud, cum nulla facta esset repromissio.

SOLUTIO. — Valet matrimonium Paulini cum Antonia. Haec enim, dum consensum Paulini acceptavit, implicite et suum dedit : nequit enim velle acquirere in Paulinum uxoris iura quin simul ei tribuat in se ipsam iura mariti, prout e natura contractus matrimonii liquet (n. 457). Aliter omnino res se habet ubi promittitur matrimonium postea celebrandum : nam praeter mutuam obligationem sponsalium, datur ius uni parti acquisitum e promissione acceptata alterius partis (n. 440). Cfr. Sanchez, Matr. l. 1. disp. 5. n. 6 ; Matharan, Cas. n. 79.

CASUS IV

Philippus et sponsa sua Ioanna cum sat magno comitatu se ad ecclesiam conferebant matrimonium inituri. Verum sat longum erat iter, neque solebat Philippus ullas cauponas praetergredi, etiam diebus multo minus sollemnibus quam diebus nuptiarum. Hinc contigit ut sponsa, quae his potationibus minus assueta erat, praeter modum hilaris in ecclesiam venerit : per totam caerimoniam iugiter ridebat et vix intellegibili voce respondebat. Hinc dubitare coepit parochus qui matrimonio astiterat num valide et licite eos coniunxisset.

SOLUTIO. — Licite et valide sponsos coniunxisse videtur parochus. Etenim illa impotentia cohibendi risus, quamquam e liquoris inebriantis copia proveniebat, non necessario denotat illam proprie dictam semi-ebrietatem, in qua quis nullius consen-

sus plene deliberati capax est : sic potest eadem impotentia ex aliis commotionibus nerveis oriri, in quibus tamen dubium nullum est quin maneat plena libertas. Huic interpretationi etiam favet haec circumstantia quod Ioanna sat fideliter, quamquam minus distincte, verba a parocho suggesta repetierit. Hic ergo bene egit dum eam ad matrimonium celebrandum admisit potius quam reppulerit (sicut certe debuisset, si alterutram partem in manifesta ebrietate, et proinde contrahendi incapacem deprehendisset) : non est enim tanta contumelia nupturientibus inferenda nisi de eorum indignitate prorsus constet. Attamen ne forte matrimonium reapse propter defectum consensus maneret irritum (n. 457), interroganda esset Ioanna, quando ad solitam tranquillitatem rediisset, num plenam actus sui conscientiam habuerit dum nuptiae celebrabantur. Quod si post audita responsa dubium manet parocho, iubeat eam consensum privatim renovare (n. 535). Cfr. Matharan, Cas. n. 78.

CASUS V

In quadam missione mos viget inter infideles ut matrimonia celebrentur quibusdam publicis caerimoniis, qualis est publicatio matrimonii coram omnibus pagi incolis et traductio nurus in domum socrus suae, in quibus tamen nullibi appareat expressus nupturientium consensus. Atque eadem ratione nonnumquam copulantur baptizati seu ob absentiam sacerdotis, seu ob religionis incuriam. Hinc dubium ortum est Missionariis de valore talium nuptiarum et de modo quem cum huius modi hominibus conversis vel ad confitendum accedentibus tenere debeant.

SOLUTIO. — Non est ambigendum de valore horum matrimoniorum, si iam consummata sunt. Si vero nondum consummatum est matrimonium, videndum num in his caerimoniis vir et mulier, vel aliquis de expresso eorum mandato consensum verbis aliisve signis praestiterit. Si vero nullus huius modi consensus praestitus fuerit, ulterius videndum num forsan quaedam ex illis caerimoniis earumve complexus, ob significationem quam usus gentis iis dederit, certum indicat argumentum consensus ab utraque parte matrimonio dati. Quod si res dubia remanet, renovandus erit consensus ad cautelam (n. 535).

CASUS VI

Dum nuptiae celebrabantur inter Paschasium et Luciam sponsa adeo commota est ut, cum parochus eam rogasset num illum praesentem virum in coniugem acciperet, solis lacrimis responderit. Tunc mater Luciae pro filia sua « Affirmative » respondit : quod reapse internis puellae dispositionibus conforme erat. Sed postea parochus dubitare coepit num huius modi consensus validus foret.

SOLUTIO. — Iuxta communiorem sententiam (S. Alph. l. 6. n. 887) valet matrimonium Luciae, quia in matrimonio contrahendo aeque atque in sponsalibus (n. 440) valide contrahunt parentes pro liberis praesentibus et silentibus, modo hi interne assentiantur. Intrinsece tamen probabilior videtur sententia opposita (Schmalzgr. in l. 1 Decr. t. 1. n. 246 seq. ; Matharan, Cas. n. 81). Quod enim de sponsalibus a Iure statuitur, est aliquid extraordinarium, quod ad matrimonium extendendum non est sine positivo textu, qui desideratur. Accedit dissimilitudo inter utrumque contractum, quia matrimonium est prorsus indissolubile, sponsalia vero facile solvuntur : unde minus aequum est pro matrimonio quam pro sponsalibus valere consensum parentum, silentibus liberis. Igitur si nullum aliud signum consensus datum est, iuvabit, saltem ad plenam securitatem, iubere Luciam ut consensum iteret. Sed saepe haec cura superflua erit, quia aliis signis expressus erit consensus, puta nutu capitis (n. 457) vel etiam, iuxta decisionem S. C. C. 22 nov. 1865, anuli nuptialis acceptatione (D'Annib. t. III. n. 443, nota 5).

CASUS VII

Stephanus, incola loci in quo decretum *Tametsi* publicatum non est, copulam affectu maritali cum Aemilia sponsa sua habuit. Postea vero, ad aliam paroeciam digressus, matrimonium iniit cum Valentina coram parocho et testibus. Quod cum audisset Aemilia, Stephanum apud Ordinarium accusavit quasi datam fidem abiecisset. Sed Ordina-

rius, cui probari non potuit copula affectu maritali habita cum Aemilia, Stephanum iussit Valentinae convivere.

SOLUTIO. — Valide coniunctus est Stephanus Aemiliae, siquidem per copulam affectu maritali habitam exprimitur consensus seu hoc ipso momento dandus seu antea datus. Itaque Stephanus nullatenus cohabitare potest Valentinae, cum in foro conscientiae certum sit eam non esse eius legitimam uxorem. Quare cum debita reverentia deprecari debet Ordinarium ne eum ad rem illicitam obliget. Neque huic solutioni obstat decretum Leonis XIII 15 febr. 1892 (n. 445, VI) quippe quo sublata sit tantum praesumptio iuris et de iure quae e copula post sponsalia habita oriebatur ; minime vero impedivit quominus sponsi per copulam voluntatem suam ineundi matrimonii exprimant (Matharan, Cas. n. 85).

CASUS VIII

Anastasia, cuius pater in longinqua regione versabatur, coram Ildephonso parocho matrimonium inibat cum Adriano. Stupens vero audivit sponsum suo consensui addere hanc condicionem : « Si pater tuus consensum praestet tibique in dotem triginta fr. milia largiatur ». Protestatus est primum parochus contra adiectam condicionem, sed mox, cum iam praegnans esset sponsa et sponsus nullatenus vellet contrahere absolute, permisit ut procederetur, ne maiora mala orirentur. Laeti Adrianus et Anastasia, nocte sequenti, copulam habuerunt, quia pro certo habebant consensum patris in dotem et matrimonium secuturum esse, sicut reapse contingit.

SOLUTIO. — 1° Laudandus parochus, tum quod conatus est impedire ne condiciones matrimonio apponerentur, tum quod easdem permisit, ubi intellexit eas esse necessario tolerandas ne sequerentur mala maiora, puta impraegnatae mulieris desertio vel coniunctio mere civilis (n. 458, II). Cfr. Rosset, de Sacr. Matr. I. n. 179.

2° Graviter peccant Adrianus et Anastasia, copula habita ante-

quam purificata sit condicio apposita, cum se periculo fornicationis exponant (n. 458, III). Ubi vero consensus a patre datus erit, matrimonium valebit absque ullo novo consensu.

CASUS IX

Lampridia, quae Ursicino viro incredulo nupsit, narrat Sigismundo confessario suo maritum suum, paucis diebus antequam contraherent, secum iniisse pactum ut, si comperirent se pacifice convivere non posse, divortium a tribunali civili peterent et utrimque liberi alias nuptias appeterent ; nunc autem maxime optare se, si fieri posset, ab hoc viro, quem iam ob impietatem suam detestetur, separari.

SOLUTIO. — Si plane vera sunt quae exposuit Lampridia, irritum est eius matrimonium cum Ursicino : contractum enim est non tantum cum errore concomitante de facultate divortii instituendi iuxta leges civiles, sed cum vero pacto solvendi matrimonii in quibusdam adiunctis, et manifeste quoad ipsum vinculum, si quidem convenerunt contrahentes se liberos fore ineundis aliis nuptiis (n. 459). Sed alias nuptias appetere non licet Lampridiae antequam casum ad Ordinarium detulerit et ab eo sententiam nullitati faventem obtinuerit (n. 492, II). Interim vero deberet abstinere a debito seu petendo seu reddendo, si morali certitudine constaret verum pactum huius modi fuisse matrimonio adiectum ; si vero res dubia foret, posset saltem debitum reddere petenti (n. 493, IV). Ob plurimas difficultates quas uxor habitura est in probando pacto et, si non potuerit probare ac nihilo minus moraliter certa fuerit Ursicinum non esse verum coniugem suum, in servanda abstinentia a copula coniugali, praestaret eam in bona fide relinquere si matrimonii nullitatem ignoraret neque de ea directe interrogaret.

CASUS X

Bertha, cum a confessario suo Sergio increparetur de consuetudine onanismi coniugalis, respondit maritum suum Constantinum, antequam contraherent, pluries ab ea postu-

lasse num ita contrahere vellet ut, cum duos liberos suscepissent, copulam onanistice peragerent, seque in eam rem consensisse. His auditis, Sergius timere coepit ne matrimonium invalide iniissent Bertha et Constantinus.

SOLUTIO. — Inanis videtur Sergii timor. Praesumendum enim est coniuges hac conventione nihil aliud intendisse quam determinasse modum agendi quem, post contractum verum matrimonium, mutuo consensu tenerent, minime vero voluisse recusare perpetuam obligationem copulae ad generationem aptae, aut saltem praeponderasse huic pacto voluntatem absolutam veri matrimonii contrahendi. Dubium tamen aliquod de contrahentium voluntate manere potest. Quare si Constantinus esset bene dispositus, Bertha eum inducere deberet ad consensum in verum matrimonium dandum (qui optime stare potest cum proposito pergendi in praxi onanismi coniugalis). Si vero nulla spes est eum adducendi ad consensum renovandum vel si ex hac postulatione timerentur gravia damna, liceret Berthae in petendo et reddendo debito pergere (n. 493, IV). Plerumque praestabit eam in bona fide relinquere, prout docet S. Off. in Instr. ad Vic. Ap. Ocean. centralis 18 dec. 1872 (Coll. P. F. n. 1300).

CASUS XI

Bernardina in Transylvania inter haereticos nata est et matrimonium inivit. Ad fidem catholicam conversa, dubitat num valide nupserit. Existimant enim communiter illorum locorum haeretici matrimonium in casu adulterii solvi quod ad vinculum. Ideo minister in caerimonia nuptiali praelegit textum S. Matth. (XIX, 9) : « Dico autem vobis quia quicumque dimiserit uxorem suam, nisi ob fornicationem, etc., » quo hunc errorem fulciri putant et contracturi admonentur de consensu suo restringendo. Post consensum utrimque editum, perdurante eodem ritu, ab ipsis iuramentum exigitur, quo sibi mutuam fidelitatem promittunt quam diu altera pars in honestate perstiterit.

SOLUTIO. — Irritum est matrimonium Bernardinae : continet enim condicionem perpetuitati vinculi coniugalis contrariam.

(n. 459). Dupliciter enim effertur in ipso pacto matrimoniali condicio illa : primum, per publicam illam textus S. Matthaei lectionem, quae inter haereticos huius modi errore imbutos, publice manifestat qua mente consensum matrimonialem praestare intendant ; iterum significatur iuramento addito. Ut enim habemus in Instr. quam S. Off. 6 apr. 1843 ad Vic. Ap. Ocean. dedit (Coll. P. F. n. 1291) : " Solum iuramentum, ut supra emissum in ipso ritu contractus, sufficit ad matrimonium irritandum. „ Attamen, antequam Bernardina ad alias nuptias contrahendas admitteretur, petendum esset ab Ordinario ut huius modi matrimonium nullum fuisse declararet.

CASUS XII

Zoila, mulier infidelis, quae veram fidem amplecti cupiebat, ab aliquot annis iuncta erat Pythio, pariter infideli. Sed de eius condicione plurimum dubitabat Gregorius missionarius qui eam ad baptismum praeparabat. Viget enim mos in illa regione ut viri coemptas feminas sibi copulent potius experimenti quam perpetuae societatis intuitu : quare, si displicet mulier, non servatur nisi quam diu vir meliorem invenerit.

SOLUTIO. — Nefas est ob illam consuetudinem infidelium omnes coniunctiones infidelium in illa regione habere tamquam mere fornicarias : si enim saepe stabilis fit unio quae per modum experimenti coepta erat, hoc signum est non omnem cognitionem verae societatis coniugalis a mente illorum barbarorum excidisse. Quare, ut S. Off. 9 dec. 1874 episcopum S. Alberti monuit (Coll. P. F. n. 1301) : " In singulis casibus instituendum est examen circumstantiarum et modi quo coniugium *primitus* fuerit initum, tum eius diuturnitatis aliorumque adiunctorem quae accesserint. „ Interroganda igitur erit Zoila quae fuerit mens eius et mens Pythii ubi coniungi coeperunt. Quod si (ut probabilissimum est) utraque vel saltem alterutra pars merum experimentum facere voluerit, ulterius videndum num forsan per cohabitationem quae iam aliquot annos duravit experimentum certo vel saltem probabiliter in legitimum matrimonium transierit, dum iam consenserint in perpetuam coniunctionem. Igitur si probabile est matrimonium verum iam

valere, neque e consortio infidelis immineat periculum perversionis, mulier iubeatur, caute et ita ut non sit periculum ne a bona fide excidat, assequi ut vir declaret se eam habere ut veram coniugem, et ipsa idem declarare. Quod si in tali declaratione obtinenda pericula timeantur et mulier sit in bona fide, in eadem relinquatur, secluso scandalo, iubeaturque allaborare conversioni mariti infidelis : quod si obtigerit, libere poterunt postea consensum, occasione benedictionis nuptialis, renovare. Sed videndum est num forsan coniunctio legitima inter Zoilam et Pythium impossibilis sit, quia alterutra pars iam alias nuptias, nondum morte solutas, inierit. Hanc solutionem videsis fuse propositam in cit. Instr. S. Officii.

§ 3. DE UNITATE MATRIMONII

CASUS I

Titianus et Florinus fratres pagani eadem die, iuxta morem regionis non infrequentem, nuptias cum eadem muliere Lina celebrarant. Mortuo Titiano, Florinus Linam dereliquit ut Leam duceret. Sed mox ipse quoque a Lea, alias nuptias appetente, deseritur. Aliquot elapsis annis, tum Lina, tum Florinus baptismum petunt ; Lina autem contendit se esse legitimam uxorem Florini ad quem Lea redire prorsus recusat.

SOLUTIO. — Ut pateat num Lina sit legitima Florini uxor, videndum num valide contraxerint sive ante, sive post Titiani mortem. Probabilius nullum fuit matrimonium inter eos ab initio contractum : nam probabilius est utrumque fratrem simul externa signa consensus dedisse, ac proinde attentasse rem de iure naturae nullam (n. 461, I). Matrimonium valeret tantum si Florinus ante Titianum consensum suum expressisset atque Linae repromissionem accepisset. Quod si ab initio nullum fuit inter eos matrimonium, parum veri simile est illud, post Titiani mortem, convaluisse. Ad hoc enim necessarium erat ut nullitatem prioris matrimonii cognoscerent Florinus et Lina, atque iterum in illud consentirent.

(n. 537). Iam vero talis cognitio in ethnicis rudibusque hominibus parum veri similis est. Quare valde probabiliter concludendum erit Florinum esse legitimum Leae coniugem. Attamen cum Lea recuset ei cohabitare, integrum erit Florino, postquam baptismum suscepit, contrahere cum ea vel cum qualibet alia muliere catholica (n. 559, II). Cfr. Matharan, Cas. n. 95).

CASUS II

Marsala, ethnicus adulescens, ubi in principem populi sui electus est, pro more barbarae regionis, plures accepit mulieres, quae ei paucorum dierum intervallo simul traditae sunt ; nullam vero accepit prae aliis cum speciali titulo et dignitate uxoris. Postea vero, dum una ex illis mulieribus baptismum susceptura erat, dubitavit missionarius num legitima Marsalae uxor foret.

SOLUTIO. — Nullum exstitit matrimonium inter illam mulierem et Marsalam. Nam, cum plures illae mulieres adulescenti tamquam populi capiti traditae fuerint per modum unius, non potuit eas omnes simul valide ducere, siquidem polygamia etiam inter infideles repugnat (n. 461, II), neque unam ex iis ducere potuit, quia nullum signum huius determinationis ad unam datum est, cum tamen matrimonium inter personas indeterminatas consistere nequeat (n. 457). In hunc sensum respondit S. Off. 3 apr. 1889 Vic. Apost. Victoriae Nyanzae (Coll. P. F. n. 1303).

§ 3. DE LICITA CELEBRATIONE MATRIMONII

CASUS I

Venantius parochus, in dioecesi cuius statutis praescribitur nupturientibus confessio sacramentalis, assistentiam suam denegavit matrimonio Petri et Sophiae, qui iam dudum in concubinatu vivebant et matrimonium inire cupiebant, confiteri vero prorsus recusabant. Pariter schedulam con-

fessionis denegavit Macario, qui ad eum in sede confessionum adiit, sed declaravit se accedere tantum ut schedulam confessionis, parocho suo exhibendam, obtineret.

SOLUTIO. — 1° Regulariter probanda non est recusatio Venantii, nolentis interesse matrimonio Petri et Sophiae : plerumque enim ex ea agendi ratione sequentur mala maiora, potissimum in locis in quibus invalida sunt matrimonia clandestina, Status vero matrimoniis mere civiliter contractis omnia legitimi matrimonii iura concedunt (n. 463, III). Neque aliter dicendum ob legem dioecesanam : haec enim non erat urgenda ubi in spirituale detrimentum cessura esset (n. 462). Iam vero, si Petrus et Sophia legitimo matrimonio unientur, plerumque, etiamsi non statim ad meliorem frugem redeunt, sternitur via secuturae conversioni, et tollitur scandalum numquam non oriundum e publico concubinatu. Attamen cum publici peccatores essent Petrus et Sophia, Venantius conari debebat, quatenus poterat, ut eos ad confessionem instituendam adduceret. Si tamen moraliter certum erat (ut cum multis huius modi hominibus contingit, ubi fides valde languet) eos minime obtemperaturos esse, praestabat adhortari quam praeceptum denuntiare : ne peccatum materiale formale fieret (1).

2° Per se laudandus est Venantius quod schedulam confessionis denegavit : quippe quam Macarius sine ullo iure petebat (n. 390, VI). Verum quidem est Macarium, si peccator occultus erat, potuisse eadem schedula donari sine gravi incommodo, cum etiam nulla data schedula ad sacramentum matrimonii certo admittendus esset (n. 462, I). Quare, si gravis quaedam causa, puta timor gravis

(1) S. C. de P. F. 17 apr. 1820 episcopo Quebecensi, quaerenti : " Quid agendum cum pravis iis catholicis, qui renuunt peccata confiteri priusquam ad matrimonium accedant „, respondit : " Si catholici de quibus in dubio sint vere publici peccatores, non sunt admittendi, nisi parochus ex causis vere gravibus excusari possit, quae recensentur penes probatos auctores quos consulat. Si sunt peccatores occulti, praemissa salutari admonitione, etiamsi peccata sua confiteri recusaverint, non sunt a matrimonio excludendi „ (Coll. P. F. n. 197, in nota). In priore huius responsi parte S. C. de P. F. respondet iuxta sententiam S. Alphonsi, quam dedimus Inst. Mor. Vol. II. n. 463, III. Attamen cum S. C. de P. F. soleat huius modi dubia theoretica dirimere solutione practica potius quam sententia decretoria et speculativa, non est propterea dimittenda probabilitas sententiae quam cum Lugo et Ball. P. ibidem propugnavimus : per se posse universe assistere parochum matrimonio peccatoris publici, qui non sit excommunicatus vitandus.

damni ab homine irato ob huius modi recusationem, id posceret, censemus eam dari posse, cum ita habeatur ratio sufficiens huius sat levis cooperationis ad malam sacramentorum receptionem. Attamen, generatim haec concessio plura incommoda involvit. Etenim quasi ludibrio habetur confessarius ab eo qui, praefracte confiteri recusans, nihilo minus testimonium peractae confessionis postulat : praesertim si eam quasi iure suo poscat. Deinde, praestat ut is ad quem pertinet assistere Macarii matrimonio sciat qualem se exhibeat nupturiens. Si enim peccator publicus est Macarius, ad parochum proprium spectat discernere quatenus et qua ratione eius matrimonio assistere debeat : data vero schedula, idem parochus inducitur in errorem invincibilem, dum putat Macarium ad sacramenta accessisse paenitentem.

CASUS II

Rosina ex insigni familia catholica oriunda Cleonti, libero-cogitatori, in quem insano amore ferebatur, nubere statuit. Quod consilium cum aperuisset Theophilo, parocho simul ac confessario suo, hic declaravit eam graviter peccaturam esse si tale matrimonium iniret. Perstitit nihilo minus in proposito suo temeraria puella atque absolutionem a benigniore quodam confessario obtinuit. Ubi vero matrimonium celebrandum erat, Theophilus conatus est efficere ut absque Missa infaustae nuptae fierent. Sed cum maxima qua poterant pompa coniungi vellent nupturientes et multa officia praestitissent paroeciae Rosinae parentes, lugenti animo Missam nuptialem celebravit.

SOLUTIO. — Laudandus Theophilus quod Rosinae denuntiaverit gravem obligationem abstinendi a matrimonio cum Cleonte si (ut valde veri simile est) e talibus nuptiis proximum periculum fidei uxoris et catholicae educationi prolis suscipiendae imminebat. Fatendum est exiguam spem affulgere retrahendi puellas a nuptiis quas flagranti desiderio appetunt. Sed ubi non unius peccati mortalis periculum,verum etiam ipsius fidei eversio et futurae prolis corruptio timenda sunt, ut plerumque fit ubi puella viro qui fidem prorsus abiecit coniungitur et fere certo, ob praevalentem

illius intellectum et institutionem, iisdem erroribus sensim imbuetur, etiam cum exigua spe monitio facienda est. Neque ab ea monitione abstinendum ducimus, ne forte a bona fide deturbetur puella. Nam, etiamsi id contingeret, exiguum malum hoc videri potest prae damno perpetuo et irreparabili quod sacerdos impedire conatur. Deinde, plerumque aliqua bona fide excusabitur puella, saltem a gravi peccato, quia, ob caecum amorem, putabit augeri praeter veritatem sponsi incredulitatem, vel etiam ab eo, errores suos velante, decipietur, vel etiam sibimet ipsi nimis confisa existimabit se facile eius sophismata detecturam esse : ne dicam de spe, qua sibi fucum faciant nonnullae puellae piae, maritum ad fidem reducendi. Quare non semper damnandus esset alius confessarius qui, cum videret iam frustra omnia media adhibita fuisse ad matrimonium impediendum, absolutionem saltem sub condicione daret nupturienti.

2° Non est vituperandus Theophilus quod sollemniter, etiam cum Missae celebratione, nuptiis Rosinae cum Cleonte benedixerit, si huius incredulitas non est omnino publici iuris, quamvis iis qui melius eum norint plane perspecta sit. Etenim recursus ad Ordinarium et assistentia mere passiva, quae a S. Sede praescribuntur ubi altera pars fidem abiecit, non sunt imponenda nisi hoc delictum sit omnino notorium : secus enim parochi molesta indagatione adstringerentur, et saepe perperam, cum multorum offensione et scandalo, solitos honores nuptiarum denegarent. Sed si publici iuris est Cleontem vere libero-cogitatorem esse et omnem respuere religionem, Theophilus id propria auctoritate praestare prohibetur. Debet igitur recurrere ad Ordinarium : qui iudicabit num aliqua moralis necessitas cogat ad indulgendum aliquid amplius quam mere passivam parochi assistentiam (n. 463).

CASUS III

Albinus dolens cernit, in paroecia ad quam nuper nominatus est, fere numquam ullos nupturientes petere benedictionem nuptialem sub Missa, multos etiam post meridiem ad contrahendum accedere. Hinc dubitare coepit utrum hunc morem tolerare an exstirpare deberet.

SOLUTIO. — Ecclesiasticis ritibus profecto adversatur ipsum usum benedictionis nuptialis, sub Missa accipiendae, a populo

fideli exsulare. Albinus ergo, ad quem pertinet christianos usus in paroecia sua servare vel instaurare, aptis mediis uti debet ut consuetudinem recipiendae benedictionis nuptialis sub Sacro iterum introducat. Notandum etiam posse hanc Missam alii intentioni applicari : ne forte stipendii dandi onere deterreantur nupturientes (n. 234, XIII). Attamen nefas esset Albinum ullis fidelibus strictam obligationem imponere huius modi benedictionis accipiendae, cum ipsa Ecclesia eos tantum hortetur ut eandem petant (n. 464, IV).

CASUS IV

Thomas missionarius duos infideles matrimonio iunctos, impositis nominibus Petri et Mariae, baptizaverat. Dubitavit vero num iidem iubendi essent consensum suum renovare vel nuptialem benedictionem recipere. Dubium auxit quod mulier, cum Petro nupsit, iam vidua erat.

SOLUTIO. — 1° Petrus et Maria hortandi sunt ut benedictionem nuptialem petant, sicut et fideles qui matrimonium ineunt. De hoc enim casu interrogata, respondit S. Inqu. 20 iun. 1860 (Coll. P. F. n. 1557) : " Coniuges infideles, si fideles facti sint, optime facere si Ecclesiae benedictiones recipiunt, adstringi tamen ad id non dèbere. „ Ratio est : probabilius eorum matrimonium per baptismi susceptionem evadere sacramentum proprie dictum (n. 456, III). Attamen, ne ipsi vel alii in errorem inducantur, illis significandum est " benedictionem ipsam ad ritum et sollemnitatem, non vero ad substantiam et validitatem pertinere coniugii „ (S. Off. 31 aug. 1881 ; Coll. P. F. n, 1560).

2° Nihil officit quod mulier vidua fuerit antequam Petro nuberet, prout respondit S. Off. 1 febr. 1871. Benedictionem enim excludit non factum viduitatis vel corruptionis, sed benedictio nuptialis iam antea ab eadem muliere accepta (n. 464, IV).

CAPUT IV

DE IMPEDIMENTIS MATRIMONII

§ 1. DE IMPEDIMENTIS IN GENERE

CASUS I

Samuel et Sara Iudaei, in Gallia commorantes, matrimonium iuxta sectae suae mores contraxerant, minime vero coram magistratu civili comparuerant. Post aliquot annos, ambo Ecclesiam catholicam, suscepto baptismo, ingressi sunt. Verum cum parum feliciter cohabitassent, rogaverunt Clodoaldum sacerdotem a quo baptizati essent, num sibi liceret ab invicem discedere novasque nuptias appetere.

SOLUTIO. — Censemus id probabiliter licitum esse neophytis illis. Etenim cum matrimonium contraxerint nondum baptizati, saltem probabilius suberant impedimentis quae a lege civili ponuntur (n. 467, III). Iam vero inter impedimenta C. C. Gallici (perinde ac multorum aliorum Codicum recentiorum) recensetur defectus celebrationis coram civili magistratu (C. C. a 165). Et quamquam nullo claro textu civilis Codicis pronuntiatur matrimonium coram alio quam civili magistratu celebratum non tantum irritari posse a tribunalibus, sed esse pleno iure nullum, communis tamen sententia Iurisperitorum (1) tenent matrimonium quod coram civili magistratu contractum non fuerit perinde esse ac si non exsisteret, quia forma dat esse rei, forma vero matrimonii est celebratio coram publico magistratu. Nihilo minus dubium manere potest utrum civilis legislatoris voluntas fuerit ipsum etiam naturaliter

(1) Cfr. Aubry et Rau. *Cours de Droit civil français*, t. V, p. 5 seqq.; Baudry-Lacantinerie, *Précis de Droit civil*, t. I, p. 300 seqq.

validum contractum matrimonii hoc quasi clandestinitatis impedimento apposito irritare, an tantum quoslibet civiles effectus eidem denegare. Cfr. dicta Vol. I. Inst. Theol. n. 594 de quibuslibet contractibus qui a civili iure hodierno dicuntur nulli. Quare, si huius modi casus contingeret, recurrendum foret ad Ordinarium antequam matrimonii dissolutio permitteretur.

CASUS II

Polydorus et Estella, in Belgio viventes sed non baptizati, matrimonium coram publico magistratu sollemniter contraxerant. Verum brevi post Polydorus a tribunali civili petiit obtinuitque ut matrimonium irritaretur ob defectum consensus quem a parentibus suis obtinere debuisset. Post aliquot annos, Estella baptismum recepit et, cum alias nuptias inire cuperet, parochum suum rogavit num a quolibet vinculo cum Polydoro libera esset.

SOLUTIO. — Opinamur Estellam adhuc valide coniunctam manere cum Polydoro, si nullum impedimentum iuris naturalis eorum matrimonio contrahendo obstitit, ac proinde applicanda esse quae de divortio in casu Apostoli sancita sunt (n. 559). Etenim defectus consensus ascendentium, iuxta probabiliorem interpretationem Codicis Napoleonici (1), non impedit quominus matrimonium valide ineatur effectusque suos producat, sed tantum rationem suppeditat ob quam a tribunali irritari queat. Iam vero, hac interpretatione admissa, legislator civilis consensus illius defectum minime apposuit tamquam impedimentum vere dirimens, sed tantum sibi vindicavit potestatem irritandi matrimonii, si ii ad quos pertinet irritationem petierint. Sed nullam huius modi potestatem inesse principibus civilibus erga matrimonium, etiam mere ratum, infidelium, certum est (n. 559, I). Sententia igitur tribunalium civilium nullum alium effectum moralem habere potest quam ut iuridicos effectus matrimonii civilis auferat. Atque idem dicendum erit de plerisque aliis impedimentis iuris nostri civilis, puta de defectu aetatis legitimae, de consanguinitate vel affinitate, etc. Fatendum est alios Iurisperitos, praesertim paulo antiquiores,

(1) Cfr. Aubry et Rau, l. cit. p. 6 ; Baudry-Lacantinerie, l. cit. n. 497.

non statuisse discrimen illud inter impedimenta ob quae matrimonium non exsisteret et ea ob quae irritum seu potius irritationi obnoxium foret, neque illud discrimen clare in C. C. exprimi. Quare etiam Theologi qui nobiscum sentiunt posse principem civilem impedimenta apponere matrimonio infidelium, opinati sunt matrimonia cum impedimento aetatis, dissensus parentum etc. contracta, ubi viget Ius Napoleonicum, esse irrita. Cfr. Matharan, Cas, Consc. n. 181. Quare, si casus contingeret, posset aliquis inniti probabilitati huius alterius sententiae, in favorem fidei, ut Estellae facultatem novi matrimonii ineundi agnosceret (n. 467, III).

CASUS III

Parmenon, missionarius, in quodam oppido repperit plures familias christianas quae, cum a pluribus annis nullius sacerdotis curae commissae fuissent, plura matrimonia inter se cum impedimentis consanguinitatis affinitatisque optima fide contraxerant. Iussit igitur omnes qui a discessu ultimi missionarii, nempe a duodecim annis, matrimonium inierant, certa quadam die in ecclesiam convenire et consensum, saltem ad cautelam, renovare.

SOLUTIO. — Matrimonia illa reapse sunt irrita (n. 467, IV). Nihilo minus imprudenter egit Parmenon dum ita omnes fideles a duodecim annis coniunctos publice monuit de matrimonii invaliditate deque consensus renovatione facienda : timendum enim est ne quidam, hac notitia habita, ab invicem discedere velint cum magno utriusque et susceptae prolis damno. Multo maiore prudentia usa est Congr. S. Officii, ubi de huius modi casu, qui frequenter inter Christianos Iapanenses, durante saeculari persecutione, contigerat, interrogata est. Etenim 11 martii 1868 (Coll. P. F. n. 1226) recusavit sententiam ferre de valore talium matrimoniorum : quae a quibusdam valere dicebantur ob consensum praesumptum Ecclesiae, ubi ignorantia illorum impedimentorum erat universalis. Rem practice compositura, iussit Vicarium Apost. silere cum iis qui in bona fide erant ; cum ceteris dispensare in forma ordinaria vel, si necessarium foret et consensus perseveraret, etiam in radice ; in casibus vero difficilioribus, ad S. Sedem recurrere. Hanc igitur

normam sequi debebat Parmenon et praesertim cavere a quadam dispositione generali in qua nulla ratio haberetur utilitatis fidelium in singulis matrimoniis iam contractis.

CASUS IV

Ad Theophanem confessarium Regularem sub vesperum accedunt Stephanus et Stephania. E confessione Stephani audit Theophanes eos sequenti die matrimonium contracturos esse, sponsum vero copulam habuisse cum sponsae sorore. Rogat igitur paenitentem num haec culpa innotuisset parocho : eam plane occultam esse respondet Stephanus. Hinc utrumque in bona fide et casu perplexo versari opinatus Theophanes, altum silentium de latente impedimento servavit.

SOLUTIO. — Stephanus et Stephania nondum versantur in iis rerum angustiis quas casum perplexum vocant Theologi (n. 468, V). Plerumque enim aderit medium quo necessaria dispensatio obtineatur antequam matrimonium contrahatur vel saltem brevi post. Si enim iussisset Theophanes Stephanum eadem die adire ad parochum et copulam habitam fateri, hic, pro ea quae hodie viget commeatuum celeritate, plerumque potuisset facultatem obtinere ab Ordinario vel ab alio viro ecclesiastico quocum dispensandi potestatem Ordinarius communicasset. Atque hanc monitionem faciendam esse liquet tum e reverentia sacramento debita, ne invalide suscipiatur, tum e caritate erga paenitentem, ne in magnas molestias incidat si contracti iam matrimonii nullitatem postea forsan suspicetur. Theophanis silentium probari posset tantum si monitio non videretur profutura, puta quia paenitens tam tepidus in rebus conscientiae curandis videretur ut confessarius merito timeret ne parochum adire crimenque admissum fateri detrectaret : ita enim monitio nullitati matrimonii peccatum formale superadderet. Idem dicendum si Theophanes sciret ea esse adiuncta ut nullatenus iam, antequam matrimonium celebraretur, dispensatio obtineri posset : in hac enim hypothesi verum casum perplexum haberemus. Integrum quoque esset Theophani recurrere ad Ordinarium per se ipsum et iubere Stephanum (n. 532, 8°)

ut ad se rediret primo tempore quo praevideret se opportuna facultate instructum iri. Attamen non putamus eum teneri ad hanc caritatem exercendam. Satisfacit enim officio suo si paenitentem monet de obligatione in qua versatur fatendi impedimenti parocho qui examen de impedimentis instituit (n 454, I). Atque etiam si hominem monere non potest, non videtur obligari ad suscipiendum negotium saepe molestum petendae et exsequendae dispensationis, cum haec obligatio neque ex officio suscepto, neque e gravi necessitate nupturientium demonstrari queat.

CASUS V

Lucia nupta Sebastiano, viro libidinoso atque a religione fere penitus alieno, post unum annum detexit suum matrimonium ob quartum consanguinitatis gradum fuisse irritum. Iubente confessario, maritum suum, ubi hic debitum petiit, monuit se a copula reddenda abstinere debere donec assequeretur dispensationem. Verum, ubi ita libidinem suam impediri vidit, Sebastianus tanta ira correptus est tamque atroces minas eructavit, ut Lucia, iam non ausa resistere, copulae consenserit.

SOLUTIO. — Imprudenter egit confessarius si Luciam non monuit de dispensatione quam citissime petenda, ne in huius modi angustias incideret. Nam, cum matrimonio obstaret impedimentum in quo facillime obtineri posset dispensatio, si Lucia statim per confessarium vel parochum ad Ordinarium recurrisset, seu per litteras, seu per telegraphum, brevi illius impedimenti relaxationem assecuta esset. Sed quid dicendum de eius consensu in copulam ad quam minis mariti sui adigebatur ? Re in se spectata, censemus Luciam non peccasse, si vere ob violentam mariti indolem timendum erat ne a verbis ad graves saevitias veniret ; secus dicendum, si coniux satis praevideret nullum grave malum timendum esse et minas in ventum abituras esse (n. 468). Si vero factum concrete sumimus, Lucia dicenda erit a peccato immunis si existimavit in tantis angustiis iam evanescere denegandae copulae obligationem vel si metus eius mentem penitus perturbavit ; peccavit, si metu mali inferendi acquievit marito contra conscientiae suae dictamen, quamquam metus aliquatenus eius reatum minuit (Vol. I. n. 29).

CASUS VI

Cyriacus Afram ducere cupiebat : quam consobrinam suam esse e relatione vetulae cuiusdam, in genealogiis loci peritissimae, audierat. Sed ubi casum iudicio Luciani parochi summisit, frustra ambo desudarunt ut determinarent utrum in quarto an in quinto gradu consanguinei forent nupturientes. Quin etiam patuit dubium illud solvi non posse quia publica regesta, e quibus patuisset, incendio perierant. Tunc graviter, oraculi instar, pronuntiavit parochus : « Facta non sunt praesumenda, sed probanda : igitur, cum non constet de impedimento, libere matrimonium inite. »

SOLUTIO. — Fallax oraculum edidit Lucianus. Dubium enim facti de impedimento etiam ecclesiastico (ut in casu habebatur) spernere non licet, etiamsi est insolubile (n. 469, VI). Supponimus tamen agi de dubio quod solida ratione innitatur, prout ex adiunctis casus colligere est : si quidem de aliqua consanguinitate inter Cyriacum et Afram constabat et de gradu tantum dubium vertebatur. Secus dicendum foret, si dubium de impedimento leve foret, utputa si nullo alio fundamento niteretur quam verbis garrulae cuiusdam mulieris vel iam repuerascentis vetulae.

CASUS VII

Ulricus, in officiis religiosis tepidissimus, cum Iosephinam ducturus esset, ad confitendum accessit, potius ut sponsae placeret quam ut cum Deo reconciliaretur. Ubi copulam cum Iosephinae sorore habitam fassus est, a Ioviniano confessario iussus est rem aperire parocho ut dispensationem assequeretur ; secus, matrimonium irritum fore. Nimium hoc onus reputans, Ulricus Iosephinam absque ulla dispensatione duxit. Postea vero, ad meliorem frugem reversus, Ianuarium confessarium rogavit num ini-

tum matrimonium valeret. Hic autem, re bene perpensa, repperit copulam fuisse onanisticam, ideoque nullam reapse affuisse impedimentum : quare et matrimonium valere respondit.

SOLUTIO. — Rite respondit Ianuarius nullum obstitisse matrimonio impedimentum affinitatis (n. 480) : qua in re erraverat Iovinianus, seu ob ignorantiam theologiae moralis, seu ob oscitantiam in causae examine, seu ob utramque simul. Sed probabilius erravit Ianuarius dum asseruit valori matrimonii non obstitisse persuasionem in qua erat Ulricus, non posse validum matrimonium inter eum et Afram consistere. Nam, cum ita a Iovinianо edoctus esset, veri simile est eum nulla ratione existimasse manere sibi validi matrimonii spem, et, pro indifferentia sua religiosa, mero concubinatu seu civili matrimonio contentum fuisse (n. 469, VII). Attamen saepe molestum erit discernere quo praecise animo contractum fuerit. Quare nihil supererit quam ut matrimonium, probabilius invalidum solo vitio consensus, ratum fiat renovato consensu ; ad quod faciendum Ulricus inducendus erat.

§ 2. DE IMPEDIMENTIS DIRIMENTIBUS IN SPECIE

I. IMPEDIMENTUM ERRORIS

CASUS I

Martina nutrix Eugeniam nobilis familiae prolem alebat, cum, repentino casu puella e brachiis eius lapsa et misere deformata est. Parentum iram pertimescens, Martina Eugeniae suam filiolam Sophiam, forma simillimam, substituit : quae cum adolevisset, nobili iuveni nupsit. Morti proxima dolum suum aperuit parocho rogavitque ut eos quorum interesset veritatem doceret.

SOLUTIO. — Liquet Martinam gravem iniuriam intulisse Eugeniae : quippe quam fraude sua iuribus sibi propter originem competentibus spoliavit. Attamen iam nunc illa damna irreparabi-

lia videntur, ac proinde monitio nulla facienda erit. Neque timendum est ne matrimonium Sophiae sit nullum. Nobilis enim iuvenis contraxit cum ea puella quam coram se habebat et quae reapse ea erat quam omnes communiter tamquam nobilis familiae membrum agnoscebant. Neque ullatenus alligavit consensum suum expressae huic condicioni : " si tu revera es nata a parentibus quarum filia diceris „ (n. 471, I). Cfr. Gobat, Expr. theol. tr. 9. n 129 ; Matharan, Cas. n. 190.

CASUS II

Bertha nupserat adulescenti cuidam qui ab aliquot mensibus in illam civitatem venerat et se dictitabat esse Vedastum de Vedastis, filium nobilis divitisque familiae in longinqua regione commorantis. Sed brevi post matrimonium certior facta est eum esse revera Franciscum X..., pauperis sutoris filium, ob plura etiam furta infamem. Quare petiit ut matrimonium suum declararetur nullum ob erroris impedimentum.

SOLUTIO. — Valet matrimonium Berthae cum Francisco nisi ipsa (quod vix umquam continget) consensum suum expresse alligasset his fictis qualitatibus sponsi sui, quibus nimis facile credidit. Consensit enim absolute in eam personam quam coram se habebat et quam aliunde iam noverat. Quare error eius circa sponsi originem, familiam, ceterasque dotes mere accidentalis fuit (n. 471, II). Neque dicas : alio nomine aliam designari personam. Bertha enim minime restrinxit consensum suum ad virum qui reapse in societate humana ex nobili familia de Vedastis ortus esset, sed absolute consensit in eum quem falso ex eadem familia originem trahere putabat.

CASUS III

Iulia in Belgio degens sponsalia inierat cum Roberto, filio familiaris amici patris sui, quem numquam viderat, quia in America natus et educatus erat. Quod cum rescivisset Marcus, insignis nebulo, qui puellae manum opesque

ambiebat, finxit se illum esse Robertum. Fraudi fidem adhibuit Iulia et matrimonium coram parocho et magistratu civili cum Marco celebravit. Sed mox, errore detecto, divortium a civili tribunali impetravit.

SOLUTIO. — Etiam in foro conscientiae irritum est matrimonium Iuliae cum Marco. Ipsa enim consensum suum dare intendebat Roberto, consobrino suo. Nec dicas eam absolute consensisse in eum virum qui cum ea coram parocho et civili magistratu stabat. Non enim in eum virum consensit, quicumque esset, sed consensit in eum quatenus putabat eum esse Robertum, sponsum suum. Reapse autem coram se habebat personam aliam (n. 471, I). Hinc patet discrimen cum casu praecedente. Ibi enim consensus ferebatur in personam quae falso sibi varias dotes tribuebat ; hic vero fertur in personam prorsus distinctam ab ea quae reapse coram puella adstat.

CASUS IV

Ad Silvestrum confessarium accedit vehementer commota mulier, Mathildis nomine, quae a paucis diebus matrimonium iniverat. Rationem animi perturbati explicat : se, cum matrimonium iniret, nihil cognovisse de copula coniugali, neque umquam nupturam fuisse si obligationem cognovisset ; nunc autem in summis angustiis versari dum a marito suo et consanguineis impellitur ad rem quam summopere abhorreat. Quaerit ergo a confessario num teneatur ad rem quam penitus ignoravit et numquam voluit, vel saltem ab hoc officio liberari possit.

SOLUTIO. — Valet matrimonium a Mathilde initum, si quidem error eius erat accidentalis, neque expresse hanc condicionem apposuit, nolle se matrimonium inire nisi a copula praestanda immunis foret (n. 471, II). Quare Silvester imprimis paenitentem enixe hortari debet ut officium e matrimonio inito oriundum impleat, eamque monere physicam huius actus foeditatem minus attendendam esse quam moralem eius praestantiam, quae tum ex ipsius fine naturali, nempe populi christiani multiplicatione, tum

imprimis e divina voluntate oritur. Quod si huius modi hortationes nihil proficiunt, moneat Mathildem matrimonium eius, cum nondum consummatum fuerit, solvi posse a Romano Pontifice. Igitur eam iubeat casum cum omnibus adiunctis Ordinario exponere, ut per eum S. Sedes adeatur et dispensatio in matrimonio rato, non consummato, obtineatur. Praeterea iuvabit eam monere, quod si interim mariti et consanguineorum suorum hortationibus obsequi velit, id ei semper integrum erit, cum matrimonium validum sit : immo plerumque melius erit ut maritum servet a multis incommodis quae e matrimonio irritato sequi solent, nisi forsan virginitatem suam Deo consecrare velit.

II. IMPEDIMENTUM VOTI SEU PROFESSIONIS RELIGIOSAE

CASUS I

Emma in Ordinem quendam religiosum ingressa est : in quo etiam vota nuncupavit. Sed infeliciter, pravis passionibus dedita, tanto religiosae vitae taedio affecta est ut, nulla obtenta dispensatione votorum, ad saeculum redierit et matrimonium cum Siricio, religionis osore, inierit : a quo etiam plures liberos suscepit. Attamen post plures annos in hoc misero statu transactos, delictorum suorum paenitens, confessarium adiit rogavitque quid sibi agendum foret.

SOLUTIO. — Duplici de causa irritum esse potest matrimonium Emmae cum Siricio : ob impedimentum voti sollemnis religionis (n. 473), ob impedimentum clandestinitatis (n. 495). Nullitas illa numquam e priore impedimento orietur, si factum contingit in Belgio vel Gallia, cum in iis regionibus nullae sint moniales sollemniter professae (n. 85). Si in alia regione contingit, videndum erit utrum vota emissa fuerint in Ordine religioso an in Congregatione votorum simplicium tantum : neque admittenda erit nullitas matrimonii nisi emissa fuerint vota in Ordine proprie dicto atque a legitima auctoritate acceptata ut sollemnia (n. 83 seq.). Quod si nullitas matrimonii non oritur ex impedimento voti, videndum erit utrum

in ea regione in qua Emma et Siricius degunt, valeant matrimonia clandestina necne. Si valent, eorum coniunctio, quamquam graviter sacrilega, dicenda erit valida, modo affuerit consensus in verum matrimonium, non autem in cohabitationem mere fornicariam. Emma ergo valide coniuncta erit Siricio, etiamsi (ut in casu facile continget) consensus coram solo magistratu civili datus fuit. Quod si in eadem regione publicatum est decretum *Iametsi*, examinandum supererit num legitime in forma Tridentini contractum fuerit. Sed, etiamsi nullum deprehendatur matrimonium, plerumque pseudo-mariti et praesertim susceptorum liberorum utilitas tum temporalis, tum spiritualis suadebit ut, petita obtentaque dispensatione a S. Sede, matrimonium revalidetur, praesertim si vota simplicia tantum exstitere.

CASUS II

Almachius, emissis votis sollemnibus in quodam Ordine religioso, subdiaconatum suscepit. Verum vesano spiritu abreptus, cum magno scandalo e monasterio erupit, nullaque dispensatione obtenta, laicorum more vivere coepit. Robertus, pius sacerdos, eum paulatim ad meliorem frugem reduxit, utque ducere posset mulierem cui adhaeserat, a S. Sede dispensationem in impedimento voti sollemnis obtinuit. Sed, nescio qua de causa, Robertus in supplici libello tantum de votis religionis, minime vero de ordine sacro suscepto mentionem fecit. Hinc ortum est dubium num vi talis dispensationis matrimonium inire posset Almachius.

SOLUTIO. — Nullum est rescriptum pro Almachio concessum : sub poena enim nullitatis requiritur ut in supplici libello exprimatur numerus impedimentorum quae in casu concurrant (n. 527), hic autem reticitum est impedimentum ordinis sacri quod cum impedimento voti sollemnis religionis concurrebat. Neque dicas : iuxta plures (Lehmk. II. n. 749), votum sive in ordine religioso amplectendo, sive in suscipiendo sacro emissum, pro uno impedimento sumitur. Etenim, licet utrimque habeamus idem impedimenti fundamentum, nempe votum, passim ab omnibus AA. tamquam diversa ponuntur impedimenta ordinis sacri et religionis, et

plura discrimina assignari possunt in utriusque impedimenti ratione et effectibus (Matharan, Cas. n. 251). Igitur similitudo quae inter utrumque viget minime sufficit ut non nisi unum impedimentum reputentur : secus enim multo magis tamquam unum impedimentum habenda esset multiplex consanguinitas, affinitas, etc.

CASUS III

Lucius, post plures annos in statu matrimoniali actos cum Celina, statum religiosum amplexus est, uxore consentiente et votum castitatis emittente in sacculo. Sed mox Lucius sancti propositi sui mercedem in caelis obtinuit, Celina vero novum matrimonium inivit.

SOLUTIO. — Graviter peccavit Celina dum novum matrimonium absque dispensatione iniit : votum enim castitatis emittere debuit perpetuum, non autem duraturum tantum usque ad mariti mortem. Valide tamen contraxit. Etenim votum quod emisit simplex est, neque adsunt in Iure eae speciales dispositiones quae matrimonium uxoris, cuius maritus sacrum ordinem susceperat, irritum fore statuunt (n. 473, I). Cfr. Schmalzgr. in Decr. l. 4. t. 6. n. 65 seqq.

III. IMPEDIMENTUM COGNATIONIS

Punctum I. De cognatione legali

CASUS I

Sophronius, prole orbatus, Ursulam piam puellam, tamquam filiam adoptivam, in aedes suas recepit. Post aliquot annos, defuncta uxore, quaedam turpia cum eadem puella agere coepit : quare confessarium suum rogavit num posset eam, removendi periculi gratia, in uxorem ducere.

SOLUTIO. — Si casus contingit in Gallia, Belgio aliave regione quae codice Napoleonico regitur, confessarius respondeat : nihil

in foro conscientiae huic matrimonio obstare, siquidem probabilius in iis regionibus nullum viget impedimentum cognationis legalis (n. 474, I). Attamen, si Sophronius Ursulam vere legaliter et non (ut plerumque fit) facto mere privato adoptavit, videndum num matrimonium etiam civiliter contrahere possit. Etiamsi a matrimonio ineundo lege civili prohibetur, non tenetur in conscientia abstinere a ducenda filia adoptiva, cum principes civiles nulla impedimenta, etiam mere prohibentia, baptizatis statuere queant (n. 466, II). Si casus sub aliis legibus contingeret, examinandum foret : 1° Num peracta sint inter Sophronium et Ursulam quae iisdem legibus requiruntur ut adoptio legalis inducatur. — 2° Num haec adoptio habeat ea omnia quae essentialia censentur in perfecta adoptione Iuris Romani, cui Ecclesia vim dirimendi matrimonii agnovit et speciatim num transeat adoptatus in adoptantis familiam. Si utrumque constat, vigebit impedimentum dirimens Sophronium inter et Ursulam ; si alterutrum deest, nihil obstat quominus coram Ecclesia coniungantur.

CASUS II

Antonius viduus liberisque orbatus Valentinum infantem expositum adoptavit. Hic, cum adolevisset, Christinam uxorem duxit, sed paucis post initum matrimonium elapsis annis, e vivis excessit. Tunc Antonium vehemens cupido invasit Christinae in uxorem ducendae.

SOLUTIO. — In primis videndum est, ut in casu praecedenti, num casus contigerit in regione in qua vigeat adoptio perfecta quae dirimens impedimentum inducat, atque huius modi adoptio cum requisitis sollemnitatibus inter Valentinum et Christinam inducta fuerit. Si utrumque contigit, viget inter Antonium et Christinam impedimentum dirimens cognationis legalis : quod morte adoptati solutum non est (n. 474, II). Christinam igitur ducere non potest Antonius nisi dispensationem a S. Sede obtinuerit. Consonat decisio S. C. C. in causa Hortana 26 sept. 1734. De casu enim huius modi interrogata, S. C. C. censuit constare de impedimento et consulendum esse SS^{um} pro dispensatione (Gasp. n. 758).

Punctum II. De cognatione spirituali

CASUS I

Telesphorus patrinum egerat in baptismo quem sub condicione acceperat Ioanna, a Protestantismo ad catholicam unitatem regressa. Sed mox puellae pulchritudine et virtutibus adeo captus est ut eam potius uxorem quam filiolam habere cuperet. Rogavit ergo parochum suum ut huic matrimonio viam sterneret.

SOLUTIO. — Regulariter petenda erit pro Telesphoro dispensatio in impedimento cognationis spiritualis. Plerumque enim, praesertim nostris diebus (n. 153, IV), nulla solida ratio habebitur existimandi baptismum in protestantismo collatum esse cum omnibus condicionibus ad valorem requisitis : ac proinde e baptismo sub condicione orietur spiritualis affinitas (n. 475, II, 1°). Quandoque tamen continget solidam haberi probabilitatem baptismi olim valide collati in protestantismo ; quo in casu, dispensatio in rigore non requiritur. Sed saepe molesta indagatio necessaria erit ad diiudicandum num vere detur probabilitas huius modi : ac proinde facilius simul ac tutius erit dispensationem postulare.

CASUS II

Bonifatius adhuc catechumenus Leam vita periclitantem, deficiente sacerdote, baptizavit. Post aliquot annos eadem puella, tamquam matrina, infantem quendam tenuit quem pariter periclitantem baptismo abluit idem Bonifatius, iam baptizatus et catechistae munere fungens. Ipse nunc Leam uxorem habere vult.

SOLUTIO. — Nihil obstat quominus Bonifatius Leam ducat : quacum nullam affinitatem spiritualem contraxit. Haec enim non orta est e baptismo Leae ministrato, cum adhuc infidelis esset adulescens (n. 475, II, 2°). Neque orta est e munere matrinae, quod

in altero baptismo gessit Lea. Nam etiamsi certo constaret affinitatem oriri e munere patrini quod in baptismo privato geratur (n. 476, III, 3°), haec minime inducitur inter baptizantem et patrinos (n. 475, I).

CASUS III

Servatius adulescens rogatus erat ut e sacro fonte levaret infantem in quadam amica familia mox nasciturum. Editae puellae vitaque periclitanti baptismus domi ministratus est : cui, cum forte adesset Servatius, patrini munus iam egit. Postea vero, ob quaedam dubia de valore huius baptismi, puella iterum in ecclesia baptizata est rursusque Servatius tamquam patrinus astitit. Adultam puellam in uxorem ducere cupit patrinus.

SOLUTIO. — Servatius certo dispensatione indiget, si nulla probabilis ratio pro valore prioris baptismi militat. In hac enim hypothesi (quae tamen rarius vera erit) moraliter certum est valere baptismum publicum : in quo proinde contracta erit spiritualis cognatio. Atque idem censemus tenendum quotiescumque prudens seu probabile dubium de valore baptismi privati exstitit, cum saltem probabiliter exstet impedimentum e baptismo publico (n. 475, II). Dispensationem omittere posset tantum si baptismus in ecclesia collatus esset ob dubium plane leve de valore baptismi privati, quia hic praesumendus esset validus, et ex eo, saltem probabiliter, nullum ortum esset impedimentum (n. 476). Attamen etiam tunc melius ad dispensationem recurretur ne postea matrimonium iudicetur in foro externo nullum, dum de baptismo publico constabit, privati vero valor probari non poterit. A fortiori, dispensatione non indigeret Servatius si in ecclesia suppletae tantum essent caerimoniae, sicut in casu hoc solvendo supponit Matharan (Cas. n. 276).

CASUS IV

Marcellinus e Barbara, quacùm turpe commercium fovebat, infantem habuit : quem vita periclitantem ipse bapti-

zavit. Brevi post, mortuo puero, matrimonium cum Barbara iniit, nulla petita dispensatione.

SOLUTIO. — Marcellinus, quamquam baptismum in casu necessitatis ministravit, certo cognationem spiritualem cum Barbara, baptizatae prolis matre, contraxit (n. 476, III). Iam vero inter matrem baptizati et eum qui eius prolem baptizavit, matrimonium consistere nequit (n. 475, I). Nullum ergo est matrimonium Marcellini cum Barbara.

CASUS V

Rufinus, valde sollicitus ne quis e liberis suis absque baptismo decederet, omnes quam primum poterat domi baptizabat, etiam ubi nullum serium periculum eorum vitae imminebat. Propter hanc festinationem iam pluries a Protasio parocho suo graviter correptus, nihilo minus septimum infantem suum iterum assecuravit. Tunc parochus severe increpatum monuit iam non posse eum in poenam delicti debitum ab uxore petere.

SOLUTIO. — Plane erravit Protasius si (ut veri simile est) Rufinus poenam hanc extraordinariam ignorabat. Si vero eam cognoscebat, puta quia parochus eum iam antea deterruerat ne eam incurreret, Protasius non esset turpis erroris insimulandus, cum quidam AA. graves censeant hanc poenam incurri ab eo qui sciens volens extra necessitatem propriam prolem baptizat. Non est tamen boni pastoris imponere ovibus abstinentiam molestam.

Punctum III. De cognatione carnali

CASUS I

Ianuarius duas mulieres successive in matrimonium duxit: Saphiram, filiam illegitimam cuiusdam consobrini germani patris sui, et Terentiam, filiam Sophiae quae, eo tempore quo hanc filiam concepit, pluries commercium carnale cum

quodam Ianuarii patruo habuerat. Neutro tamen in casu de quaerenda dispensatione cogitavit.

SOLUTIO. — 1° Invalidum fuit matrimonium Ianuarii cum Saphira : utpote quae eius consanguinea esset in tertio gradu aequali lineae transversalis. Nam utriusque patres, tamquam consobrini germani, coniuncti sunt in secundo gradu aequali ; eorum igitur proles in tertio gradu coniunctae sunt (n. 479, II). Nihil vero refert originem esse mere naturalem (n. 477).

2° Modo non constet Sophiam eo tempore quo Terentiam concepit nullas coniugales relationes habuisse cum marito suo, puta quia is aberat vel notorie ab ea separatus vivebat, licebat Ianuario Terentiam ducere, et, si iam duxerit, matrimonium praesumendum est validum : legitimitas enim praesumenda est, quam diu de contrario non constat. Si vero constaret Terentiam non esse genitam a marito legitimo et probabile saltem esset eam a foedis amoribus Sophiae cum Ianuarii patruo ortam esse, petenda esset dispensatio, saltem ob dubium facti (n. 469, VI) de impedimento consanguinitatis in secundo gradu lineae transversalis. Cfr. Gury, Cas. II. n. 955.

CASUS II

Cyriacus parochus monetur Theophilum et Magloriam, quorum banna nuper proclamaverat, e communi rumore, esse consanguineos. Vocatum Theophilum interrogat cur hoc vinculum celaverit. Respondet mirabundus rusticus : « Nimis ab invicem distamus ut putaverim de hac re curandum esse. Nam pater meus erat frater proavi *(bisaïeul)* sponsae meae ».

SOLUTIO. — Si ascendentes Theophili et Magloriae rite recenset Cyriacus, facile deprehendet eos indigere dispensatione in quarto gradu consanguinitatis attingente secundum. Sit schema :

Ioannes

Xaverius	Iudocus
Theophilus	Lambartus
	Iosephus
	Magloria

In dispensatione petenda non sufficiet exprimere quartum gradum, sed et secundus qui cum eo concurrit exprimendus erit. Attamen si forsan reticitus fuerit, cum impedimentum sit publicum ideoque dispensatio a Dataria sit obtinenda, rescriptum validum manebit, sed ad licitam exsecutionem erunt obtinendae litterae *Perinde valere* vel nova dispensatio erit petenda (n. 527). Cfr. Gury, Cas. II. n. 956.

CASUS III

Laurentius in uxorem ducere cupit Victoriam, filiam Victorinae, quacum ipsius pater fertur saepe rem habuisse cum puella illa in lucem edita est. Quaerit igitur a parocho suo num sibi fas sit illam puellam ducere vel num aliqua dispensatione indigeat.

SOLUTIO. — E casus adiunctis determinandum erit quam veri simile sit Victoriam natam esse ex adulterinis relationibus Victorinae cum Laurentii patre. Si rationes ita opinandi non pertingunt ad quandam moralem certitudinem, licebit matrimonium inire : quam diu enim desunt manifesta argumenta contrarii, puta Victorinam nullam copulam tempore apto habuisse praeterquam cum Laurentii patre, stat praesumptio pro legitimitate Victoriae (Gury, Cas. II. n. 957). Si vero moraliter certum foret Victoriam esse sororem Laurentii, non liceret eam uxorem ducere : siquidem, ob consanguinitatem primi gradus lineae collateralis, obstat impedimentum probabiliter e iure naturali oriundum (n. 479, II), quocum contrahere non licet (n. 469, VI). Nec iuvaret ad dispensationem Ecclesiae recurrere : nulla enim in hoc impedimento dispensatio datur (n. 521).

Quod si idem casus poneretur de ducenda in uxorem puella quae videretur tantum in secundo gradu lineae collateralis consanguinea, puta si Laurentii pater rem habuisset cum Victoriae avia, eadem distinctio esset facienda. Sed manifestum est, in ea hypothesi, succurri posse Laurentio ope dispensationis : quae petenda esset si consanguinitas moraliter certa esset, saltem in interno foro, et utiliter ad cautelam peteretur quotiescumque probabile esset idem sanguinis vinculum (n. 479, II).

CASUS IV

Hyacinthus Zenobiam ducere optat. Exponit autem parocho se esse filium Ludovici, cuius pater erat Petrus, et Veronicae, quae erat Caroli filia ; Zenobiam vero ortam esse a Ioanne, eiusdem Petri filio, et a Catharina eiusdem Caroli filia.

SOLUTIO. — Exstat inter Hyacinthum et Zenobiam multiplex impedimentum consanguinitatis, cui causam praebuere duo fratres (Ludovicus et Ioannes) qui duas sorores (Veronicam et Catharinam) in matrimonium duxere (n. 478). Si personarum seriem ordinabit, parochus facile cernet nupturientes esse dupliciter consanguineos in secundo gradu lineae transversalis. Utrumque vinculum in supplici libello sub poena nullitatis exprimendum erit (n. 527).

CASUS V

Arnoldus et Fannia, e nobili quadam familia oriundi, ubi parochum suum adeunt matrimonii parandi causa, exponunt se esse consobrinos germanos ; praeterea fieri posse ut inter eorum progenitores adhuc alia matrimonia inter consanguineos facta fuerint, cum saepe ambae familiae nuptiali foedere iunctae sint. Re diligenter investigata, parochus detegit communes avos utriusque nupturientis et ipsos obtinuisse dispensationem in secundo gradu aequali lineae transversalis.

SOLUTIO. — In supplici libello parochus exponere debebit Arnoldum et Fanniam, praeter impedimentum secundi gradus lineae transversalis, affici duplici impedimento quarti gradus pariter aequalis, prout a S. Inqu. 11 martii 1896 de huius modi casibus declaratum est (n. 478). Nempe multiplicatio in quarto gradu iterum hic orta est ex eo quod personae inter se consanguineae matrimonium iniere. Id patet e schemate sequenti :



Duplici diversa via a Bartholomaeo descendunt nupturientes, semel ascendendo ab Arnoldo et Fannia per Zephyrinum et Ioannem, et semel ascendendo ab iisdem per Sophiam et Iacobum. Attamen, ex declaratione S. Off. d. d. 22 febr. 1899, valeret dispensatio, etiamsi bona fide petita esset tantum in unico impedimento secundi gradus et in unico impedimento quarti gradus, modo concreta casus adiuncta exposita fuerint sicut supra in eiusdem enarratione factum est.

CASUS VI

Caietanus missionarius ad veram fidem adduxit duos infideles qui matrimonium cum consanguinea inierant : Paulum, qui duxerat Mariam, fratris sui filiam et Leontium, iam aetate provectum, qui coniugem elegerat Sollam, ipsius filii sui filiam. Hinc dubitare coepit quid de his matrimoniis post collatum baptismum statuendum foret.

SOLUTIO. — 1° Dubium nullum est quin valeat Pauli cum Maria matrimonium, cum impedimentum hic sit secundi gradus mixti primo, ac proinde certo iuris mere ecclesiastici (n. 479, III). De his ergo coniugibus statuendum erit sicut de ceteris infidelibus valide coniunctis quorum una pars ad fidem venit (n. 559).

2° Permitti nequit ut Leontius et Solla in hac unione persistant. Nam probabiliter nulla est iure naturae ; forsan etiam iure civili illius gentis. Si alterutra pars, postquam baptismum suscepit, alias nuptias appetit, non est ab iis prohibenda (n. 479, III).

IV. IMPEDIMENTUM AFFINITATIS

CASUS I

Narcissus, qui rem habuerat cum Philomena, postea matrimonium iniit cum Blanca, Philomenae consanguinea in secundo gradu mixto cum tertio. Blanca vero mortua, Narcissus uxorem duxit Luciam, quae consanguinea erat Philomenae in secundo gradu et Blancae in quarto.

SOLUTIO. — 1° Valet matrimonium Narcissi cum Blanca. Affinitas enim e copula illicita non dirimit matrimonium nisi in duobus primis gradibus (n. 481, II); gradus autem remotior trahit ad se propinquiorem (n. 480). Igitur Blanca, affinis Narcisso e copula illicita in secundo gradu mixto cum tertio, minime impeditur quominus Narcissi uxor fiat.

2° Matrimonium Narcissi cum Lucia, si absque dispensatione initum est, duplici de causa invalidum est : prius, ob affinitatem e copula illicita in secundo gradu ; deinde, ob affinitatem e copula licita in quarto gradu, ad quem impedimentum huius modi extenditur (n. 481, II).

CASUS II

Titius infidelis uxorem duxit Caiam viduam, quae iam e defuncto coniuge filiam susceperat, Terentiam nomine. Post aliquot annos, defuncta Caia, Titius Terentiam uxorem duxit. Tandem ad veram fidem cum Terentia conversus est ; sacerdos vero a quo baptizati sunt dubitare coepit num permittendi essent, tamquam vir et uxor, convivere.

SOLUTIO. — Matrimonium Titii cum Terentia probabilius validum est : quare ambo, ubi baptismum suscepere, sinendi sunt convivere tamquam maritus et uxor (n. 481, I). Plane aliter dicendum foret si matrimonium inter Titium et Terentiam contrahendum esset postquam iam una saltem pars baptizata est. Tunc

enim urgeret impedimentum affinitatis, durante infidelitate contractae, et, cum hic agatur de primo gradu affinitatis lineae rectae e copula licita, frustra dispensatio peteretur (n. 481, II).

CASUS III

Silvanus infidelis copulam fornicariam pluries habuerat cum Maevia. Postquam baptismum recepit, recedente uxore eius legitima, uxorem duxit Pharaildem, Maeviae neptem (*nièce*). Missionarius autem, qui hanc rem fortuito audiverat, dubitare coepit quid facto opus esset.

SOLUTIO. — Invalidum est matrimonium Silvani cum Pharailde, propter impedimentum secundi gradus affinitatis e copula illicita, mixti cum primo (n. 481, II). Cum uterque sponsus sit in bona fide, ut probabilissimum est, in ea relinquendi sunt ; si alteruter saltem in fide mala est, matrimonium revalidandum erit seu via dispensationis ordinariae, seu via sanationis in radice (n. 597).

CASUS IV

In quadam missione vigebat mos inter ethnicos, ut mortua coniuge sua, illius sororem ducerent. Hinc factum est ut multi christiani eundem morem retinentes dispensationes ab Episcopo peterent ad ducendam sororem defunctae coniugis. Cum Episcopus has dispensationes recusaret, plures ex iis nihilo minus talia matrimonia inierunt, quidam bona fide, putantes hanc esse prohibitionem, alii mala fide, ut videtur, Ecclesiae leges parvi reputantes.

SOLUTIO. — Matrimonia quae neophytae illi cum sorore uxoris defunctae celebrarunt, sunt invalida ; impedimentum enim vim suam dirimendi servat etiam ubi ignoratur invincibiliter (n. 467, IV). Si qui sunt in bona fide, vel in eadem reliquendi sunt, vel ipsis obtinenda est sanatio in radice, qualem Pius VI concessit fidelibus quibusdam Orae Coromandelensis, qui in simili casu versabantur (Litt. S. C. P. F. 5 iul. 1788 ; Coll. P. F. n. 1232). Si in mala fide

sunt, iis concedenda vel a S. Sede obtinenda esset dispensatio super primo affinitatis gradu : qua concessa, eorum matrimonia revalidanda erunt, renovato consensu iuxta formam Tridentinam, prout in iisdem Litteris edicitur (n. 538).

CASUS V

Wenceslaus, defuncta coniuge, amorem suum transtulit in Placidiam viduam, fortunae donis insignem. Huic erant duae filiae iam nubiles, sicut Wenceslao duo erant eiusdem fere aetatis filii. Quo certius omnia Placidiae bona in propriam familiam transferret, summa arte effecit sollicitus pater ut duo eius filii duas Placidiae filias ducerent : quae tria matrimonia, concurrente tota civitate, eadem die celebrata sunt.

SOLUTIO. — Nulla indigebant dispensatione Wenceslai filii ut ambas Placidiae filias uxores ducerent. Nulla enim inter hos adulescentes et puellas viget affinitas : si quidem nulla ex iis personis copulam cum alterius consanguineis habuit. Neque aliter solvendus esset casus si matrimonia liberorum contracta essent postquam iam consummatum esset matrimonium Wenceslai cum Placidia, vel unius fratris cum una sorore (n, 482, III).

CASUS VI

Anacleto confessario sat crebro occurrunt paenitentes qui se de peccatis carnalibus cum consanguineis compartis suae patratis accusant. Quare saepe dubitat num eos admonere debeat de obligatione abstinendi a petendo debito vel saltem de poena illa incurrenda si iterum hoc peccatum commiserint.

SOLUTIO. — Vix umquam paenitentes, nisi iam a confessario de hac re moniti fuerint, poenam illam extraordinariam, Iure canonico statutam, cognoscent : quare plerique ab ea poena luenda, saltem ob ignorantiam, excusabuntur (n. 482, IV, 1°).

Quod si aliqui iam moniti essent, vel hanc poenam aliunde scirent, non essent a confessario iubendi abstinere a petendo debito, antequam ex eorum responsis patefactum esset affuisse omnes condiciones ad affinitatem inducendam requisitas, praesertim copulam ex se aptam ad generationem prolis (n. 480). Quid autem agendum cum plerisque nihil de hac poena suspicantibus? Suntne monendi an in bona fide relinquendi? Per se, cum Ecclesia illam poenam tulerit ad coercenda delicta incestus, sacerdos eam, occasione data, fidelibus proponere debet: secus enim ea Ecclesiae ordinatio plane evanida fieret. Sed iuxta regulam generalem de monitis a confessario dandis (n. 359), monere non debet nisi cum speratur fructus, nec timentur incommoda graviora. Iam vero fructus sperari potest cum iis fidelibus qui, licet interdum concupiscentia abripiantur, vivida tamen fide dolent de peccato commisso et magnos conatus abhibent ad se emendandos: hi enim, nota hac poena ecclesiastica, melius incestus malitiam percipient, atque ita magis ab hoc scelere iterando deterrebuntur. Si vero valde tepidi sunt paenitentes, veri simile est monitionem minime profuturam esse ut se melius contineant, atque etiam occasionem daturam esse novis peccatis, dum Ecclesiae prohibitionem scienter jam transgredientur. Hi ergo monendi non sunt, neque etiam paenitentes ignoti et qui ex confessione sua non apparent valde timoratae conscientiae, cum saltem dubius sit monitionis fructus (n. 359).

V. IMPEDIMENTUM PUBLICAE HONESTATIS

CASUS I

Anastasia, pia sed ingenio mobilissima puella, postquam votum castitatis emisit, sponsalia cum Alexandro iniit; quibus brevi post valedixit ut Noetio, Alexandri fratri, nuberet.

SOLUTIO. — Valet matrimonium Anastasiae cum Noetio. Impedimentum enim publicae honestatis non oritur nisi e sponsalibus validis (n. 483, II). Iam vero ob votum castitatis ab Anastasia emissum, invalida fuere eius sponsalia cum Alexandro (n. 440). Cfr. Matharan, Cas. n. 295.

CASUS II

Innocentius sponsalia cum Agnete contraxerat sub condicione quod munus aliquod, e quo vivere posset, assequeretur. Antequam haec condicio impleta esset, alia sponsalia eaque absoluta iniit cum Aglae, Agnetis sorore. Tandem, munus quod optabat assecutus, uxorem duxit Lucillam, praecedentium sponsarum sororem.

SOLUTIO. — Nullum impedimentum publicae honestatis obstabat matrimonio Innocentii cum Lucilla. Nullum e sponsalibus condicionatis cum Agnete : haec enim numquam facta sunt absoluta, quia, antequam condicio impleretur, Innocentius, novis sponsalibus initis, voluntatem suam retractavit (n. 483. II). Nullum quoque e sponsalibus cum Aglae : haec enim irrita erant propter violatam obligationem exspectandi condicionis verificationem (n. 445, VI).

CASUS III

Helena, obtenta dispensatione, nupserat Isaaco Iudaeo : qui morte praematura abreptus est antequam matrimonium consummaretur. Post aliquot menses cum matrimonium inire cuperet Helena cum Iacobo, Isaaci fratre, iam baptizato, anceps haesit parochus num dispensatione indigeret.

SOLUTIO. — Helena nulla dispensatione in impedimento publicae honestatis indiget, si quidem impedimentum in casu vel nullum vel saltem dubium est (n. 469, VI). Illud exsistere quando una pars fidelis est et altera infidelis, dubitanter asserit Gasparri (Tract. Com. de Matr. I. n. 732). Sed rectius id negat Matharan (Cas. n. 301). Rationes sunt : impedimentum illud non oriri nisi e matrimonio rato, quale non est proprie matrimonium fidelis cum infideli (n. 456, VI) ; neque videtur adesse in casu illa indecentia propter quam inductum est publicae honestatis impedimentum inter fideles, quoniam matrimonium Helenae cum Isaaco non erat sacramentum (n. 456, III).

CASUS IV

Siricius uxorem duxerat Leocadiam. Sed antequam matrimonium consummaret, certior factus est sponsam illam secum in quarto consanguinitatis gradu coniunctam esse, ac proinde irritum esse matrimonium. Quare a copula coniugali abstinuit donec dispensationem obtinuisset. Sed en novum infortunium ! Repentina morte abripitur Leocadia. Tunc Siricius Angelam, consanguineam defunctae coniugis in quarto gradu, ducere cogitavit.

SOLUTIO. — Dispensatione in impedimento publicae honestatis indiget Siricius. Nam matrimonium eius cum Leocadia nullum fuit ob impedimentum consanguinitatis, non autem ob defectum consensus, ac proinde impedimentum publicae honestatis inducit ad quartum usque gradum (n. 484, III).

CASUS V

Euphemia per plures annos in matrimonio mere civili cum Telesphoro vixerat : quo mortuo, optavit Meletio, Telesphori consanguineo in tertio gradu, in facie Ecclesiae nubere. Sed dubitavit parochus num dispensatione indigeret.

SOLUTIO. — Nulla dispensatione indiget Euphemia. Nullum enim e matrimonio mere civili oritur impedimentum publicae honestatis (n. 484, III). Impedimentum vero affinitatis, quod e copula cum Telesphoro habita inductum est, non protenditur ultra secundum gradum (n. 481, II).

CASUS VI

Macarius, postquam pluries cum Genoveſa sponsa sua carnaliter peccaverat, impuros quoque amores cum eiusdem sorore Edeltrude iniit eamque gravidam effecit. Quod ubi

rescivit Genovefa, iuri suo sponte renuntiavit ut sororis suae honori consuleret inconstantemque sponsum removeret.

SOLUTIO. — Ut valeat matrimonium Macarii cum Edeltrude, requiritur in primis dispensatio in impedimento publicae honestatis : hoc enim permanet, etiam postquam mutuo consensu soluta sunt sponsalia (n. 484, IV). Praeterea, si Macarius cum Genovefa habuit copulam ex se aptam ad generationem prolis, requiritur etiam dispensatio in impedimento affinitatis e copula illicita in primo gradu lineae transversalis (n. 480 seq.).

VI. IMPEDIMENTUM CRIMINIS

CASUS I

Caesarius coniugatus adulterium patrat, addita matrimonii contrahendi promissione, cum Caelestina caelibe, quae ignorabat eum esse matrimonio iunctum. Mortua coniuge sua, Caesarius Caelestinam duxit, sed mox novum adulterium patrat cum Eugenia : quam cum gravidam esse comperisset, Caelestinam veneno interemit ut Eugeniam ducere posset.

SOLUTIO. — Valet certe prius Caesarii matrimonium. Nullum enim criminis impedimentum obstabat quominus Caelestinam uxorem duceret : si quidem hoc impedimentum non inducitur nisi factum sit adulterium formale ex utraque parte (n. 485, III), quod in casu non contigit, quia Caelestina ignorabat Caesarii matrimonium. Posterius Caesarii matrimonium probabilius irritum est, quia concurrunt omnia quae ad tertiam speciem impedimenti criminis requiruntur (n. 486, III). Attamen, in foro saltem interno, matrimonium illud haberi posset tamquam probabiliter validum, quia probabiliter ante Caelestinae occisionem non fuit manifestata intentio ducendae Eugeniae : quod, iuxta sententiam S. Alph. et aliorum, ad inducendum impedimentum requiritur. Cfr. Gury, Cas. II. n. 981 seq.

CASUS II

Paschalis Dymphnae coniugatus adulterium cum Marcella glore sua, addita mutua promissione matrimonii, instituit. Defuncta autem Dymphna, matrimonium cum Marcella inire statuit : quod consilium cum aperuisset parocho, hic hominem interrogando de relationibus suis cum Marcella, audivit eas iam ante matrimonium Paschalis cum Dymphna incepisse et numquam penitus desiisse ; nullam vero dispensationem a Paschali petitam fuisse ut Dymphnam uxorem duceret. Hinc plurimum dubitavit quorumnam impedimentorum dispensationem obtinere deberet Paschalis ut Marcellam duceret.

SOLUTIO. — Paschalis nullatenus indiget dispensatione in impedimento criminis. Etenim eius matrimonium cum Dymphna fuit nullum propter impedimentum affinitatis e copula illicita in primo gradu lineae collateralis (n. 481, II). Quare nullum verum, sed mere existimatum adulterium patravit ubi cum Marcella rem habuit (n. 485, II). Sed indiget dispensatione in impedimento affinitatis in primo gradu lineae collateralis. Iuxta ea quae constant in foro externo, haec affinitas orta est e copula licita ; iuxta rerum veritatem, e copula illicita. Attamen videtur in casu petenda dispensatio in impedimento affinitatis e copula licita : quia, praesertim cum copula bona utriusque fide habita est post matrimonium cum externa iusti conubii specie contractum, affinitas censenda est e copula licita potius quam e fornicaria oriri (n. 481, II).

CASUS III

Christina, mariti sui, decrepiti senis, pertaesa, quondam in cubiculo suo sedens, alta voce exclamavit : « O me miseram ! Quis me tandem ab hoc graveolente seno liberabit ! Si mortuus esset, quam libenter Cleontio nuberem ! » Erat autem Cleontius iuvenis quidam ac formosus famulus domesticus : quem haec verba auditurum et exsecuturum esse

sperabat infidelis coniux. Ac reapse mox fauces occlusit misero seni Cleontius et risum lacrimis miscentem uxorem duxit Christinam.

SOLUTIO. — Matrimonium Cleontii et Christinae, quamquam horrendo scelere maculatum fuit, validum est. Deficit enim stricta conspiratio in necem decrepiti mariti. Nam, licet Christina vere dici possit mandato suo procurasse mariti sui necem (Vol. I. n. 536), nullum tamen pactum inter eam famulumque intercessit, si quidem nulla ratione dominae suae significavit Cleontius se scelestum illud facinus pro ea exsecuturum esse (n. 485, I). Aliter dicendum foret si Cleontius hanc acceptationem suam, antequam necem inferret, Christinae significaret : ita enim stricta conspiratio ceteraeque omnes condiciones ad primam impedimenti criminis speciem (homicidium solum) requisitae affuissent. Cfr. Gury, Cas. II. n. 984.

CASUS IV

Ernestina, Cleophae coniux, aegrotante marito, saepe cum Nicolino, famulo domestico, rem habuit, data invicem matrimonii ineundi fide. Nicolinus vero, quo citius optatas nuptias assequeretur, Cleopham, inscia coniuge, occidit et laetabundus matrimonium cum eius vidua celebravit.

SOLUTIO. — Invalidae sunt nuptiae Cleophae cum Ernestina, quia nihil in casu deerat ut secunda species impedimenti criminis (adulterium solum) contraheretur (n. 485, II) Praeterea adesse videtur tertia species eiusdem impedimenti (utrumque simul), cuius quattuor condiciones (n. 486, III) in casu verificantur, addita etiam, quatenus opus est, manifestatione intentionis ineundi matrimonii cum parte superstite. Id negat Gury (n. 985), quamquam ipse potius primam speciem (adulterium solum) exclusit quam hanc tertiam, de qua nihil dicit. Rationem enim affert, quae vera est, sed nihil valet ad excludendam tertiam hanc speciem : defuisse mutuam adulterorum conspirationem. Duplex igitur illud impedimentum exprimendum erit in petenda dispensatione, nisi quis, in casu praesertim difficili, recurrere velit ad sententiam quae tenet matrimonium valere quando impedimentum dirimens ignoratur, prout plerumque continget (n. 486, IV).

CASUS V

Sixtus coniugatus rem habuit cum Iucunda, quam coniugatam esse nesciebat, data mutua fide ineundi matrimonii quam primum obstacula sublata forent. Post aliquot menses, mortua utriusque comparte, Sixtus et Iucunda matrimonium ineunt.

SOLUTIO. — Invalidae sunt Sixti et Iucundae nuptiae : obstat enim impedimentum adulterii solius (n. 485, II). Neque dicas illud exclusum fuisse ob ignoratum a Sixto Iucundae matrimonium : sufficit enim ipsius Sixti matrimonium innotuisse Iucundae. Abesset tamen impedimentum si mulier quoque Sixti matrimonium ignorasset, dum duplex impedimentum contractum fuisset si uterque complex alterius matrimonium cognovisset (n. 486, V). Cfr. Gury, Cas. II. n. 988.

CASUS VI

Sosthenes caelebs Martinam coniugatam ad patrandum adulterium induxit, data promissione matrimonii ineundi quam primum vir eius e vivis excessisset. Tacite omnibus acquievit Martina. Post aliquot menses, Martina vidua Sostheni coniuncta est.

SOLUTIO. — Nullum, in casu, affuit criminis impedimentum, saltem probabiliter, quia defuit Martinae repromissio (n. 485, II). Frustra haec repromissio extunderetur ex eiusdem silentio. Ex hoc enim ad summum concludi potest eam acceptasse Sosthenis promissionem : quod adhuc longe abest a repromissione, qua mutua fides astringitur. Cfr. dicta de sponsalibus n. 440.

CASUS VII

Renerius coniugatus saepe copulam habuit cum Blandina, caelibe, eique matrimonium promisit ineundum quam primum ab uxore sua liberatus esset. Attamen, ut se

et complicem suam a multis molestiis liberaret, semper adhibuit involucrum quo fecundatio impediretur. Quam primum autem eius uxor e vivis excessit, promissas nuptias cum Blandina celebravit.

SOLUTIO. — Valet matrimonium Renerii cum Blandina : defuit enim inter eos copula de se apta ad generationem, cum numquam vir semen in vas mulieris proiecerit (n. 485, II). Ita communis sententia, teste S. Alph. l. 6. n 1036. Excipiendus foret casus in quo Renerius, contra intentionem suam (ut interdum contingit), semen in locum generationi producendae aptum posuisset, prout e mulieris gestatione liquere posset.

CASUS VIII

Polybius caelebs protestans turpe commercium fovit cum Anna, Iudaea coniugata, data mutua fide matrimonii ineundi quam primum vir Annae supremum diem obiisset. Mox quod optabant contigit. Anna vidua, quam primum decenter fieri poterat, nuptias cum Polybio celebravit. Post aliquot annos, cum ambo ad fidem catholicam conversi essent, parochus dubitavit quid agendum esset ut in matrimonio illo perstare possent.

SOLUTIO. — Matrimonium Polybii cum Anna nullum erat in primis propter impedimentum disparitatis cultus, etiamsi dubie tantum baptizatus erat vir (n. 488). Hoc autem impedimentum baptismo sublatum est, ideoque iam nullatenus obstat quominus valide contrahat rebaptizatus sub condicione cum baptizata. Sed obstat impedimentum criminis (adulterium solum), cuius omnes condiciones posuere ambo complices : sufficit enim unam partem esse baptizatam vel saltem tractandam esse quasi baptismum susceperit, ut impedimentum utramque partem afficiat (n. 486, VI). Parum autem refert Polybium, eo tempore quo Annam duxit, fuisse protestantem : haeretici enim perinde ac catholici impedimentis matrimonii ligantur (n. 466).

CASUS IX

Marcianus, postquam a civili tribunali sententiam divortii contra Emerentianam, legitimam coniugem suam obtinuerat, novas nuptias coram civili magistratu cum Marcianilla celebravit. Post aliquot annos, defuncta uxore legitima, parochum suum rogavit ut se Marcianillae coniungere vellet : quod bonus pastor libenter praestitit.

SOLUTIO. — Si Emerentiana valido matrimonio, non tantum civili vinculo Marciano iuncta fuit, obstat impedimentum criminis quominus Marcianus Marcianillam uxorem ducat (n. 485, II). Censet Matharan (Cas. n. 313) nihil obstare quominus parochus Marcianum Marcianillae coniungat, si eos latuit impedimentum criminis ut plerumque latebit : siquidem probabile est hoc non incurri ab ignorantibus (n. 486, IV). Attamen, cum cavenda sint dubia et discidia de valore matrimoniorum, censemus satius esse ut ad dispensationem recurratur, nisi urgeat necessitas celebrandi statim matrimonii ne altera vel utraque pars iam nolit iterum coram parocho se sistere.

CASUS X

Tatianus caelebs baptizatus adulterinos nexus fovebat cum Blanda muliere infideli coniugata. Haec quondam ei consilium suum aperuit veneno occidendi Macrinum coniugem suum : quod consilium neque approbavit, neque impugnavit Tatianus, potius ex horrore homicidii quam e timore peccati. Occiso autem Macrino, Blandam, quae baptismum suscipere parata erat, uxorem ducere cupiebat.

SOLUTIO. — Postquam per baptismum sublata erit cultus disparitas, nullum impedimentum obstabit quominus Tatianus Blandam uxorem ducat : nam, cum Tatianus nullatenus moverit Blandam ad maritum suum occidendum, deest in casu conspiratio illa quae ad primam impedimenti criminis speciem (homicidium solum) requiritur (n, 485). Deinde defuit, ut saltem ex adiunctis

casus apparet, mutua promissio matrimonii ineundi : quare neque secunda species (adulterium solum) in casu aderat. Tandem, neque tertia species adest : licet enim omnia eius elementa adsint, impedimentum non exsurgit, quia pars infidelis sola coniugicidium patravit (n. 486, VI).

CASUS XI

Pontianus adulterinum commercium foverat cum Eulalia coniugata ; postea nuptias legitimas cum Agatha iniit. Sed mox eius animum iterum inflammavit impurus amor erga Eulaliam, quae iam vidua facta erat. Hac passione adeo abreptus est ut Agatham veneno occiderit ad Eulaliam uxorem ducendam.

SOLUTIO. — Non irritatur Pontiani et Eulaliae matrimonium ob impedimentum criminis. Licet enim adulterium et coniugicidium patraverit Pontianus animo ineundi matrimonii cum adultera, ac proinde videri posset adesse tertia huius impedimenti species (utrumque simul), revera hoc nullum exstitit, quia prius ex iis sceleribus factum est contra matrimonium quo Eulalia adstringebatur, posterius contra matrimonium ipsius Pontiani cum Agatha, ac proinde non contra idem matrimonium (n. 486, III).

CASUS XII

Sisinius coniugatus Florae caelibi, acceptanti et repromittenti, promittit matrimonium post mortem suae uxoris ineundum ; deinde copulam cum ea habet. Postea, quo citius ad optatam metam pertingeret, uxorem suam occidit.

SOLUTIO. — Duplici impedimento criminis prohibetur Sisinius a Flora ducenda, cum in casu concurrant quaecumque necessaria sunt tum ad secundam speciem (adulterium solum), tum ad tertiam speciem (utrumque simul). Utrumque igitur sub poena nullitatis erit in libello supplici dispensationis exprimendum (n. 486, V).

VII. IMPEDIMENTUM DISPARITATIS CULTUS

CASUS I

Feliciano missionario contigit ad veram fidem reducere Crispum Protestantem. Hic tamquam uxorem habebat Sophiam pariter Protestantem, quae simul in Ecclesiae sinum redire cupiebat. Sed vehementer dubitavit Felicianus num eorum matrimonium legitimum foret. Crispus enim, antequam Sophiam duceret, uxorem habuerat Elisabeth pariter Protestantem, a qua, iuxta leges civiles, divortium fecerat : quae et ipsa alias nuptias cum quodam viro protestante inierat.

SOLUTIO, — Imprimis videndum erit utrum in loco valeant matrimonia clandestina, saltem haereticorum (n. 500). Si non valent, liquet matrimonium utrumque Crispi esse nullum, modo in hac vel alia iisdem legibus subdita regione contractum fuerit. Quare integrum erit Crispo et Sophiae, post baptismum condicionatum, matrimonium in forma Tridentina inire vel ab invicem discedere. Si valent in loco matrimonia clandestina haereticorum, investigandum erit num inter Crispum et Elisabeth viguerit impedimentum disparitatis cultus. Hoc impedimentum censendum est inter eos viguisse si una pars certo vel dubie baptizata erat, altera vero non, utputa si, deficientibus specialibus probationibus de casu individuo, praesumendus est baptismus Crispi, quia eius parentes pertinebant ad sectam in qua baptismus ordinarie ministratur et in sua secta zelosi erant, dum Elisabeth nata est e parentibus pertinentibus ad sectam in qua baptismus non solet conferri nisi adultis (n. 488, 4°). In hac hypothesi, matrimonium Crispi cum Elisabeth habendum erit tamquam invalidum. Quare iterum videndum erit, iuxta easdem regulas, num valuerit matrimonium Crispi cum Sophia, et si nullum obstiterit impedimentum, neophyti tantum hortandi erunt ut benedictionem nuptialem accipiant; si obstiterit impedimentum dirimens et simul manere voluerint (quod plurimum suadendum erit, si liberi iam suscepti sint), matrimonium in forma Tridentina contrahere debebunt.

Si vero, investigatione facta, apparet tum Crispum, tum Elisabeth, habendos fuisse tamquam dubie baptizatos, vel, e contra, in neutro praesumendum fuisse baptismum, puta quia uterque habuit parentes qui testantur se de baptismo liberorum suorum non curasse vel qui, dum in vivis erant, profitebantur nolle se ad ullam sectam pertinere, matrimonium Crispi cum Elisabeth habendum erit ut validum, nisi forsan aliud impedimentum obstiterit, puta, si utraque pars dubie baptizata erat, consanguinitas vel affinitas. Igitur si valuit hoc matrimonium et Elisabeth adhuc vivit, coniunctio Crispi cum Sophia certe hucusque irrita fuit. Sed conclusio practica in futurum varia erit, prout matrimonium Crispi et Elisabeth habendum erit tamquam unio consummata fidelium an tamquam infidelium. Nam si ambae partes habendae sunt ut fideles, liquet Crispum a Sophia omnino separandum esse : quippe qui invalide coniungi nequeant quam diu Elisabeth vixerit (n. 555, I). Si vero habendae erunt ambae partes tamquam non baptizatae, locus esse poterit dissolutioni eorum matrimonii, iuxta regulas datas de casu Apostoli (n. 559) : quo dissoluto, si nihil aliud obstabit, licitum erit Crispo Sophiam uxorem ducere.

CASUS II

Carpophorus, in catholica religione natus et baptizatus, sed iam dudum ab omni religionis praxi alienus, sine ulla dispensatione uxorem duxerat Fanniam, e secta Protestantium oriundam, quae divortio separata fuerat a Symphoriano pariter Protestante, adhuc superstite. Post aliquot annos ad Martialem sacerdotem accessit ut rebus suae conscientiae consuleret.

SOLUTIO. — Supponamus casum contingere ubi matrimonia clandestina saltem haereticorum inter se vel cum parte catholica valent. Si enim contingeret ubi huius modi matrimonia irrita sunt, puta in Belgio vel in Gallia, manifestum foret Carpophorum nullo validi coniugii vinculo hucusque cum Fannia devinciri, sed nullum impedimentum dirimens obstare quominus eam uxorem ducat. Si vero illis matrimoniis non obstitit dirimens impedimentum clandestinitatis, in primis videndum num valuerit coniunctio Fanniae cum Symphoriano. Haec habenda erit ut valida quotiens constabit

de facto collati baptismi et tantum de valore facti dubitabitur, vel quotiens e peculiaribus testimoniis vel praesumptionibus (n. 488,4°) saltem dubie baptizata erat utraque pars contrahens. Eadem habenda erit ut nulla si una pars certo vel dubie baptizata erat, altera vero non baptizata, utputa si Fannia a suis vel a Symphoriani parentibus audiit se vel illum nullum baptismum suscepisse, aut si alterutrius parentes pertinebant ad sectam quae baptismum respuit, modo haec praesumptio baptismi non collati nullis specialibus argumentis in contrarium elidatur. Quod si forsan utraque pars appareret tamquam non baptizata, matrimonium valeret tamquam inter duos infideles contractum. Pro his variis hypothesibus varia erit conclusio de relatione quae inter Carpophorum et Fanniam viget. Nam si prius matrimonium valuit tamquam fidelium matrimonium, nihil restat quam ut ab invicem separentur. Si nullum erat prius matrimonium, valebit per se posterius : attamen exigenda erunt a Carpophoro quae Ecclesia exigere solet a fidelibus qui temere absque dispensatione matrimonia mixta ineunt (n. 520, VI). Tandem si valuit prius matrimonium tamquam unio duorum infidelium, posteriori obstitit tum impedimentum ligaminis, tum impedimentum disparitatis cultus. Quare Fanniam ducere non poterit Carpophorus, quam diu vivet Symphorianus, nisi mulier, baptismo suscepto, vi privilegii Paulini, liberum statum recuperet (n. 559).

CASUS III

Pantaleon catholicus, obtenta dispensatione in impedimento mixtae religionis, Leopoldinam protestantem uxorem duxerat. Sed post aliquot menses confessario suo manifestavit se magnopere de valore huius matrimonii sui dubitare, quia a parentibus uxoris suae certior factus erat eam numquam fuisse baptizatam.

SOLUTIO. — Si Leopoldina baptismum suscipere vult, (seu catholice, seu ritu protestantium, modo valide), nihil restat quam ut postea consensum suum saltem ad cautelam renovent coniuges. Si vero baptizari renuit, confessarius ab Ordinario vel a S. Sede petat dispensationem in impedimento disparitatis cultus eamque ad cautelam largiatur paenitenti. Hic tamen interim a copula con-

iugali petenda reddendaque abstinere non tenebitur, cum matrimonium bona fide inierit, neque desint auctores graves (Lehmk. II. n. 752, Gasparri, n. 601) qui illud valere existiment (n. 493, IV). Minime vero liceret Pantaleoni a Leopoldina discedere ut novas nuptias iniret, nisi S. Sedes nullitatem matrimonii pronuntiasset : cuius sententiae obtinendae exigua spes datur (n. 488, 6°). Ut avertantur huius modi difficultates, peropportunum erit sacerdotem, cui cura alicuius matrimonii mixti incumbet, sollicite indagare num baptismum susceperit pars acatholica.

CASUS IV

Ioannes, qui, in infidelitate natus et educatus, ritu catholico baptizatus fuerat, postea susceptae fidei officia plane neglexit. Duxit igitur sine ulla dispensatione Dymphnam, a missionario quodam protestante baptizatam cum iam adulta esset : quam cum ob adulterium reliquisset, Nataliam, pariter protestantem, uxorem duxit. Huic mulieri coniunctus pluribusque ab ea susceptis liberis, Ioannes paenitens accessit ad Ricardum sacerdotem. Hic, animo revolvens quam leviter missionarii protestantes in administrando baptismo procedant, dum ex. gr. plures simul per aspersionem baptizant, ratus est paenitentis matrimonium cum Dymphna haberi posse tamquam nullum : quare eum sivit in statu matrimoniali cum Nathalia permanere, data ad cautelam dispensatione in impedimento disparitatis cultus.

SOLUTIO. — Erravit Ricardus si (ut e casus expositione videtur) Ioannis matrimonium cum Dymphna invalidum censuit ob aliquam generalem praesumptionem e neglegentia ministrorum protestantium in conferendo baptismo desumptam. Si enim constat Dymphnam fuisse a ministro protestante baptizatam, standum est pro valore actus donec morali saltem certitudine probetur fuisse invalidus (Vol. I. n. 77, V). Secus dicendum foret si morali certitudine constaret aliquid essentiale in forma vel materia collati baptismi defuisse, quia puta ipsa Dymphna narrasset se aqua baptismi non fuisse tinctam nisi super vestes. Quod si forte constaret tantum de admissione Dymphnae in sectam protestanticam,

de facto autem collati baptismi nihil sciretur, neque moraliter sciri posset, recurrendum esset ad praesumptiones (n. 488). Quare si ingressa esset Dymphna sectam in qua baptismus fere numquam confertur vel fere semper invalide, non videretur habenda tamquam dubie baptizata : ac proinde eius matrimonium cum Ioanne censeri posset invalidum. Sed quotiens manet prudens dubium num baptizata fuerit, idem matrimonium practice habendum erit ut validum (n. 488, 1°) : quare, quam diu Dymphna vivet, nullam aliam legitimam uxorem habere poterit Ioannes. Attamen inspectis omnibus adiunctis tum ipsius paenitentis, tum fidelium quibus operam suam navat sacerdos, videndum erit sacerdoti num forsan Ioannem relinquere possit in bona fide de valore matrimonii sui cum Dymphna (n. 534).

CASUS V

Valentina formosum ardebat Samuelem. Sed Iudaeus erat adulescens, frustraque ab eo petiit ut prolem suam universam in catholica religione educatum iri sineret. Nihilo minus fidem devicit amor. Nulla dispensatione obtenta, Samuelem duxit Valentina. Aliquot tamen elapsis annis duobusque iam susceptis liberis, Nicanorem sacerdotem adiit, flagitans ut eam cum Deo et Ecclesia catholica reconciliaret : virum semper in iisdem dispositionibus perseverare, se vero, omnibus bonis orbatam, nullatenus ab eo separari posse.

SOLUTIO. — Ut nihil dicamus de impedimento clandestinitatis, matrimonium Valentinae cum Samuele nullum fuit ob disparitatem cultus. Sed an saltem in futurum poterit valide liciteque cum eo manere infelix puella ? Interrogare eam debebit Nicanor in primis num nullum periculum proximum eius fidei moribusque e consortio Samuelis impendeat : nam si tale periculum plane certum adesset, omnino iubenda esset ut ab eo recederet (n. 372). Insuper promittere debet puella se facturam esse quicquid moraliter potest ut universam prolem susceptam vel suscipiendam catholice educet. Si utrumque in tuto erit, Nicanor recurrere poterit ad curiam episcopalem vel ad S. Officium ut obtineat dispensationem in

impedimento disparitatis cultus. Quod si praevidet Samuelem denegaturum esse renovationem consensus, sanationem in radice petere debebit (n. 489).

VIII. IMPEDIMENTUM VIS ET METUS

CASUS I

Ad Lambertum confessarium accessit Ferdinanda, quae ei gemebunda exponit se a duabus hebdomadis matrimonio iunctam esse cum Philippo, nobili viro, cui consensum coniugalem non nisi reluctans dedisset; matrem vero suam, mortuo iam patre, a duobus annis iugiter institisse ut illi viro, divitiis pollenti maximis, nuberet, minatam esse se eam in monasterio inclusuram esse quam diu posset, ni consentiret; quin etiam semel alapam inflixisse quia sollicitanti obsequi recusaret. Rogavit Lambertus num iam matrimonium consummasset : cui respondit paenitens se id fecisse quia quadam vi a Philippo adacta fuisset.

SOLUTIO. — E tali expositione iudicare poterit confessarius, saltem probabiliter, matrimonium Ferdinandae cum Philippo fuisse irritum ob metus impedimentum : metus enim reverentialis hic iis stipatur circumstantiis, praesertim si diuturnam eius durationem attendimus ut dicendus sit gravis (n. 490, II). Neque obstat copula habita : matrimonium enim non convalidatur copula nisi haec habeatur animo coniugali, et post cognitam matrimonii nullitatem, et metu iam cessante : quae condiciones profecto in casu non occurrerunt. Reapse adiuncta in casu exposita compendio exhibent quae fuse exposita sunt in causa Parisiensi, qua discussa, pronuntiavit S. C. C. 18 iun. 1898 confirmandam esse sententiam curiae Parisiensis, quae matrimonium declaraverat irritum (Act. S. S. t. 31, p. 205 seq.). Fatendum tamen est confessarium e tali expositione numquam habiturum esse plenam certitudinem nullitatis vel valoris matrimonii e metu initi, ut liquebit legenti prolixas disputationes et examina quae S. C. C. in hac aliisque similibus causis instituenda iudicavit antequam sententiam suam proferret. Quid ergo consulet

Ferdinandae Lambertus ? Quoniam in casu, ob perseverantem mulieris aversionem a Philippo, nulla spes est revalidandi matrimonii per consensum libere ab ea datum, iubebit eam casum deferre ad Episcopum eiusve Vicarium Generalem, seu ore tenus, seu litteris scriptis ; interim vero a Philippo separari quoad habitationem, si fieri potest, vel saltem nullatenus ei commisceri.

CASUS II

Iosephina, quae votum castitatis emiserat, a patre suo saepe et instantibus verbis impulsa est ut Hygino, diviti adulescenti, nuberet. Restitit aliquandiu puella. Tandem, cum patrem multum amaret ac veneraretur, acquievit. Sed cum discordia inter coniuges intercessisset, Iosephina Hyginum deseruit palamque edixit matrimonium suum fuisse nullum, utpote quod numquam iniisset nisi metu patris impulsa fuisset.

SOLUTIO. — Si Iosephina sacerdotem quendam consulit, hic eam iubere debet ad Hyginum redire eique (nisi quid aliud obstet) pacifice cohabitare. Etenim si nullum aliud medium a puellae patre adhibitum est, ut eius consensus obtineretur, quam instantes crebroque repetitae exhortationes, neque adhibitae sunt minae, malae tractationes vel preces tam importunae ut gravi iniuriae aequivalerent, metus reverentialis non est censendus gravis (n. 490, II). Quare moraliter certum est in casu valere iam matrimonium, vel saltem eius invaliditatem nullatenus probari posse. Iosephina igitur, si sapit, consensum suum renovabit, saltem ad cautelam, monito etiam Hygino ut et ipse eum renovet, nisi forsan timeretur ne, cognito defectu saltem probabili consensus, eum iterum dare renuat vel etiam, contra omne fas, discedere velit (n. 535).

CASUS III

Firmino uxor iuncta fuerat Aemilia, quae a patre suo multis ac diuturnis precibus, vexationibus et minis ad consentiendum adducta fuerat. Sed praeter spem placuit ei

Firmini societas. Quare matrimonium, dato consensu mutuo, revalidare cupiit. Hunc in finem, iuxta Severini confessoris sui monitum, a Firmino postulavit ut iterum in societatem coniugalem consentiret. Sed, proh dolor ! Firminus gaudio exsultavit ubi defectum hunc consensus dati audivit, statimque divortium instituere voluit.

SOLUTIO. — Vix dubitandum est quin matrimonium Aemiliae cum Firmino fuerit initio nullum, cum metus omnino gravis a patre incussus videatur ad extorquendum consensum (n. 490, II). Verum, sedulo examinandum num forte ipsa Aemilia defectum illum, consensu libere dato, iam sanaverit. Hoc autem fecit si, conscia nullitatis (prout videtur fuisse ab initio), copulam affectu maritali cum Firmino habuit, metu iam sublato (n. 539). Quod si factum erat, iam nullatenus dubitandum erat quin utraque pars in matrimonio perstare deberet. Idque obtinet etiamsi in eo loco viget decretum *Tametsi*, si quidem talis defectus solet esse occultus ac proinde minime requiritur ut iterum in forma Tridentina contrahatur (n. 538. I). Sed etiamsi nondum primigenium matrimonii sui vitium sanavit Aemilia, imprudenter ei consuluit confessarius ut a Firmino novum consensum postularet, nisi moraliter certum esset eum libenter assensurum esse : siquidem probabilius sufficit perseverans alterius partis consensus (n. 535). Ceterum neque ipsi Firmino ullatenus licet statim discedere a matrimonio in facie Ecclesiae inito, nisi quoad torum et habitationem : exspectare enim debet donec eius matrimonium a competente auctoritate nullum declaretur. Ipse tamen non tenetur consensum suum dare, si quidem (ut e casus adiunctis dicendum videtur) neque per se, neque per alium metum incussit Aemiliae, ac proinde nullam iniuriam reparandam habet. Quin etiamsi forte cum Aemiliae patre conspirasset ad metum puellae incutiendum, adhuc probabile est eum ab hac obligatione immunem esse : quamquam saepe per accidens ad consensum dandum teneretur, quia matrimonii convalidatio esset unicum medium reparandi adaequate iniuriam sponsae illatam per metum iniuste incussum (Rosset, de Sacr, Matr. II. n. 1339 seq.).

CASUS IV

Apollonia vehementer a parentibus impellitur variisque modis vexatur ut Sosio, diviti adulescenti, nubat, dum totum

suum affectum Luciano pauperiori tribuit. Postquam aliquandiu restitit, statuit victas dare manus, ut se intolerabili condicioni, in qua versabatur, subtraheret. Noverat quidem nullum esse matrimonium e metu initum, sed existimavit hanc nullitatem non esse incurrendam cum ipsa sciens volens nuptiis consentiret ut a domus paternae angustiis liberaretur.

SOLUTIO. — Errat Apollonia dum existimat matrimonium suum validum fore. Impedimentum enim metus ab Ecclesia inductum est in commune bonum christianae societatis, ac proinde non pendet a contrahentis voluntate valor vel nullitas matrimonii in quo concurrunt eae condiciones quas Ius Canonicum sufficere declaravit impedimento inducendo. Neque umquam in examinandis matrimoniis quorum nullitas declarari petebatur ob metum incussum, S. Sedes inquisivit num pars metum passa renuntiasset praesidio quod ipsi a Iure concessum est adversus iniuriam metum incutientis. Attamen non est imponenda Apolloniae obligatio considerandi matrimonium suum cum Sosio tamquam invalidum, nisi manifeste constet de gravitate metus incussi ceterisque impedimenti condicionibus : non est enim spolianda iure suo ad hoc matrimonium ineundum, quam diu non manifesto constat impedimentum exstare. Sed si de hoc plane constat, quomodo ex angustiis suis exibit Appollonia ? Optimum consilium videtur ut Sosium moneat de vi quae ipsi infertur : ut, eo recusante iam puellae manum, cessent simul parentum vexationes. Sed si hoc medium inefficax est ad malum propulsandum, non peccabit si consensum suum seu vere, seu ficte dabit matrimonio cum Sosio, dummodo determinata sit ad recusandam copulam quam diu non omnino libere consensum praestiterit et matrimonium revalidaverit (n. 124). Raro tamen huius modi consilium dandum videtur, ne in summas augustias incidat puella, dum pseudo-maritus debitum coniugale exacturus est, praesertim ubi matrimonium civile viget plane independenter a vero matrimonio canonico. Nam facile continget non posse iam probari metum ita ut matrimonium civiliter nullum declaretur : unde in condicionem difficillimam incidet puella quae coram Statu, non autem coram Deo, erit Sosii uxor.

CASUS V

Wilfridus cum Waldetrude amasia sua, quam solam domi versari putabat, rem habuit. Sed ecce inopinato advenit puellae pater Egbertus, qui ira extra se raptus sclopum *(revolver)* in adulescentem protendit, mortem minitans. Perterrefactus Wilfridus ad genua Egberti provolvitur eiusque placandi gratia, promittit se brevi matrimonium cum Waldetrude initurum esse : quod reapse praestitit.

SOLUTIO. — Probabilius valet matrimonium Wilfridi cum Waldetrude : metus enim a patre incussus, quamquam iniustus erat, non incutiebatur ad extorquendum assensum in matrimonium (n. 490, II, 4°). Hic ergo ab adulescente libere electus est tamquam medium quo se ab Egberti vindicta tueretur.

CASUS VI

Publia ethnica a parentibus suis, graves minas intentantibus plurimasque vexationes inferentibus, adacta est ut Metellum pariter ethnicum maritum acciperet. Post aliquot menses ambo coniuges ad fidem catholicam conversi sunt. Sed cum numquam in pace vixissent, petierunt a Nicolao missionario ut, postquam baptismum suscepissent, ab invicem discedere novasque nuptias contrahere possent.

SOLUTIO. — Censemus Nicolaum annuere posse neophytorum suorum votis. Etenim si parentum minae vexationesque tantae fuerant ut Publiae mentem ipso quo contrahebat momento turbassent, neque ei facultatem consensus plene deliberate dandi reliquissent, matrimonium esse ipso iure naturae nullum (n. 457). Extra hanc hypothesim (quae rarius vera erit), matrimonium duorum illorum infidelium, iuxta sententiam quam sequimur, validum erit. Nihilo minus, cum sententia certe probabilis pro eius nullitate pugnet (n. 490, I), valor eius non est nisi probabilis : quare, iuxta

regulam a S. Sede probatam (n. 479, III), licebit stare pro nullitate in favorem fidei, Neque hic timendum erit ne matrimonium mutua cohabitatione et copula, durante infidelitate, revalidatum fuerit, si quidem plane improbabile est Publiam fuisse nullitatis matrimonii consciam et consensum novum, independentem ab eo quem metus saltem probabiliter irritaverat, dedisse (n. 535). Alii tamen (Matharan, n. 225) opinantur non posse tales coniuges separari antequam S. Sedes consulta fuerit.

IX. IMPEDIMENTUM ORDINIS SACRI

CASUS I

Clodoaldus subdiaconatum receperat eo tantum animo ut a pia quadam matertera temporalia subsidia obtineret, excluserat tamen quamlibet voluntatem se ad castitatem obligandi. Postea vero, relicto seminario, in regionem longinquam, in qua valebant matrimonia clandestina, profectus, coram civili magistratu Annam coniugem accepit. Tandem, multis elapsis annis, ad confessionem accessit, ut conscientiae suae consuleret.

SOLUTIO. — Matrimonium Clodoaldi cum Anna irritum est propter impedimentum ordinis sacri (n. 491). Nam eo ipso quod ordinem suscipere voluit, debuit velle quaecumque cum ordine sunt, iuxta legem Ecclesiae, necessario conexa ; qualia sunt obligatio servandae, saltem in externis actibus, castitatis et impedimentum dirimens matrimonii. Cfr. Feije, de Imp. Matri. n. 506 ; Gasp. I. n. 588. Quare recurrendum esset ad S. Sedem ut dispensatio obtineretur : interim vero Clodoaldus et Anna a copula abstinere deberent.

CASUS II

Onesimus Placido confessario exponit se a paucis hebdomadis suscepisse subdiaconatum, sed tantum metu coactum : avunculus enim, qui ei pro tutore erat, minatus

ei erat se eum quolibet praesenti subsidio et qualibet spe hereditatis privaturum esse si statui clericali valediceret, unde in summam inopiam incidisset, Nunc vero nihilo minus vellet ad statum laicorum redire et matrimonium inire.

SOLUTIO. — Modo vera sint quae ab Onesimo exponuntur, ipse non tenetur, vi ordinis sacri suscepti, servare castitatem. Attamen, antequam nuptias contrahat, tenetur Onesimus ad probandum gravem metum iniustum quem passus fuerit, neque matrimonium inire potest antequam S. C. C. ei declarationem status liberi dederit (n. 30). Placido igitur hoc unum praestandum est, ut paenitentem iubeat casum exponere episcopo vel vicario eius generali, qui S. C. C. ea de re adeat.

X. IMPEDIMENTUM LIGAMINIS

CASUS I

Philemon, ut exosum uxoris suae Xantippae iugum excuteret, in regionem longinquam, negotiationi vacaturus, profectus est. Post duos annos, ex illa regione venit quidam vir qui testatus est se vidisse Philemonem e periculoso morbo decumbentem ; et brevi post, alter, ex iisdem locis redux, narravit se locutum esse cum aliquo viro qui morienti Philemoni adstiterat. Nec mora : statim Xantippa alias nuptias, probante parocho, contraxit. Quod cum audisset parochi confessarius, paenitentem severe increpavit iussitque Xantippam a novo marito suo quoad torum saltem separare.

SOLUTIO. — Temere processit parochus : nam, cum prior testis Philemonis morbum, non mortem testaretur, non occurrebant, in casu, duo illi testes concordes, de facto proprio testantes et quoad substantiales obitus circumstantias concordes (n. 492, I). Quare debuisset rem ad Ordinarium deferre vel per se ipsum com-

plere id quod utriusque viri testimonio deerat, puta litteris missis ad magistratum vel sacerdotem regionis in qua Philemon obiisse narrabatur. Ubi matrimonium civiliter quoque contrahendum est, generatim sufficiet parocho scire nupturientes a civili magistratu ad contrahendum admissum iri : praesumere enim debet (quod plerumque cum veritate conveniet) id non esse acturum magistratum antequam ipsi authentice de morte prioris coniugis constiterit. Attamen si quando nosset magistratum civilem levioribus probationibus esse contentum quam quae ab Ecclesia requirantur, non posset procedere antequam Ordinarium consuluisset. Sed et confessarius parochi erravit. Matrimonium enim, ubi contractum iam est, censendum est validum donec contrarium clare probetur : quod in casu profecto minime contingit. Debuisset igitur parochus Xantippam novumque eius coniugem in bona fide relinquere ; interim tamen secretas informationes sumere ut de vita vel morte Philemonis plenam certitudinem obtineret. Cfr. Gury, Cas. n. 1005 seq.

CASUS II

Saturninus, relicta uxore sua Victorina, ex Europa in Americam profectus est, opes quaesiturus. Decem annos eum fideliter exspectavit Victorina : quo tempore elapso, cum iam omnem spem amisisset recipiendi coniugis, quem obiisse minime dubitabat, fidem suam sponsaliciam astrinxit Venantio parochumque adiit ut eos matrimonio quam primum iungeret.

SOLUTIO. — Si nullum aliud argumentum suppetit Victorinae ut Saturninum e vivis excessisse probet quam defectus cuiuslibet nuntii ab eo vel de eo recepti per decem annos, parochus minime poterit Victorinam ad alias nuptias ineundas admittere : liquet enim nullam de obitu mariti moralem certitudinem haberi (n. 492, I). Igitur antequam Victorinae votis annuat, parochus rogare debet civilem magistratum ut de obitu Saturnini inquirat, vel, si hac via nihil proficere potest, necesse est ut ipse, missis litteris ad regionem in qua praesumitur virum supremum diem obiisse, testimonium moraliter certum de eius obitu quaerat. Quod si haec testimonia non plenam certitudinem dabunt, adminiculo esse

poterit diutina absentia, et defectus cuiuslibet nuntii a viro vel de viro accepti. Hoc tamen adminiculum nullum erit, ut scite advertit S. Off. in Instr. 14 maii 1868, si constiterit eum qui discessit numquam epistolarum commercium habuisse cum sua familia aut cum propinquis et amicis ; gravem vero praesumptionem de eius morte suppeditabit si constat talem epistolarum sive relationum consuetudinem ad tempus affuisse, et postea cessasse, quin cessationis ratio appareat. Ipse Ordinarius similibus mediis uti debebit ut moralem certitudinem de obitu Saturnini obtineat : quam si assequi non possit, debebit iubere Victorinam ut exspectet donec ampliora argumenta habeantur, vel, si peculiares rationes adsint concedendi novas nuptias (puta matrimonium civile ad quod partes temere ex magistratu admittantur), rem ad S. Sedem deferre.

CASUS III

Petronilla maritum, ab hostibus captum abductumque, tres annos exspectavit : quibus elapsis, a Reginaldo missionario petiit ut se ad nubendum Valeriano admitteret. Renuente Reginaldo, Petronilla et Valerianus clandestinas nuptias (quae in loco valent) iniere. Quos cum acriter increpasset missionarius, vir declaravit se paratum quidem esse ad deserendam Petronillam, sed aliam uxorem ducere prorsus velle.

SOLUTIO. — Nequaquam licet Valeriani voto annuere. Nefas enim est dissolvere matrimonium probabiliter validum quod cum Petronilla iniit, novumque matrimonium cum hoc probabili iuris divini impedimento inire (n. 469, VI). Neque sinendi sunt Valerianus et Petronilla cohabitare, si res publici iuris est, ut in casu contigisse videtur : quoniam in foro externo habentur ut nullae nuptiae quae mala fide initae fuerint antequam authentice constiterit vinculum prioris matrimonii morte mariti solutum esse. Atque in hunc sensum respondit S. Off. 22 martii 1865, de huius modi casu interrogatum (Coll. P. F. n. 1369) : " Separandos esse coniuges, et virum non posse secundas inire nuptias, usque dum moraliter sit certum, quo tempore ipse matrimonium iniit cum muliere de qua agitur, iam primum virum eiusdem mulieris non

obiisse „. Attamen, si ab auctoritate ecclesiastica simul vivere permitterentur, probabiliter debitum petere et reddere possent Valerianus et Petronilla, postquam frustra fecissent quod poterant ad dubium de morte prioris mariti deponendum (n. 493, III).

CASUS IV

Rosina, postquam unum annum exspectavit reditum mariti ab hostibus abducti, a quodam advena audivit eum iam e vivis excessisse. Huic nuntio, utpote grato, statim fidem adhibuit, nulloque praesente sacerdote matrimonium cum Clemente iniit in loco in quo valebant matrimonia clandestina. Haec cum audiisset Audomarus missionarius simulque perspectum haberet quantum defuisset probationi canonicae de obitu prioris coniugis, dubitavit num Rosina et Clemens simul habitare permittendi essent.

SOLUTIO. — Licet Audomaro permittere ut maritaliter vivant Clemens et Rosina, quam diu non constabit vivere priorem maritum, prout S. Off. respondit 22 martii 1865 (Coll. P. F. n. 1369). Ratio est : bona utriusque fide contractum esse matrimonium, ac proinde, licet non magis quam in casu praecedente remotum sit periculum peccatorum materialium, abesse peccata formalia quae Ecclesia summopere horret eamque inducunt ut eos qui mala fide matrimonium cum tali dubio attentaverint separari iubeat. Cfr. Matharan, Cas. n. 208.

CASUS V

Felicianus missionarius interdum nescit quid sibi agendum sit cum quibusdam advenis, qui mulierem in eius territorio habitantem velint uxorem ducere. Hi enim, si sacerdos non statim credit asserentibus statum suum liberum, eosque exspectare iubet donec illius documenta exhibeant, ministrum protestantem adeunt : a quo facile obtinent nuptialem benedictionem.

SOLUTIO. — Nefas est Feliciano propria auctoritate discedere a normis quas ipsi Ecclesia praestituit ut de statu libero nupturientium constet. Videtur tamen sequi posse consuetudinem loci, si per eam inductus fuerit modus minus accuratus quam examen duorum testium pro utraque parte (n. 454). Hanc praxim in huius modi urgentioribus casibus rationabilem esse, patet e facultate quam S. Sedes interdum indulsit episcopis de hac difficultate consulentibus. Ita ad Episcopum S. Alberti 9 dec. 1874 rescripsit. S. Off. (Coll. P. F. n. 1375) : " Dummodo constet de domicilio alterutrius sponsi, et factis interrogatoriis iuxta formulam transmissam, SS^mus facultatem A. T. impertitur, subdelegandam quoque missionariis tibi subiectis, qua iidem sponsi admitti possint ad iuramentum suppletorium „. Attamen si in casu quodam specialis ratio esset dubitandi de statu libero cuiusdam advenae nupturientis, Felicianus deberet, quatenus posset, Ordinarium consulere eiusque mandatis stare. Neque ipse Ordinarius posset indulgere ut assisteret parochus matrimonio in quo saltem de una parte prudenter timeretur ne ligaminis impedimento detineretur (n. 492, I).

XI. IMPEDIMENTUM AETATIS

CASUS I

Marcellus, Vicarius Apostolicus regionis calidissimae in qua pubertas multum praevenire solet aetatem in qua iuxta leges ecclesiasticas praesumitur, non solum per se ipsum, sed per sacerdotes suos in casibus particularibus vel generaliter delegatos, indulget adulescentibus iam puberibus ut matrimonium ineant. Postea vero declarat posse in sua missione ad matrimonium admitti iuvenes tredecim annorum et puellas undecim annorum, quia, iuxta regionis condiciones, iam solent hac aetate puberes esse adulescentes.

SOLUTIO. — 1° Iure suo utitur Marcellus dum adulescentes iam puberes ad matrimonium admittit antequam legalis pubertatis annos attigerint, modo simul mente sat evoluti sint ut matrimonii

obligationes crasso modo intellegant (n. 494). Neque prohibetur ab hac facultate sua, utpote ordinaria, sacerdotibus suis deleganda, etiam ad universitatem causarum (Vol. I. n. 117). Attamen, cum aegre dignoscatur num adulescentes iam puberes sint, nisi iuvenis copulam fecundantem habuerit vel puella iam conceperit, periculosum foret hanc facultatem generali ratione multis sacerdotibus delegare, atque ipsum sacramentum periculo nullitatis exponeretur, si delegati in hoc iudicio errarent. Suadet ergo prudentia ut non nisi valde peritis maturique iudicii clericis vices suas committat Vicarius Apostolicus. Cfr. Rosset, De Sacr. Matr. t. III. n. 1498.

2° Potestatis suae limites excedit Marcellus dum generali statuto aetatem minorem in sua missione statuit ad matrimonium ineundum quam quae per leges Pontificias determinata est. Ipsi enim fas est tantum declarare in casibus particularibus malitia suppleri aetatem, minime vero ius novum pro suo territorio condere. Accedit et haec ratio quod, ad faciendam declarationem episcopo permissam, constare debet non tantum de physica pubertate, sed etiam de sufficienti cognitione matrimonialis contractus : de qua cognitione certe lex generalis ferri nequit.

CASUS II

Lucius religione paganus, duodecim circiter annos natus, secundum mores regionis et caerimonias quae apud infideles verum matrimonium denotant, suae sororis filiam Bertham, pariter paganam, sex tantum annos natam, uxorem duxit. Ab eo tempore Bertha, quamquam apud matrem suam morabatur, collo suo appensum gerebat ornamentum *(taly)* quod nuptae feminae signum in hac gente habetur. Annos nata decem, cum Lucio, quem tamquam maritum suum agnoscebat et cui cohabitare intendebat, ubi nubilis facta esset, baptismum recepit.

SOLUTIO. — Matrimonium Lucii cum Bertha minime invalidum erat propter impedimentum consanguinitatis vel propter impedimentum aetatis : cum aetas universim (n. 494) et consanguinitas in secundo gradu lineae collateralis mixto cum primo

(n. 479, III) sint iuris mere ecclesiastici. Sed valde probabile est idem matrimonium esse nullum, quia Bertha, sex tantum annos nata, nondum consensum plene liberum praestare potuit (n. 457, 3°). Neque hunc initialem defectum sanavit consensus quem forte postea, iam magis evoluta mente, elicere potuit : quoniam ad hunc effectum oportuit Bertham cognoscere matrimonii sui nullitatem, quam certe ignoravit (n. 535). Fieri etiam posset ut idem matrimonium invalidum esset ob legem civilem quae matrimonium inter avunculum et neptem irritaret (n. 467, III). Quid ergo agendum cum his tenerae aetatis coniugibus quando haptismum receperunt ? Danda iis erit ad cautelam dispensatio in impedimentis aetatis et consanguinitatis : qua obtenta vel ab Ordinario (si ad huius modi casum extenderentur eius facultates) vel a S. Sede, consensum ad cautelam renovare deberent. Constat e responso quod S. Off. dedit 17 apr. 1839 (Coll. P. P. n. 1380) Vic. Ap. Pondicheriensi, qui hunc casum proposuerat : " Renovandum esse consensum ad cautelam; ad quem effectum pariter ad cautelam impetrandam esse a SS^mo^ dispensationem. „

XII. IMPEDIMENTUM CLANDESTINITATIS

Punctum I. De natura huius impedimenti

CASUS I

Maurus et Laura, initis iam in Belgio sponsalibus, cum magna quadam peregrinatione B. M. V. *de Lourdes* adierant. Dum in celebri sanctuario versantur, vehemens eos incessit cupido celebrandi matrimonii sub oculis Immaculatae. Quare parochum suum, ope telegraphi, rogavit Maurus ut sacerdos quidam Belga, qui peregrinantes comitabatur, eorum matrimonio assistere valeret. Fulminis alis rediit responsum quod optabant felices sponsi, qui summa cum devotione sacramentum matrimonii coram celebri specu susceperunt.

SOLUTIO. — Validum est matrimonium : parochus enim, sicut potest ubilibet assistere paroecianorum suorum matrimonio

(n. 496, III), ita etiam ubilibet vices suas alii sacerdoti delegare potest (n. 497). Attamen plura, quae in casu non exprimuntur, necessaria sunt ut etiam licite egerint Maurus et Laura. Vid. : 1° Necesse est ut proclamationes omnes iam factae fuerint vel ut in iis fuerit dispensatum (n. 448 seq.). — 2° Ut nullum fuerit in dioecesi ad quam pertinet Maurus speciale statutum, quo ius assistendi nuptiis reservaretur parocho sponsae (n. 496, III). — 3° Ut sacerdos Belga sollemnem benedictionem non dederit in Basilica de Lourdes sine licentia rectoris illius Ecclesiae : quod iuri rectoris manifeste adversaretur. Cfr. Matharan, Cas. n. 327.

CASUS II

Eleutherius matrimonium iniit cum Valeria, e ditissima quadam familia, quae tempore hiemali civitatem, tempore aestivo magnificam villam in pago quodam incolebat. Matrimonium autem in aestate celebrandum erat : quare sponsae parentes rogaverunt Stephanum parochum pagi ut ei interesset. Hic vero dubius haesit num id sine delegatione parochi domicilii urbani valeret.

SOLUTIO. — Valide assistet Stephanus matrimonio Eleutherii et Valeriae si huius parentes solent in illa villa sex fere menses commorari, puta a mense Aprili ad mensem Octobrem, ut a pluribus fit in nostro Belgio : in hac enim hypothesi Valeria eiusque parentes duplex habent domicilium, unum in civitate, alterum ruri, licet forsan paulo diutius in uno loco quam in altero commorentur (Vol. I. n. 99). Si vero per tres tantum quattuorve menses rusticantur Valeriae parentes, saltem in praxi petere debet Stephanus facultatem ab uno ex iis qui certe ius habeant illius matrimonio assistendi, nempe a parocho paroeciae urbanae quam parentes incolunt, ab Episcopo vel eius Vicario Generali. Etenim, licet aliqui AA. censeant sufficere commorationem brevioris temporis, sententiae S. C. C. irrita declararunt matrimonia in quibus plurium mensium commoratio in villa, sed sine animo per sex menses manendi, allegata fuerat ad valorem matrimonii probandum. Ita in *Parisiensi Matrimonii* 14 dec. 1889 pronuntiavit nullum esse matrimonium cui adstiterat parochus loci cui nomen Epinay in dioecesi Versaliensi, quamquam sponsae parentes in illa paroecia

anno qui nuptiis praeiverat quinque circiter menses et ipso nuptiarum anno quattuor circiter menses, commorati erant. Cfr. Gasparri, de Matrim. II. n. 932. Si forsan, eo ipso anno quo nuptiae celebratae sunt, parentes, contra consuetudinem suam, sex menses in villa sua commorati erant, vel saltem animum tam diu commorandi habebant, probabilius poterat Stephanus Valeriae nuptiis adesse, ob contractum hoc ipso anno quasi-domicilium (Vol. I. n. 100). Attamen cum facile de hoc animo dubia oriri possent, iuvaret etiam in hac hypothesi delegationem a certo parocho postulare, si matrimonium celebrandum esset antequam sex commorationis menses completi fuissent.

CASUS III

Tiburtius, qui cum aliis familiae suae membris in civitate commorabatur et variis negotiis vacabat, simul in aliquo pago suburbano praedium rusticum habebat : ad quod saepius per hebdomadam tendebat, neque infrequenter in eodem pernoctabat. Quin etiam, ut munere burgimagistri in eodem pago fungeretur, ibi domicilium suum civile constituit. Matrimonium cum Felicitate inire cupiens, rogavit pagi parochum Leontium ut se cum futura burgimagistra sollemniter, laetantibus et plaudentibus pagi incolis, coniungeret.

SOLUTIO. — Delegationem a parocho urbano petere debet Leontius, nisi forte Felicitas domicilium vel quasi-domicilium in eius paroecia haberet. Etenim nihil hic iuvat domicilium civile, cum Ecclesia hic solas suas leges attendat (Vol. I. n. 99). Iam vero Tiburtius nequaquam implet condiciones lege ecclesiastica praescriptas ut domicilium vel quasi-domicilium acquiratur : non enim vere sedem suam ponit in aliquo loco, qui toto anno praecipuam sedem habet in alio, ad alterum vero illum locum non tendit nisi per diem, quamquam interdum quasi per accidens ibidem pernoctat.

CASUS IV

Antonius, qui a pluribus annis cum Leocadia in turpi concubinatu vixerat et plures liberos ab ea susceperat,

in gravem morbum incidit : quare ad xenodochium in vicina paroecia situm delatus est. Pacomius vero, qui huius paroeciae curam gerebat, opportunum duxit eum quam primum legitimo matrimonio cum Leocadia iungere, ut hominem a pluribus tentationibus liberaret, sed dubitavit num delegationem ab aliquo alio parocho petere deberet.

SOLUTIO. — Antonius non est vagus, sed domicilium habet in paroecia in qua morabatur cum Leocadia. Quare per se illius loci parochus eiusve delegatus matrimonio interesse debet. Attamen videndum num forsan in paroecia, in qua situm est xenodochium, acquisiverit domicilium vel quasi-domicilium : quod si contigerit, Pacomius, nullius facultate requisita, matrimonio interesse poterit. Iam vero domicilium ibi acquisivit si bene novit se ex illo morbo esse moriturum, animumque habet ad mortem usque permanendi in eodem xenodochio ; quasi-domicilium acquisivit, si sciebat morbum saltem per sex menses duraturum esse et tam diu ibidem permanere decrevit, vel si iam per semestre aegrotans in eodem loco iacuit Antonius (Gasparri, de Matr. II. n. 931). Attamen si mors nondum instabat, Pacomius minime procedere poterat ad matrimonium celebrandum antequam constitisset de statu libero Antonii et Leocadiae, atque proclamationes factae essent vel dispensatum in iisdem fuisset. Quandoque Ordinarius indulget ut sacerdos qui curam suam impendit aegrotis in aliquo xenodochio versantibus, seu parochus, seu alius, iis omnia sacramenta parochialia administret : qua facultate data, licebit huic sacerdoti celebrare matrimonia in quibus saltem una pars in xenodochio maneat atque ad dioecesim eiusdem Ordinarii pertineat.

CASUS V

Hyacinthus Antverpiensis negotiorum causa se confert Lutetiam Parisiorum, paratus redire Antverpiam quam primum negotiis tractandis finem imposuisset. Sed menses iam septem elapsi erant, necdum finem videbat. Interim amare coeperat Eulaliam, quae in quodam vico suburbano degebat. Brevi autem post adiit Lucianum, in

cuius paroecia situm erat diversorium in quo cubiculum locatum incoluerat ab octo mensibus, petiitque ut se cum hac puella coniungeret.

SOLUTIO. — Censemus Lucianum non posse assistere matrimonio Hyacinthi cum Eulalia, nisi delegationem obtinuerit ab Ordinario vel a parocho domicilii alterutrius sponsi. Etenim, licet iuxta resp. S. Off. 9 nov. 1898 sufficiat aliquem commoratum esse per sex menses in eadem paroecia ut in ea quasi-domicilium acquirat, quin inquisitio facienda sit de animo ibi permanendi per maiorem anni partem, id tamen videtur intellegendum, iuxta Litt. S. Off. 7 iun. 1867, de iis qui commorantur eo modo quo solent ii qui proprie domicilium habent, minime vero de iis qui ibidem commorantur tantum more itinerantium, prout fecit Hyacinthus, cubiculo conducto in diversorio, absque ulla stabilitate.

CASUS VI

Iam aderant in ecclesia parochiali Sebastianus et Honorina, cum testibus suis, ad matrimonium ineundum, cum audiunt parochum morbo impediri quominus domo egrediatur. Sed aderat Vincentius sacerdos, qui Missam celebraverat. Hunc rogant ut matrimonio assistere velit. Statim misit Vincentius puerum cum schedula qua petebat a parocho facultatem assistendi huic matrimonio. Moras nectente nuntio, cum mussitantes audiret sponsos ac testes, matrimonium celebravit comis sacerdos, minime dubitans quin iam facultas a parocho concessa fuisset.

SOLUTIO. — Manifeste invalidum est matrimonium Sebastiani cum Honorina si, eo momento quo contractum est, parochus nondum concessisset facultatem petitam. Quin etiam, iuxta sententiam quam veriorem censemus (n. 497), invalidum est si iam eo tempore concessa erat praedicta facultas, quia eius concessio nondum erat intimata Vincentio. Plures tamen AA. graves, ut Sanchez (de Matr. l. 3. disp. 36 n. 8), censent valere, quia iam erit intimata nuntio sacerdotis, qui eius personam repraesentat. Cfr. Rosset, t. IV. n. 2240. Quare post factum conandum esset ut matrimonium iterum

coram sacerdote qui certe ius assistendi haberet clam contraheretur. Nullatenus tamen permittendum foret ut coniuges divortium instituerent, nisi competens auctoritas ecclesiastica nullitatem declarasset (n. 492, II). Manifestum quoque est graviter deliquisse Vincentium dum, nulla stricta necessitate urgente, matrimonium periculo nullitatis exposuit, et sponsos pluribus incommodis quae ex invalido contractu crebro sequuntur.

CASUS VII

Cyrus sponsalia cum Blanda, condicionis honestae sed multo inferioris puella, contraxerat, parentibus plane invitis. Horum oppositione deterritus, Salvianus parochus omnino renuit eorum matrimonio interesse. Sed mane quodam, cum Missam celebraret seque ad populum converteret, dicens : *Dominus vobiscum,* obstupefactus videt Cyrum et Blandam, coram altari stantes cum duobus testibus. Statim iis tergum vertit : non potuit tamen quin audiret sponsum clara voce consensum exprimentem, quamquam sponsam, quae vix summis labiis loqui audebat, non audierit.

SOLUTIO. — Modo Blanda consensum suum, seu voce, seu nutu satis expresserit ut a testibus percipi potuerit, valet matrimonium, si quidem facile potuisset Salvianus eius quoque consensum percipere, si voluisset : unde nihil deerat ex iis quae ad validam matrimonii celebrationem requiruntur (n. 498, VI). Attamen peccarunt Cyrus et Blanda dum ita coegerunt parochum ut invitus assisteret et Missae celebrationem perturbarunt. Nam, etiamsi parochus irrationabiliter denegaret assistentiam suam, (ut posset contingere in huius modi casu, quia et ipsi parentes immerito obsistunt honestis vel etiam moraliter necessariis nuptiis), postulat rectus ordo ut ad Ordinarium recurratur, potius quam ipsi nupturientes iura sua vindicent, nisi et illa via ipsis praeclusa sit. Communior tamen sententia id a gravi peccato excusat, nisi gravis fiat iniuria : quod in casu non videtur contigisse.

CASUS VIII

Rufina, viginti quattuor annos nata, ancillabatur in oppido vicino pagi in quo eius parentes habitabant et ad quem interdum, per aliquot dies, recreationis causa, redibat. Matrimonium initura cum Sileno, pagi cuiusdam vicini adulescente, dimisso famulatu, ad parentes rediit et paucis post diebus coram parocho pagi sui contrahere voluit, deinceps cum marito suo in oppido habitatura.

SOLUTIO. — Valide assistet Rufinae matrimonio parochus, si puella nondum omnino valedixit domui paternae, ut plerumque contingit iis quae ancillantur eo animo, ut ad paternos lares redeant si, ob quamlibet rationem, famulatum congruum non reperiant. (Vol. I. n. 101). Nihilo minus, cum de hoc animo facile dubia insurgere possint, expedit in huius modi casibus petere, saltem ad cautelam, delegationem a parocho alterius partis (si de eo nullum dubium habetur) vel ab Ordinario. Laudandus profecto mos qui in pluribus dioecesibus viget, ut parochus sponsi, dum ad parochum sponsae transmittit testimonium status liberi parochiani sui, addat delegationem ad cautelam.

CASUS IX

Marcellina, pia mulier, quae operam suam impendebat histrionibus vagantibus *(forains)* in divino servitio promovendis, certior facta est quendam virum, Ulyssem nomine, cum quadam muliere Penelope dicta maritaliter vivere, sed coram nullo sacerdote comparuisse. Hos ut compararent coram parocho vicino enixe hortata est : sed frustra. Tunc adduxit secum Machutum, vicarium paroeciae S. Lupi, ad assistendum matrimoniis delegatum, qui eos, coram duobus testibus, coniunxit. Ortum tamen est dubium de matrimonii illius valore, quia Ulysses et Penelopes, eo momento quo contraxerunt, non versabantur in territorio paroeciae S. Lupi.

SOLUTIO. — Censemus matrimonium valere. Nam iuxta communem sententiam, Ulyssis et Penelopis matrimonio assistere potest quilibet parochus (n. 496), ac proinde etiam quilibet parochus dare poterit cuilibet sacerdoti necessariam delegationem. Quare post factum, nihil conandum putamus ut certior fiat vagi illius et vagae coniunctio. Attamen, cum non desint AA. tum veteres, tum recentes (Rosset, op. cit. t. IV. n. 2178) qui censeant valide assistere tantum parochum loci in quo actu versentur vagi, censemus cum Gasparri (Op. cit. t. II. n. 917) nefas fuisse Machuto, ante factum, exponere matrimonium nullitati, sine ulla ratione urgente. Post factum, conandum foret, quatenus commode fieri posset, ut omne dubium tolleretur.

CASUS X

Sigismundo sacerdoti Belgae contigit ad veram fidem reducere Martinam Protestantem. Haec olim Argentorati *(Strasbourg)* matrimonium contraxerat cum Manuele pariter Protestante, qui eius consanguineus in gradu remoto esse ferebatur, a quo postea divortio legitimo separata fuerat. Nunc autem Bernardo, civi Bruxellensi catholico, nubere optat.

SOLUTIO. — Per se valebat matrimonium Martinae cum Manuele : Argentorati enim publicatum non est decretum *Tametsi* (Zitelli, app. Iur. Eccl. p. 432). Quare si Manuel superstes est, examinandum num forsan in gradu tertio vel quarto foret Martinae consanguineus : quod si contingit, nihil obstat quominus Bernardo nubat Martina (n. 466, I) ; si vero haec in gradu tantum remotiore cum Manuele coniuncta erat, novas nuptias, quam diu vivet Manuel, inire nequit.

CASUS XI

Iuliana a parentibus catholicis nata est Berolini : in qua civitate postea matrimonium contraxit cum Iovita Protestante, brevi postquam in eodem loco publicatum est decretum *Tametsi*. Aliquot post annis, Iuliana, a Iovita divortio

separata, ad meliorem frugem rediit petiitque num viro catholico nubere posset.

SOLUTIO. — Iulianae matrimonium cum Iovita haberi nequit tamquam invalidum ob clandestinitatis impedimentum. Etenim si nostris diebus publicatur decretum *Tametsi* in locis in quibus catholici vivunt cum protestantibus qui societates religiosas separatas efficere non destiterunt, prout procul dubio contigit Berolini, praesumendum est publicationem illam non fieri nisi respectu catholicorum : quare impedimentum dirimens clandestinitatis minime afficiet matrimonia haereticorum inter se vel matrimonia mixta. Cfr. Gasparri, op. cit. II. n. 891 seq., ubi citantur epistola S. C. de P. F. ad Episcopum Nicopoleos d. d. 11 ian. 1817 et epistola Pii VII ad Napoleonem I, in quibus haec regula proponitur. Ceterum eadem prorsus est quae adhibetur ubi quaeritur de extensione huius impedimenti in locis in quibus iam a multo tempore facta est eadem promulgatio (n. 500).

CASUS XII

Timotheus sacerdos Bruxellensis in vera fide instituebat Philippinam, mulierem Protestantem, natione Germanam, quae cum marito suo Matthaeo, in Protestantica secta nato et pertinaci, a pluribus annis Bruxellis morabatur. Instante iam abiurationis die, dubitare coepit Timotheus quid de matrimonio Philippinae cum Matthaeo opinari vel agere deberet.

SOLUTIO. — Si Philippina (ut crebro fiet) nullum dubium exprimit de matrimonii sui valore, cavere debet Timotheus ne eam praepropere a bona fide deturbet. Attamen sollerter, occasione data, curet scire ubinam matrimonium contractum fuerit. Si contractum fuit in partibus quibusdam Germaniae plane Protestantibus, puta, in Borussia, Pomerania, Saxonia, etc., valet ; si vero in Belgio vel in aliis partibus Germaniae, in quibus dominantur catholici, puta in priscis electoratibus Coloniensi, Moguntino vel Trevirensi, non valet. Si matrimonii nullitatem ita deprehenderit Timotheus ob impedimentum clandestinitatis, vel si forsan aliud impedimentum obstitisse deprehenderit, puta quia vir vel mulier

certo baptismum non receperit aut consanguinei affinesve fuerint in gradu prohibito, curet assequi per Ordinarium dispensationem in radice : quam Philippinae communicabit quando tantum baptismum sub condicione receperit et confessionem instituerit (n. 542).

Si vero de valore matrimonii sui dubitat vel interrogat Philippina, Timotheus conetur, quatenus poterit, dilatorium responsum dare, iubeatque eam uti matrimonio donec ipse casum accurate perpenderit vel peritiores consuluerit (n. 493, IV). Attamen si mulier certo nosset matrimonium suum irritum esse, puta quia alius sacerdos imprudenter ei rem manifestasset, neque ullum dubium de hac invaliditate superesset, Timotheus deberet ei denuntiare obligationem abstinendi, eo quo poterit meliore praetextu, ab omni usu matrimonii, donec dispensationem obtinuerit.

Punctum III. De ratione qua singulos fideles afficit

CASUS I

In quodam xenodochio paroeciae S. Miniatis graviter infirmabatur Asterius, qui a pluribus annis mere civili matrimonio coniunctus vivebat cum Saphira in paroecia vicina S. Martini. Iam morti proximus hanc miseram condicionem suam aperuit Leopoldo sacerdoti qui infirmos huius xenodochii visitabat, petiitque ut se cum Saphira, quae lecto adstabat, coniungeret, atque ita utriusque liberos legitimaret. Sed procul a xenodochio habitabat parochus S. Martini : neque certum erat mortem exspectaturam esse donec nuntius relatus fuisset. In his angustiis censuit Leopoldus cessare legem et, coram duabus monialibus, celebravit moribundi matrimonium.

SOLUTIO. — Invalidum censemus matrimonium a Leopoldo celebratum : quoniam, in casu, impedimentum adeundi parochi non nisi particulare erat (n.501, I). Qua de re videsis fusius disserentem Rosset (De Sacr. Matr. IV. n. 2143 seqq). Attamen nolimus carpere Leopoldum quod, in his angustiis, coniunxerit Asterium cum Saphira : siquidem plures AA. opinantur in hoc casu cessare

legem Tridentinam, neque aperte falsa est eorum sententia, Potuit igitur sacerdos sinere ut Asterius et Saphira sibi ministrarent sacramentum matrimonii ea ratione quae sola in hoc necessitatis casu possibilis erat, etiam cum exigua spe validitatis (n. 116, IV). et postea, si aegrotus sat diu vixerit et res commode fieri potuerit, arcessito parocho vel obtenta delegatione, valorem in tuto collocare.

CASUS II

Anacletus et Scholastica Bruxellenses matrimonium inire cupiebant. Verum, obstantibus parentibus nondum a magistratu civili ad coniugium ineundum admittebantur : quare neque parochus assistere volebat. Ut tanta obstacula superarent, conferunt se iuvenes in civitatem Helvetiae in qua decretum *Tametsi* publicatum non est aedesque conducunt in quibus per sex menses commorentur. Matrimonio privatim post paucos dies inito, uno mense adhuc permanent : quo tempore elapso, repentinis negotiis revocati, in patriam redeunt.

SOLUTIO. — Valet matrimonium Anacleti cum Scholastica, si quidem quasi domicilium acquisierunt ubi non viget impedimentum dirimens clandestinitatis (n. 502, 2°). Neque obstat quod a paucis tantum diebus ibi habitabant, cum iam concurrerent duae condiciones ad quasi-domicilium acquirendum requisitae (Vol. I. n. 100). Attamen, nisi bona fide excusentur, graviter deliquerunt occulte contrahentes (n. 495, I). Debuissent ergo coram loci parocho contrahere, sicut ceteri incolae catholici : quod si fecissent, ab omni peccato immunes fuissent, nisi forsan debuissent parere parentibus rationabiliter obsistentibus (n. 515).

CASUS III

Albertus Parisiensis, qui sese impuris amoribus cum Armanda, pessima femina, implicuerat, hortantibus parentibus, iter in Status Foederatos Americae instituit ut turpe iugum excuteret. Dum in America huc illuc vagabatur,

Armanda adulescentem primum litteris ad reditum invitavit, deinde ipsa in Americam profecta est. Infeliciter invenit Albertum in civitate Neo-Eboracensi, in qua decretum *Tametsi* non viget, et triduo post cum eo matrimonium coram rectore ecclesiae catholicae S. Vincentii a Paulo ac duobus testibus iniit.

SOLUTIO. — Irritum est matrimonium Alberti cum Armanda, prout declaravit S. C. C. 25 ian. 1873 (Act. S. S. t. 7. p. 554). Utraque enim pars domicilium habebat Parisiis, ubi viget decretum *Tametsi,* neque domicilium aut quasi-domicilium Neo-Eboraci acquisiverat. Liquet etiam Armandam se transtulisse Neo-Eboracum in fraudem legis seu animo ineundi matrimonii. De Alberto contrarium dicendum videtur : si quidem in Americam se contulerat ne, caeco amore abreptus, Armandam duceret. Quare hic habemus casum in quo una pars in locum ubi valent matrimonia clandestina se contulit in fraudem legis, altera sine fraude : unde sat probabiliter existimat Gasparri (op. cit. n. 985) in hac decisione S. C. C. secutam esse opinionem inter recentiores communiorem, iuxta quam matrimonium irritum est, etiamsi alio animo quam matrimonii ineundi in huiusmodi loca se transtulerint nupturientes (n. 502, 4°). Nam, si una pars, nempe Albertus, quia non in fraudem perrexerat Neo-Eboracum, potuisset valide contrahere sine assistentia proprii parochi, hoc privilegium alteri parti communicasset (n. 502, 2°). Non desunt tamen qui aliter hanc sententiam S. C. C. explicent (Act. S. S. t. 7. p. 556).

CASUS IV

Germanus et Henrica Parisiis coram parocho S. Petri matrimonium celebrarunt. Sed mox, discordia exorta, petierunt ut, ex capite clandestinitatis, irritum declararetur. Hanc autem rationem proposuerunt : Henricam habuisse quidem domicilium Londinii, ubi non viget decretum *Tametsi*, sed simul quasi-domicilium in alia paroecia Parisiensi, in qua educationis gratia morabatur ; Germanum vero domicilium pariter habuisse in alia paroecia Pari-

siensi, neque ullam delegationem accepisse parochum S. Petri.

SOLUTIO. — Matrimonium illud nullum fuisse pronuntiavit S. C. C. 28 ian. 1899 (Il Monit. eccles. 2ª ser. I, p. 102). Huius sententiae rationem ita exponi posse censemus. Matrimonium illud eatenus tantum validum dici posset quatenus Henrica, quae domicilium habebat ubi decretum *Tametsi* non viget, contrahere posset coram quolibet parocho ubi idem decretum viget, atque hanc immunitatem suam a lege irritante comparti communicasset (n. 503). Iam vero hoc argumentum inane est : si quidem Henrica, quam diu versatur Parisiis, subdita est legi Tridentinae, ideoque tenetur contrahere coram parocho *proprio*, perinde ac ceteri omnes qui huic legi subsunt (n. 496). Igitur parochus S. Petri, ut valide Germanum cum Henrica coniungeret, indigebat delegatione obtinenda vel a parocho sponsi, vel a parocho Londinensi, cui suberat sponsa ratione domicilii sui legalis, vel a parocho Parisiensi, ad quem eadem pertinebat ratione quasi-domicilii.

XIII. IMPEDIMENTUM IMPOTENTIAE

CASUS I

Callista Gerardo confessario suo manifestat vehemens desiderium quo aestuabat matrimonii cum Basino ineundi, simul vero timorem ne id licite vel etiam valide inire non posset. Ratio timendi est : nullum sibi accedere fluxum menstruum ; a matre vero sua, quae eius corpus diligenter inspexerat, edoctam esse uterum suum penitus clausum esse. Respondit Gerardus haec signa esse sterilitatis, non impotentiae ; nihil igitur obstare quominus Basino nuberet.

SOLUTIO. — Sapienter respondit Gerardus illos naturales defectus, quos Callista manifestavit, solam sterilitatem indicare. Etenim si uteri ostium omnino clausum est, sicut menstruus fluxus exire nequit, ita nec semen in uterum recipi poterit, ac

proinde Callista sterilis erit. Sed nihil obstabit quominus vir semen in vaginam eius deponat, ac proinde nulla inde sequetur impotentia (n. 503). Cfr. Gasp. de Matr. I. n. 515. Sed debuisset Gerardus monere paenitentem obligationis qua premitur revelandi sponso hunc defectum, utpote nocivum saltem ei qui (ut communiter contingit) e matrimonio liberos suscipere exoptat (n. 443). Quod si Callista timeret tantum ob carentiam fluxus menstrui, non posset inde statim concludi ad sterilitatem (Vol. I. n. 387, II). Attamen, ne sponsus inscius exponatur probabili periculo ducendi uxorem sterilem, teneretur puella medicum consulere ut constaret num sterilitas forte adesset, vel saltem hoc suum dubium sponso manifestare.

CASUS II

Gerafina, quae nuper Arcadio nupserat, plane perturbata ad pedes Zenonis confessarii sui provolvitur narratque maritum suum frustra conatum esse perrumpere claustrum suum virginale ; deinde postulasse ut aliquam incisionem pati vellet uxor ; se recusasse mordicus ; hinc iurgia successisse vix elapsis nuptiarum gaudiis. Frustra paenitentem hortatus est Zeno ut mariti votis obsequeretur : quare eidem perterritae et eiulanti absolutionem negavit.

SOLUTIO. — Merito Gerafinae imposuit Zeno obligationem patiendi hanc incisionem : hanc enim facile peragere potest ipsa mulier vel eius vir, sine interventu chirurgi, neque videtur dolor extraordinarius, sed similis illi quem omnes virgines patiuntur ubi vir membranam hymenem membro virili perrumpit (S. Alph. n. 1100). Hinc apparet discrimen cum casu incisionis molestioris quam femina per manum chirurgi pati deberet quando nimis arta foret (n. 504, II). Prudentia tamen postulasset ut Zeno non tam vehementer urgeret hanc obligationem, denegata etiam parere nolenti absolutione. Probabile enim est hanc pertinaciam muliebrem finem habituram fuisse post breve tempus, neque e mala voluntate, sed ex horrore quodam phantastico provenire. Si quando uxor in sua denegatione, vir autem in impotentia perrumpendi claustrum virginitalis persisteret, obtineri posset dispensatio in matrimonio rato, non consummato, minime vero declaratio nullitatis matrimonii, cum impotentia non sit nisi temporanea (n. 504, II).

CASUS III

Silvanus uxorem duxit Edeltrudem, postquam diu mollitiei et fornicationi deditus vixerat. Verum, quando uxorem suam cognoscere voluit, numquam semen vaginae immittere potuit : adeo propere illud effundebat. Quare anxius Osiam confessarium adiit ut sciret quid sibi agendum foret.

SOLUTIO. — Plerumque haec praepropera seminis effusio vel ex se ipsa, vel congruis medicaminibus cessabit : quare impotentia non erit perpetua, neque irritum erit matrimonium (n. 504, II). Licet ergo Silvanum pergere in conatibus quos fecit ut copulam cum uxore haberet. Attamen fieri potest ut illa impotentia sit perpetua vel saltem valde diuturna, praesertim cum Silvanus peccatis venereis vim suam debilitare variosque morbos insanabiles contrahere potuerit. Si experientia vel medicorum iudicio constaret capacitatem copulae habendae nullatenus aut vix sperari posse, suadendum foret Edeltrudi ut casum Ordinario exponeret : cuius interventu, a S. Sede obtinere posset dispensationem in matrimonio rato non consummato, prout concessum est in causa Neapolitana Matrimonii 5 iulii 1862 (Gasp. I. n. 531). Verum quidem est matrimonium fore irritum propter impotentiam si defectus quo laborat Silvanus est perpetuus (n. 503). Attamen S. Sedes huiusmodi declarationem nullitatis non daret in casu, cum nimis aegre probetur impedimenti perpetuitas.

CASUS IV

Canutus frustra conatus est consummare matrimonium quod cum Iulia inierat : nam vix umquam membrum virile erigebatur statimque iterum concidebat, liquore quodam defluente. Postquam per aliquot hebdomadas hos conatus frustra produxerat, Napoleonem confessarium suum rogavit quid sibi faciendum esset, cum Iulia iam in iis experimentis pergere recusaret atque ad parentes redire cogitaret.

SOLUTIO. — Napoleo iubere debet Canutum ut casum Ordinario exponat atque per eum obtineat a S. Sede dispensationem in matrimonio rato, non consummato, interim vero ab uxore sua quoad torum separetur, domicilium vero commune servet, quatenus hoc necessarium est ad scandalum vitandum. Non prohibetur tamen quominus, si uxor consentiat, conatus illos prosequatur, cum minime certum sit adesse in casu impotentiam perpetuam, ac proinde non constet de matrimonii nullitate (n. 505, IV). Etenim experientia constat quandoque huiusmodi infirmitatem sanari. Ita contigit S. C. C. 24 ian. 1871 confirmasse sententiam Ordinarii qui, in huiusmodi casu, declaraverat constare de nullitate matrimonii, vetito viro transitu ad alias nuptias, inconsulta S. C. Tribus autem post annis vir Ordinario suo probavit se aptum iam esse ad copulam, petiitque a S. C. facultatem novas nuptias ineundi. Erraverat ergo S. C. dum eius impotentiam iudicaverat perpetuam. Nam impotentia qua vir laborabat non potuit esse nisi absoluta : siquidem nulla eius causa in uxore, vel in dispositione viri ad hanc determinatam feminam cernebatur. Quare S. C. 9 maii 1879 precibus respondit : " Esse consulendum SS^{um} pro dispensatione super matrimonio rato et non consummato cum Iulia in casu. „ Cfr. Gasp. op. cit. nn. 532 et 534.

XIV. IMPEDIMENTUM RAPTUS

CASUS I

Marius vehementer optabat uxorem ducere Martham, divitum parentum filiam. Sed invincibilem repugnantiam contra hoc matrimonium experiebatur adulescentula. Ut eam nihilo minus suam faceret, Marius cum matre puellae convenit ut, cum ad balnea marina accederet, inscia duceretur in domum quandam ab eo conductam : qui dolus mox ad exsecutionem perductus est. Tribus hebdomadis in his aedibus ac postea in publico diversorio mansit Martha, sub custodia alicuius educatricis quae cum Mario consilia communicabat. Tandem nuptiae celebratae sunt : quae funeri valde similes erant. Integro quadriennio Mario cohabi-

tavit Martha, animo tamen semper averso. donec tandem, occasionem arripiens magni itineris quod vir inierat, in monasterium confugit atque a S. Sede declarationem nullitatis matrimonii sui postulavit.

SOLUTIO. — Revera hoc matrimonium nullum erat, prout 27 aug. 1864 S. C. C. declaravit. Verum enim raptum commiserat Marius, quamquam ad redigendam Martham sub suam potestatem usus fuit opera matris et educatricis huius adulescentulae (n. 506, I). Neque convalidatum est matrimonium per cohabitationem quattuor annorum : toto enim illo tempore mansit rapta mulier sub raptoris potestate, ideoque inhabilis erat ad matrimonium cum eo ineundum, etiamsi maxime voluisset. Sed praeterea in casu videtur affuisse impedimentum vis et metus, cum non nisi ad maiora mala vitanda consensum dederit puella (n. 490). Fieri quoque potuit ut matrimonium ipso iure naturae fuerit nullum, quia vid. mere externe consenserat Martha (n. 457). Causam expositam habes apud Act. S. S. t. I. p. 15 seq.

CASUS II

Audifax Virginiam, libidinis explendae causa, rapuerat. Verum dum eam domi retinebat et turpia cum eadem patrabat, consilium iniit eam uxorem ducendi. Virginia autem, etsi initio plane invita fuerat, tandem libenter assensum dedit et cum in loco non vigeret decretum *Tametsi*, clam cum Audiface contraxit.

SOLUTIO. — Nuptiae illae profecto invalidae non sunt propter abductionem, etiam violentam, Virginiae in Audifacis domum : quippe quae peracta non sit matrimonii ineundi causa. Quare si mulier, quam primum vir, mutato consilio, matrimonium obtulit, consensum praebuit, nullum impedimentum affuit. Verum, si etiam huic consilio obstitit et assensum dedit tantum postquam iam per aliquod tempus Audifax eam in aedibus suis inclusam tenuit ut ad matrimonium accipiendum adduceretur, irrita fuit utriusque coniunctio ob impedimentum raptus (n. 507, 4°).

CASUS III

Clementia, post sponsalia cum Blasio inita, variis sub praetextibus nuptias differebat. Tandem morae impatiens sponsus quondam sponsam frustra reclamantem in aedes suas rapuit. Post unam diem, iam animo mutato libenter consensum suum dedit Clementia. Parochus vero dubius haesit num eorum matrimonio interesse posset.

SOLUTIO. — Nullus erit dubitandi locus si Clementia, antequam coram parocho contrahat, libertati suae restituatur, puta dum sinitur in aedes parentum vel aliorum consanguineorum redire : cessat enim impedimentum raptus quam primum rapta e potestate raptoris exiit (n. 506, I). At si manet in aedibus ac proinde sub potestate Blasii, matrimonium valide cum eo inire nequit (n. 507, 3°). Quare parochus debet denegare praesentiam suam donec Clementia loco tuto reddita fuerit. Quod si forsan iam astitisset tali matrimonio, puta quia dolose in domum Blasii attractus fuerit, sponsi ab invicem discedere nequeunt nisi a S. Sede obtinuerint sententiam nullitatis ; si vero simul vivere optant, sufficiet consensus renovatus quando mulier iam plene sibi permittetur, puta dum in aedibus parentum suorum versabitur.

§ 3. DE IMPEDIMENTIS MERE IMPEDIENTIBUS

I. IMPEDIMENTUM ECCLESIAE VETITI

CASUS I

Ad Epiphanium parochum a viro fide digno defertur Fabianum et Agnetem, sequenti die matrimonium inituros, in quarto gradu consanguinitatis esse consanguineos ; neque suppetebat tempus vel verificandi asserti, vel dispensationem ab Ordinario obtinendi. Perrexit ilico Epiphanius ad domum sponsi, eique significavit tam diu abstinendum esse

a nuptiis quam diu aut constaret de absentia impedimenti, aut dispensatio obtenta foret. Sed Fabianus acriter insurgit contra hanc prohibitionem minaturque se mere civiliter contracturum esse ni parochus sequenti die assistere velit. His auditis, Epiphanius, timore scandali, prohibitionem revocavit.

SOLUTIO. -- Muneris sui officium exsecutus est Epiphanius, cum matrimonium prohibuit donec Ordinarius dubium solvisset (n. 510, II). Fabianus vero graviter peccavit dum in re tam gravi iustam parochi prohibitionem servare recusavit. Sed quid de parocho vetitum revocante ne matrimonium mere civile sequeretur ? In primis videndum erat num seriae hae minae forent : si enim constat Agnetem, utpote plane piam, vetito obtemperaturam esse, liquet inanes esse matrimonii mere civilis minas, atque perperam recessisse parochum a vetito quod, ob leges Ecclesiae, sponsis iniungere tenebatur. Quod si probabiliter timendum erat ne minas exsequerentur nupturientes, iterum examinandum num vetiti revocatio aptior esset quam eiusdem conservatio ad peccata et scandala removenda. Nam si publice constaret de rebellione Fabiani adversus iustum pastoris vetitum, generatim praestaret scandalum e nuptiis mere civiliter celebratis permittere quam auctoritatem ecclesiasticam contemptui obicere, concedendo rebellibus quod ipsis antea, iuxta legem Ecclesiae, denegatum fuerat. Si vero occulta servari posset Fabiani inoboedientia, praestaret ei indulgere ut sub condicione obtinendae dispensationis nuptias celebraret, dummodo matrimonio non uteretur antequam dispensatio concessa fuisset. Ita enim nihil fieret quod, urgente praesertim necessitate scandali vitandi, illicitum esset (n. 458).

CASUS II

Sebastiani matrimonium cum Zita initum, sed numquam consummatum, a Summo Pontifice irritatum fuerat, ob dubiam impotentiam viri, qui prohibitus fuerat ne aliud matrimonium, absque venia S. C. C., iniret. Aliquot elapsis annis, Sebastianus, in longinquam regionem profectus, impurum commercium cum Eulampia fovere coepit : qua-

cum etiam copulam consummavit. Mox parochum, factae olim prohibitionis ignarum, adiit et sine ulla difficultate obtinuit ut Eulampiae coniungeretur.

SOLUTIO. — Valet matrimonium Sebastiani cum Eulampia, si quidem prohibitio S. C. C. mere impediens est (n. 510, II). Peccavit tamen Sebastianus, dum matrimonium iniit antequam a S. C. C. facultatem obtinuisset : manifestum enim est voluntatem S. C. esse ut qui, propter dubiam impotentiam a novo matrimonio ineundo prohibentur, vetitum servent quam diu non constiterit authentice de eorum capacitate ad copulam. Attamen cum Sebastiano certo constaret se esse capacem, non videtur graviter deliquisse propter omissam petitionem facultatis, modo afuerit scandalum : prout in casu contigisse videtur, quia dissitae illius regionis incolae probabiliter prohibitionem factam ignorabant (n. 510, III) (1).

II. IMPEDIMENTUM VOTI SIMPLICIS

CASUS I

Vincentia adulescentula, dum magno fervore Deo serviebat, votum perpetuae castitatis emisit. Sed, quae est humani et praesertim muliebris ingenii mobilitas, post aliquot annos impuros amores cum Maximiliano fovere coepit. Iam gravida accessit ad Florianum confessarium, cui, cum multis lacrimis, exposuit necessitatem in qua versabatur, matrimonii quam primum ineundi ut infamiam vel abortus inducendi tentationem vitaret.

SOLUTIO. — Florianus Vincentiam remittere potest ad Ordinarium, vel, si hoc caritatis officium praestare volet, ipse ad Ordinarium recurret : potest enim Ordinarius (etiam abstrahendo ab amplioribus facultatibus quas ex Indulto habere solet) dispensare cum Vincentia ad matrimonium ineundum, si quidem necessitas

(1) Nullum casum de impedimento temporis feriati posuimus, quia facile hoc argumentum nullis dubiis obnoxium videbatur.

urget. Quod si Florianus pertinet ad Ordinem Mendicantium vel ad alium Ordinem qui in Mendicantium privilegiis participat, poterit dispensare vi privilegii sui : modo a Superioribus suis, per specialem vel generalem concessionem, hanc facultatem obtinuerit (n, 512, II).

CASUS II

Ad Meletium confessarium accedunt duae mulieres, quae fidem Deo datam violarunt. Altera, Mechtildis nomine, emisso voto virginitatis, adamare coepit Anastasium adulescentem : quocum rem pluries habuit, nunc autem matrimonium inire cupit (1°). Alteri nomen erat Cicercula. Haec, postquam caelibem vitam degere voverat ut se totam bonis operibus impenderet, mundi illecebris illaqueata, Romualdo, viro impio, nupserat, nulla petita voti dispensatione ; nunc autem, mortuo marito suo, Felici, viro catholico, iterum nubere cupit (2°).

SOLUTIO. — 1° Meletius interrogare debet Mechtildem quid per suum virginitatis votum intenderit (n. 512, I). Si forsan ab initio se existimavit contra votum suum peccaturam esse quotiens aliquid vel interne vel externe contra castitatem egerit, censenda est fecisse votum castitatis : quare hoc votum violavit quotiens cum Anastasio rem habuit, neque illi nubere potest sine dispensatione, quam tamen dare potest Ordinarius vel confessarius Regularis, si necessitas matrimonii ineundi urget (n. 512, II). Si vero intendit tantum se obligare ad vitanda illa peccata consummata quae cum statu virginitatis componi nequeunt, votum violavit tantum quando primum rem habuit cum Anastasio, nunc autem iam nulla indiget dispensatione ut ei nubat (n. 513, 2°).

2° Cicercula graviter violavit votum suum coelibem vitam ducendi, seu, quod idem est, non nubendi, quando Romualdo nupsit. Soluto autem hoc matrimonio, indiget dispensatione ut secundas nuptias appetat : quippe quae non minus prohibeantur eius voto quam primae (n. 513, 3°). Hanc dispensationem ei dare potest vel Ordinarius vel confessarius Regularis (n. 512, II). Cfr. Matharan, Cas. n. 160.

CASUS III

Aegidius adulescens religionis ingressum voverat. Verum brevi post, libidinis aestu abreptus, adhaesit Gallae, honestae sed levi puellae, quam sub ficta matrimonii promissione defloravit. Secuta impraegnatione, puella iuvenem vehementer urgere coepit ut promissionem suam impleret.

SOLUTIO. — Per se tenetur Aegidius ad ducendam Gallam uxorem, cum nullum aliud medium generatim supersit quo damnum eius famae per fictam promissionem illatum reparetur (Vol. I. n. 569). Excipe si Galla noverat iuvenem emisisse religionis votum, ac proinde non posse ipsi promittere matrimonium, vel si qua alia ratio excusans haberetur ex iis quae l. c. allegatae sunt. Igitur si e ficta promissione et copula habita oritur obligatio ducendae Gallae, votum antea emissum obligare cessat. Etenim Aegidius nequit implere obligationem quae ipsi virtute religionis imponitur nisi omittendo restitutionem ad quam vi iustitiae tenetur ; materia igitur voti facta est illicita, perinde ac si quis, post emissum votum pinguis donationis, tam multa debita contraxisset ut votum exsequi non posset nisi omissa debitorum solutione (Vol. I. n. 322). Cum votum cessaverit, saltem quatenus huic matrimonio cum Galla ineundo obstabat, nulla erit dispensatio petenda. Cfr. Lessium, de Iust. et I. l. 2. c. 10. n 32 seqq. ; Matharan, Cas. n. 161.

CASUS IV

Wilfridus adulescens, emisso voto ordines suscipiendi, seminarium clericorum saecularium ingressus est : e quo tamen, susceptis tantum minoribus ordinibus, egressus est. Brevi post, matrimonium inire cupiens, confessarium suum rogavit num dispensatione voti indigeret.

SOLUTIO. — Supponemus Wilfridum intendisse votum emittere de suscipiendis ordinibus maioribus, cum iam hodie nemo, in nostris regionibus, seminarium ingrediatur ut minores tantum suscipiat. Si ita res se habet, per se dispensatione indiget Wilfri-

dus (n. 512, I). : quam tamen ei largiri poterunt vel Ordinarius vel confessarii Regulares, cum huiusmodi votum non sit R. P. reservatum (Vol. I. n. 328 seq.). Attamen fieri posset ut iam dispensatione non indigeret Wilfridus, quia iam materia voti facta esset moraliter impossibilis, utputa si a Seminario dimissus esset quia Superiores agnovissent eum ineptum esse ordinibus suscipiendis, seu scientia, seu aliis dotibus careat, etiamsi heac dimissio non sine aliqua eius culpa acciderit, modo haec iam reparari nequeat (Vol. I. n. 323, II).

III. IMPEDIMENTUM RATIONABILIS PARENTUM DISSENSUS

CASUS I

Ernestus Pambonium confessarium suum rogat quid agere debeat cum Mathilde filia sua, quae, licet in omni pietate et virtute educata fuerit, insano amore adhaesit Horatio, iuveni incredulo, quocum omnino matrimonium inire vult, licet parentes aliique eam pluries monuerint quanto periculo spirituali se ipsam liberosque suscipiendos exponat. Quidam amici ei suaserunt ut consensum praeberet nuptiisque interesset, quoniam nullae prohibitiones insanum amorem compescent ; alii vero iusserunt eum aperte denegare consensum suum et etiam minari se, quicquid per legem liceret, e bonis suis ad alios transmissurum esse, si in infausto consilio perseveret.

SOLUTIO. — Iure suo Ernestus graviter prohiberet quominus Mathildis matrimonium illud adeo periculosum iniret (n. 515). Quare, si qua spes foret eam ab hoc peccaminoso consortio cohibendi, pietate etiam obligaretur Ernestus ad consensum suum negandum minasque praecepto addendas. Neque nimis timendum a maioribus malis quae sequerentur e matrimonio aperte contra voluntatem parentum inito. Nam reapse multo maius scandalum, in sensu theologico, est, videre parentes catholicos (ut non raro contingit) facile et sine ullo publico protestationis signo acquiescere nefariis illis matrimoniis, per quae familiae piae tam luctuose

acquirunt progeniem vix non omnino incredulam, neque amittendae fidei repugnare sicut repugnarent amittendo honori mundano, utputa si filia vellet nubere homini ex infima plebe. Deinde saepe non erit ad haec extrema deveniendum. Plerumque enim, etiamsi filia in lugendo consilio suo perseverat, poterit pater consensum dare, quem omnes intellegunt non nisi ad duritiem cordis concedi. Atque ita utramque utilitatem assequetur : unam, impedivisse scandalum quod e facili consensu oritur atque ad multiplicandas huiusmodi uniones impellit ; alteram, servare salutarem influxum in filiam generumque, ut mala ex illa unione secutura minuantur, quatenus fieri potest. Ad hunc alterum finem plurimum conducet patrem, etiam quando invitus legalem consensum dedit, minari coniuges se ad alios digniores transmissurum esse hereditatem, quatenus lege civili conceditur, nisi liberos omnino catholice educent. Igitur, quamquam diligenter consideranda sunt varia adiuncta, et praesertim spes successus et utriusque nupturientis indoles moralis, liquet cavendum esse Pambonio ne statim priori consilio acquiescat, quasi nihil mali iam impediri vel minui posset.

CASUS II

Anastasia, puella Bruxellensis, inter multas lacrimas Vedasto confessario suo narrat sibi omnino in votis esse matrimonium cum Casimiro, honesto sed sat paupere adulescente, dum eius pater plane vult eam nubere Servatio, diviti sed levis ingenii adulescenti, quem amare frustra conata sit ; sibi consilium iam dedisse Casimirum et quasdam amicas ut libertate sibi per legem facta uteretur (nata enim erat annos viginta duos) et, consensu legali a parentibus postulato, matrimonium iniret ; dubiam tamen haerere num in conscientia liceret.

SOLUTIO. — Iuxta legem Belgicam, integrum est Anastasiae nubere, si, uno mense postquam frustra actu reverentiali et formali consensum parentum petierit, iidem non postulaverint a tribunali primae instantiae ut matrimonium prohibeatur (n. 516, nota). Igitur, si reapse nullae iustae causae adsunt ob quas parentes matrimonio Anastasiae cum Casimiro obstant, quales certo non sunt maiores opes Servatii, vel etiam aliqua deminutio condicionis

socialis ob relativam Casimiri inopiam, nihil in foro conscientiae obstat quominus puella utatur facultate quam lex tribuit ad communiendam naturalem matrimonii libertatem (n. 515, III). Quod si inde sequitur gravis maeror et indignatio parentum, filia hos malos effectus permittere potest, quos illi, si sapiant, facile avertere possunt. Attamen prudentis confessarii est haec familiarum discidia avertere, quatenus potest. Quare proderit suadere ut, nisi pericula moralia urgeant matrimonii celebrationem, filia aliquot hebdomades vel menses exspectet et suaviter simul ac fortiter conetur flectere patris animum : nam saepe talis mutatio prudenter sperari poterit. Numquam vero sponte suadebit sacerdos nupturientibus ut, parentibus irrationabiliter dissentientibus, contrahant : id enim animos plurimum contra clericalem ordinem commovere posset, quia parentes, iura sua plus aeque extendere soliti, amare conquererentur quod talis sacerdos discidiis impleat familias, atque apud multos, rei circumstantias minus perspectas habentes, fidem reperirent.

CASUS III

Raymundus Emerentianae, piae et mediocris condicionis puellae, manum ambiebat. Sed longe meliores nuptias pro filio suo meditabantur parentes, sat divites atque inter nobiles cooptati. Quare prohibuerunt verbis severissimis filium suum ne ullas iam relationes cum Emerentiana servaret. Ipse tamen, firmo animo ducendae puellae dilectissimae, eam nunc in itinere, nunc apud amicos clam conveniebat : quin etiam, cum iuxta leges civiles nondum matrimonium inire posset sine consensu parentum, cogitabat de fuga paranda in Angliam cum Emerentiana sua ut ibidem contraherent. Sed, cum esset pius, consilia sua omnia iudicio Saturnini, confessarii sui, submisit.

SOLUTIO. — Modo constet irrationabilem esse dissensum parentum, non peccabit Raymundus, si occultas relationes cum Emerentiana servabit. In hac enim hypothesi, non tenetur parere parentibus matrimonium vetantibus (n. 515). Iam vero, si ei licet Emerentianam ducere, liciti quoque esse debent ii congressus qui, iuxta nostrarum regionum mores, moraliter necessarii sunt

ut matrimonio praeparetur via. Quare parentes excedunt potestatis suae limites, ubi iuvenem iubent ab omni relatione cum puella abstinere. Hic tamen tenetur exercitium sui iuris, quatenus poterit, cum reverentia erga parentes conciliare. Commendabit ergo confessarius ut Emerentianam non nisi raro et occulte invisat, ne parentes maerore afficiat vel publice eorum voluntatem parvi pendere videatur. Verum plurimum dehortabitur iuvenem confessarius ne in Angliam tendat, matrimonii ineundi causa, nisi forsan rationes urgentes adessent festinandi, puta quia puella gravida foret vel experientia constaret iugiter in peccata relabi iuvenes : huiusmodi enim audaci facinore plurimum exacerbarentur parentum animi, dum saepe aliqua patienti mora omnia pacifice componi possent. Quo efficacius dehortetur confessarius, ne omittat monere non posse eos qui e Belgio vel alia regione in qua viget decretum *Tametsi* in aliam migrantur, seu in ea vigeat, seu non vigeat idem decretum, matrimonium valide contrahere nisi illuc pergant cum animo ibidem sex saltem menses commorandi (n. 502). Attamen si Raymundus et Emerentiana absolute vellent in aliam regionem proficisci ut matrimonium inirent, non posset confessarius hoc iis peccato vertere : si quidem, si parentes irrationabiliter obsistunt matrimonio, iuvenes utuntur iure suo. Neque eos astringit lex civilis ; quoniam parentes utuntur facultate quam lex ipsis agnoscit, extra limites moralis ordinis (n. 516, V).

CASUS IV

Maglorium parochum rogavit pia quaedam matrona, Iuliana nomine, ut filium suum Flavianum, qui pariter apud eum confiteri solebat, deterreret a matrimonio quod significaverat se velle inire cum Iosephina; adulescentes esse aequo iuniores, cum Flavianus vix viginti, Iosephina viginti unum annos nati essent ; praeterea puellae parentes nihil praeter christianam virtutem possidere, iuvenem vero nunc exiguo munere fungi, e quo aegerrime se uxoremque sustentaret, dum, si tres quattuorve annos exspectaret, probabiliter multo meliorem fortunae condicionem sortitus esset. Annuit libenter Maglorius, iuvenemque reapse plurimum ad matrimonium differendum hortatus est.

SOLUTIO. — Imprudenter egit Maglorius dum Flavianum hortatus est ad matrimonium quod optabat, et in quo nihil honestatis normae repugnabat, per annos tres vel quattuor differendum. Etenim sacerdoti nefas est consilium dare quod minus cum ratione et paenitentis utilitate congruit. Iam vero, quando adulescentes plene evoluti atque ad fecundam copulam apti sunt, ut contingere solet in nostris regionibus iis qui vicesimum annum attigerunt, dilatio matrimonii per plures annos hunc effectum habere solet ut concupiscentia, quae licitum fomentum in copula coniugali reperiret, illicitum quaerat in peccatis solitariis vel cum alia persona patratis. Quare generatim qui ab honesto matrimonio retrahit, iuvenem plurimorum peccatorum occasioni obicit. Atque ipsius Ecclesiae menti conformius esse ut matrimonium cito ineant adulescentes, ostendit eius praxis dispensandi ob aetatem superadultam cum feminis quae vigesimum quartum aetatis annum egressae sint (n. 525). Cfr. Lehmk. II. n. 748, notam. Profecto si vera necessitas nuptias differre cogit, utputa quia iuvenis nondum functus est militia vel nullatenus alere posset labore suo se suamque coniugem, sapientis erit exspectare atque a divina Bonitate, quae in necessariis numquam deest, sperare auxilia necessaria ad concupiscentiam refrenandam. Sed saepe vera necessitas non adest ; ut in casu, cum Flavianus habeat munus quo se suamque coniugem sustentare possit, quamquam aegerrime poterit. Etenim sufficiens ratio permittendi tanta mala moralia non est, quod coniuges statum tenere debebunt inferiorem ei quem in aede paterna tenuerunt : nam, si ipsi libere huic incommodo se obicere volent, nihil in hac re habetur quod moribus christianis, immo quod temporali felicitati necessario obsit ; deinde haec necessitas plerumque oritur e vitio parentum, qui liberos suos illi assuefaciunt rerum temporalium copiae quam postea aegerrime assequi possunt.

IV. IMPEDIMENTUM MIXTAE RELIGIONIS

CASUS I

Timotheum, Belgii parochum, adiit Suzanna certioremque fecit, velle se matrimonium inire cum Siricio protestante. Rogavit Timotheus num sponsus permissurus

esset uxorem in catholica religione perseverare universamque prolem in eadem educari. Cum respondisset puella Siricium plenam sibi libertatem daturum esse, sed mordicus velle ut filii in religione heterodoxa educarentur, breviter hortatus Suzannam ut infelix consilium suum dimitteret, cum puella instaret :« Si ita est, ait, iam nihil tibi dicendum habeo : nam si condiciones implere recusat sponsus tuus, dispensationem tibi non concedet Ecclesia ».

SOLUTIO. — Laudandus Timotheus quod Suzannam ab ineundo matrimonio mixto deterruit, vituperandus vero quod, ubi audivit debitas condiciones a parte acatholica recusari, statim omnes tractatus abrupit. Etenim, etiamsi dispensatio concedi nequeat, cavendum tamen, quatenus fieri potest, ne matrimonium invalide ineatur (sicut fieret in Belgio, absente legitimo parocho saltem alterutrius partis) vel minister acatholicus adeatur. Quod facile contingeret in regionibus nostris si parochus quamlibet assistentiam denegaret. Quare expedit ut benigne iubeat parochus Suzannam iterum recogitare de damno spirituali cui se exponat, novosque conatus adhibere ut sponsum ad meliora consilia adducat, post aliquot vero dies ad se redire ; facturum se quicquid potest ut matrimonium decenter et sine scandalo celebretur. Interim recurret Timotheus ad Ordinarium ut sciat quid in iis adiunctis faciendum sit et num saltem materialiter matrimonio interesse possit (n. 519. V).

CASUS II

Bertrandus vir catholicus, dum negotiorum causa versabatur extra dioecesim in qua domicilium habebat, matrimonium cum Zenobia, muliere protestante, quae in eo loco domicilium habebat, inire voluit. Consilium suum aperuit Sabbae, loci parocho : qui ad Ordinarium Bertrandi scripsit ab eoque obtinuit ut, datis cautionibus solitis, matrimonium illud mixtum celebraretur.

SOLUTIO. — Si facultas dispensandi in hoc impedimento concessa est illi Ordinario cum solita clausula, ut dispensare valeat

" intra fines suae dioecesis „, invalida est dispensatio Bertrando concessa, quia eadem exerceri nequit nisi cum subditis actu exsistentibus intra fines dioecesis episcopi dispensantis, prout declaravit S. Off. 22 nov. 1865 (Coll. P. F. n. 1432). Neque ab Ordinario loci in quo versatur Bertrandus obtinere potest dispensationem nisi in eius dioecesi acquisiverit domicilium vel quasi-domicilium : nequeunt enim dispensare Ordinarii nisi cum subditis in hoc impedimento, ut ex eodem responso et resp. S. Off. 14 dec. 1882 (Coll. P. F. n. 1441) patet. Tandem idem Ordinarius nequit dispensare quia sponsa in eius dioecesi domicilium habet : Romanus enim Pontifex non tribuit facultatem indulgendi dispensationem acatholicis. Hinc non restat in casu nisi ut ad ipsam S. Sedem recurratur.

CASUS III

Sabinus catholicus, obtenta ab Ordinario suo facultate ducendi uxorem Annam protestantem, quae in alia dioecesi morabatur, in locum domicilii sponsae profectus est : ubi, exhibita parocho dispensationis schedula, nuptias celebravit.

SOLUTIO. — Modo Ordinarius loci in quo nuptiae celebratae sint consensum vel generalem vel particularem dederit huiusmodi celebrationi, omnia valide et licite peracta sunt. Declaravit enim S. Off. litt. supra (Cas. II) citatis : " Dispensationem ita obtentam exsecutioni tradi posse ubicumque mixta conubia contrahi permittuntur, nisi aliquid aliud obstet, iudicio Ordinarii loci in quo contrahitur matrimonium : secus pro dispensatione ad Apostolicam Sedem recurrendum esse. „

CASUS IV

Hilarius parochus in angustias non leves incidit. Ubaldus enim, e familia catholica quae optime de religione et paroecia meruerat, nuptias inire volebat cum Sophia, ad familiam protestantem, sed erga catholicos benignissimam opibusque insignem pertinente ; ambae autem familiae pluri-

mum cupiebant ut quam maximo apparatu religioso caerimonia perageretur. Ut eorum votis quantum poterat annueret, parochus iussit sponsos accedere ad ecclesiam quadrante antequam celebraretur Missa quaedam. Ingressos duxit ad sacellum B. M. Virginis, ubi multae candelae in honorem Dei genitricis lucebant ; consensum eorum petivit et excepit, deinde indutus superpelliceo et stola contiunculam quanta posset arte compositam suavissima voce sua pronuntiavit ; tandem hortatus est ut Sacro mox celebrando, gratias Deo acturi, assisterent.

SOLUTIO. — Pluribus in rebus iustae benignitatis limites excessit Hilarius, praesertim si nullam specialem facultatem ab Ordinario postulavit. Nempe :

1° Non licebat matrimonium illud mixtum celebrare in sacello B. M. V., nisi illud esset *remotum* et deesset sacristia conveniens, prout responsum est a S. Off. 17 ian. 1877 tolerari posse.

2° Illicitum erat accendere candelas in eodem sacello ita ut videretur factum ad sollemnitatem caerimoniis tribuendam, atque induere stolam et superpelliceum, cum excludendus sit quivis ecclesiasticus ritus. Excipe si forsan loci consuetudo, probante Ordinario inducta, sinit ut pro matrimoniis mixtis (non tantum divitum, sed quorumlibet) adhibeantur ritus qui in eo loco pro matrimoniis catholicorum adhiberi solent (n. 519, IV).

3° Per se assistentia passiva non est petere et excipere consensum partium ; multo minus dicere : " Ego vos coniungo in matrimonium „, sicut declaravit S. Off. 26 nov. 1835 (Coll. P. F. n. 1427). Nihilo minus talis interventus in multis locis, puta in Gallia et Stat. Foed. Americae, viget satisque consuetudine cohonestari videtur (Gasp. de Matr. I. n. 458).

4° Contionem ad sponsos habere licitum est, modo ita habeat consuetudo vel Ordinarius consenserit. De hac enim praxi interrogatum S. Off. 16 iulii 1885 (Coll. P. F. n. 1443) respondit : " Quoad contionem, arbitrio episcopi. „

5° Non esset vituperandus Hilarius ob assistentiam Missae praestitam a sponsis, si cunctis notum esset eam semper hac hora celebrari solere : sic enim nullo pacto haberi posset tamquam caerimoniae matrimonii complementum (n. 519, IV). Secus vero dicendum foret si parochus, dolo quodam usus, hanc Missam curas-

set ea praecise hora celebrari qua sponsi commodius ad ecclesiam accederent. Ita enim passim haberetur ab omnibus tamquam caerimoniae matrimonii complementum. Quare id minime licitum foret, etiamsi principaliter ob aliam rationem, puta novenae, octavae etc., eadem celebraretur. Vulgo enim censeretur hac hora celebrata fuisse in gratiam sponsorum : quibus ita videretur concedi favor quem Ecclesia matrimoniis mixtis denegat ut suam repugnantiam adversus illas periculosas coniunctiones ostendat. Accederet in casu magnum odium quod in religionem catholicam concitaretur, quia divitibus potentibusque concedi videretur quod pauperioribus denegari solet : qua suspicione nihil, nostris praesertim temporibus, periculosius.

CASUS V

Eustorgius missionarius advertit catholicos sibi creditos, qui inter multos infideles et haereticos vivebant, neque raro cum iis matrimonia mixta inibant, graviter ferre quod mere passive, sine ullo ritu sacro, iisdem assisteret ; unde plures vel ritu mere civili vel coram ministro protestante nuptias celebrabant. Quare, ubi nupturiens pars catholica urgebat ut matrimonium sollemniter in ecclesia celebraretur, coepit eius matrimonio assistere eo fere apparatu quo assistebat catholicorum nuptiis.

SOLUTIO. — Temperamentum illud legibus ecclesiasticis afferre, Pius IX Instr. 15 nov. 1858 (ad quam etiam nuper S. Sedes pluries remisit) non cuiuslibet parochi, sed solius Ordinarii prudentiae commisit (n. 519, IV). Igitur Eustorgius Ordinarii sui iura usurpavit, ubi talem concessionem malae quorundam catholicorum voluntati vel ignorantiae fecit, nisi quando casus ita urgens incidisset ut consulendi Ordinarii tempus non suppeteret. Quin et ipse Ordinarius, in iis adiunctis, cavere debet ne nimia benignitate foveat in catholicis errorem quo existimant Ecclesiam immerito matrimonia mixta abhorrere, ac proinde id tantum concedere debet quod stricte necessarium sit ad maiora mala praecavenda, puta ut sacerdos superpelliceo indutus assistat, ceteros vero ritus omittat, si ita finis sufficienter obtinetur. Cfr. litt. S. Off. 9 dec. 1874 ad episc. S. Alberti (Coll. P. F. n. 1436).

CASUS VI

Apud Ananiam parochum confitetur in Paschate Adeodatus adulescens : qui consilium suum aperit brevi post uxorem ducendi Margaritam, ex opulenta Protestantium familia, petitque ut parochus sibi dispensationem procuret. Rogat Ananias quasnam ob causas Protestantem ducere velit iuvenis quem plurimae ex honestissimis familiis catholicae puellae maritum habere desiderant. Nullam aliam rationem invenit nisi amorem ! Monuit ergo paenitentem non dari causam sufficientem ob quam matrimonium mixtum ineat, et renuntiare nolentem sine absolutione dimisit.

SOLUTIO. — Recte iudicavit Ananias indignum esse absolutione eum qui sine sufficienti causa matrimonium mixtum inire velit. Nam cum Ecclesia non dispenset in hoc impedimento nisi ob speciales causas, idem aequivalenter vellet huiusmodi nuptias celebrare sine dispensatione (n. 517). Attamen probandus non est Ananias quod statim de his causis inquisivit. Melius enim fuisset primum indagare num altera pars consentiret catholicae educationi universae prolis et, si de hoc consensu constaret, iubere ut postea, extra confessionem, ad parochum accederet, ut omnes causae quaererentur et supplicatio conscriberetur. Quod si res statim examinandae forent, cavendum esset ne festinanter pronuntiaretur nullas adesse causas vel non sufficientes : cum non omnes statim appareant. Si autem dubium aliquod esset num causae sufficientes adessent, animus paenitenti addendus esset ut dispensationem speraret, neque ipsi proponenda esset molestissima obligatio renuntiandi nuptiis vehementer optatis antequam certo de ea constaret. Nihilo minus, si Adeodatus aperte significaret suam voluntatem contrahendi mixtas nuptias absque dispensatione, absolutio ei deneganda foret : cum haec sit voluntas aperte et graviter mala. Sed postea conari deberet parochus ut res componeret, si iuvenem in suo proposito perstare nosset. Nempe, per se vel alium, eum eiusve parentes adire deberet iisque significare se tentaturum quicquid possit ut dispensatio obtineatur : nam cum Ecclesia interdum dispenset ad vitandum matrimonium mere civile

vel coram ministro acatholico celebrandum, fieri potest ut, postquam iuvenis hunc obstinatum animum ostenderit, adsit causa quae antea non aderat.

CASUS VII

Machutus parochus dispensationem a S. Sede obtinuerat ut Felix catholicus Leoniam heterodoxam uxorem duceret. Sed paucis diebus antequam nuptiae celebrarentur, fama vulgatum est eos adituros esse ad templum Protestantium antequam ad ecclesiam catholicam accederent. Hinc dubitare coepit num liceret sibi eorum matrimonio, etiam mere passive, interesse.

SOLUTIO. — Videndum est utrum matrimonium ita coram ministro Protestante ineundum futurum sit validum an invalidum. Si valebit, prout contingit in Stat. Foed. Americae et omnibus regionibus in quibus non viget decretum *Tametsi*, certe parochus tali matrimonio assistere nequit, antequam pars catholica, facti paenitens, a patrata culpa absolutionem obtinuerit, iuxta Instr. S. Off. 12 dec. 1888 (n. 520). Atque idem agendum iubent Conc. Baltim. II Patres (n. 337), etiamsi prius ad parochum accedunt quam ad ministrum heterodoxum : " Stricte prohibemus ne sacerdotes matrimoniis eorum qui ab acatholico ministro iam coniuncti sunt vel coniungi volunt, interesse praesumant. „ At si nupturientes invalide coram ministro Protestante contrahant (ut contingit in Belgio, Gallia, Italia, etc.), conandum est ut, si peccatum impediri nequeat, saltem matrimonii invaliditas avertatur. Quare posset iis significare parochus se posse in rigore assistentiam suam praebere (ea ratione qua in hoc loco solet) si prius ad ecclesiam catholicam quam ad templum haereticorum se conferant. Instructio enim cit. S. Off. prohibet assistentiam tantum " si sponsi ad parochum seu sacerdotem catholicum pro benedicendis nuptiis accedant *postquam* eas coram ministro haeretico seu schismatico celebraverint „. Quod si hoc conamen manet irritum, casus esset Ordinario exponendus : qui permittere poterit mere passivam assistentiam eadem ratione atque illud permittere potest ubi matrimonium mixtum sine dispensatione vel omissis necessariis cautionibus initur (n. 519, V). Cfr. Feye, De imp. et disp. matr. n. 574.

CASUS VIII

Iustina catholica, in regione in qua dominantur schismatici valentque matrimonia clandestina, nupsit absque dispensatione Polycarpo schismatico : a quo iam plures liberos suscepit, a schismatico sacerdote baptizatos. Tantum scandalum reparare iterumque ad sacramenta admitti vellet, sed maritum suum rogare non audet ut liberos in catholica religione educari sinat, cum talis petitio id tantum effectura sit ut eius animus magis ab Ecclesia catholica removeatur.

SOLUTIO. — Nihil obstat quominus Iustina absolutione donetur, modo animo parata sit praestare ea quae ad scandalum reparandum sunt necessaria atque in eius potestate sunt: nempe sincere promittere se summo studio curaturam universae prolis educationem in religione catholica et partis heterodoxae conversionem. Nequit enim ab ea postulari id quod iam non est in eius voluntate, neque a legitimo marito et liberis separari potest. Iuvabit autem sacerdotem eam (debita facultate obtenta) saltem ad cautelam praevie absolvere ab excommunicatione specialiter R. P. reservata eique salutares paenitentias iniungere (1). His positis, iam admitti posset ad S. Communionem : scandalum enim praeteritum reparatum esset publico accessu ad confessionem, et quoad futurum, impediretur declaratione quam ipsa vel sacerdos prudenter ceteris fidelibus faceret : eius liberos in schismate educari tantum quia maritus id omnino velit. Videtur tamen communicanda Ordinario, vel ei qui ab Ordinario delegatam forte haberet facultatem dispensandi in impedimento mixtae religionis, testificatio promissionis quam Iustina praestiterit, ut ita etiam in foro externo constet satisfactum esse condicionibus quas Ecclesia matrimoniis mixtis apponit, quatenus in casu fieri poterat (n, 520).

(1) Quidam (Konings, Comm. in Fac. Ap. n. 47) negant incurri censuram a catholicis qui nuptias celebrant coram ministro schismatico, quia in Bulla Apostolicae Sedis non nisi haereticorum credentes et fautores censurae subiciuntur, et in Instr. ad Orientales 12 dec. 1888 de ea non est sermo. Res tamen dubia videtur saltem extra Orientales regiones, cum plerique schismatici nuncupati, puta " Orthodoxae „ Russiaci, sint vere haeretici.

CAPUT V

DE IMPEDIMENTORUM DISPENSATIONE

§ 1. DE AUCTORE DISPENSATIONUM

CASUS I

Polycarpus parochus dolens in confessione audierat, quod iam aliquis publicus rumor efferebat, impuros amores vigere inter Marcionem, viduum Melaniae, et Ioannam, quam Melania e praecedente matrimonio genuerat. In iisdem aedibus morabantur Marcion cum Ioanna ceterisque Melaniae liberis. Quare ratus non alio remedio quam iustis nuptiis tanto malo finem imponi posse, exploravit utriusque voluntatem, cumque ambo matrimonium libenter iniissent, supplicem libellum ad S. Paenitentiariam misit.

SOLUTIO. — Tempus et oleum perdit bonus parochus : nulla enim spes est dispensationis obtinendae in hoc impedimento primi gradus lineae rectae e copula licita (n. 521). Conandum igitur ut qualibet honesta ratione, quoad habitationem separentur Marcion et Ioanna : quod si nullatenus fieri potest propter impossibilitatem vel alius matrimonii contrahendi, vel aedes separatas incolendi, nihil restat quam ut iidem tractentur tamquam in proxima occasione necessaria constituti (n. 373, III).

CASUS II

Nicanorem, emissis votis sollemnibus religionis susceptoque presbyteratu, in tantum malitiae barathrum impulit vesana concupiscentia ut e monasterio profugerit miseraeque

puellae, Nathaliae nomine, adhaeserit. Vixerunt simul, quasi vir et uxor, per plures annos quattuorque susceperunt liberos. Tandem, occasione missionis, Nicanor ad confitendum accessit seque paratum ostendit omnia boni christiani officia iterum implere, modo dispensationem ad ducendam Nathaliam obtineret.

SOLUTIO. — Valde exigua spes datur assequendae dispensationis quam Nicanor exoptat in impedimentis ordinis presbyteralis et sollemnis professionis (n. 521). Attamen si nullis hortationibus assequi potest confessarius ut paenitens a putata uxore recedat, iuberet caritas ut conatus adhiberet ad obtinendam optatam dispensationem. Quare, cum paenitentis consensu, recurrere poterit confessarius ad S. Officium, seu per se, seu melius per Ordinarium suum : ad hoc enim S. Tribunal pertinet dispensare in impedimentis ordinis et sollemnis professionis.

CASUS III

Paschalis rem habuerat cum quadam ancilla quae in publico cafaeo famulabatur. Post aliquot menses consilium coepit ducendi uxorem Praxedem, cuius soror in illo diversorio famulata erat. Cum dubius esset utrum cum hac sorore an cum alia puella in eodem loco famulante rem habuisset, parochus dispensationem ab episcopo petiit et impetravit. Sed cum postea certo innotuisset reapse cum Praxedis sorore copulam habitam fuisse, dubitavit parochus num haec dispensatio sufficiens foret.

SOLUTIO. — Dispensatio Paschali procuranda erat, siquidem agebatur de dubio facti eoque non levi (quod sperni posset), sed gravi, cum non nisi inter duas vel paucas ancillas haesitaretur (n. 469, VI). Sufficiebat tamen dispensatio episcopi, cum impedimentum dubium esset (n. 523). Et quamquam aliqui AA. censent talem dispensationem valere pro solo foro interno, ac proinde opus esse dispensatione S. Sedis pro foro externo, quando impedimentum factum est certum, probabilius alii (D'Annib. III, n. 498; Rosset, IV, n. 2443) opinantur id minime necessarium esse, quia

nulla subest ratio ob quam data ex tacita R. P. delegatione eiusque loco dispensatio rata esse non debeat quoad forum externum in iis impedimentis quae ad forum externum pertinent. Cfr. Matharan, Cas. n. 372.

CASUS IV

Anacletus diaconus, diaboli laqueis irretitus, pluribus annis cum Bernardina in concubinatu vixerat : ex qua etiam plures liberos suscepit. Iam ipsa mulier ad meliorem frugem ab aliquot mensibus redierat, cum ipse in letalem morbum incidit atque ab Ordinario petiit ut sibi dispensationem largiri dignaretur ad ducendam Bernardinam atque ita legitimandos liberos ex ea susceptos.

SOLUTIO. — Invalide concederet Ordinarius petitam dispensationem. Nam cum iam a pluribus mensibus desierit concubinatus, desunt adiuncta, quae, iuxta resp. S. Off. 17 sept. 1890, necessaria sunt ut talis dispensatio concedi queat (n. 523). Atque in hunc sensum huiusmodi casum sibi propositum solvit S. Off., remisso oratore ad decretum mox citatum. Secus dicendum foret, ut notant redactores ephemeridum *Il Monitore ecclesiastico* (2ª Ser. Vol. I, p. 146), si partes separatae essent eo momento quo una pars in mortis periculo versaretur, sed sine sincera conversione, neque abruptis illicitis relationibus. Sic enim concubinatus moraliter perstaret.

CASUS V

Nectarius parochus, cui Ordinarius subdelegaverat facultatem quam Ordinariis fecit Leo XIII 20 febr. 1888 dispensandi cum constitutis in gravissimo mortis periculo, subito vocatus est ad Tarcissum diaconum qui in eius paroecia degebat, civiliter cum quadam muliere coniunctus pluriumque liberorum pater. Invenit hominem gravi morbo correptum atque, ut videbatur, morti proximum. Itaque rite confesso et S. Communione refecto dispensationem largitus est ut sociam scelerum suorum uxorem duceret

liberosque legitimos faceret. Sed cum paucis post diebus omne mortis periculum evanuisset, Nectarius timere coepit ne invalide hanc dispensationem concessisset.

SOLUTIO. — Per se nihil obstat valori dispensationis quod infirmus tam cito convaluerit, modo prudenter existimatus fuerit in gravissimo mortis periculo constitutus : in concessione enim Leonis XIII nullae aliae condiciones requiruntur quam ut aegrotus in tali periculo versetur et tempus recurrendi ad S. Sedem desit. Secus dicendum foret, si postea constaret penitus afuisse periculum mortis, puta quia innotesceret morbo prorsus diverso et nullatenus periculoso infectum fuisse Tarcissum : ita enim defuisset condicio a S. Sede requisita. Sed alia de causa potuit esse irrita dispensatio a Nectario concessa, nempe si non defuerit tempus ad Ordinarium recurrendi et periculum in mora non fuerit (n. 523). Nam ipse Ordinarius subdelegare potest tantum ubi ad eum recurrendi tempus deest et periculum est in mora. Attamen nullum dubium de valore dispensationis concipiendum videtur si parochus prudentur existimavit, puta ob iudicium medici, Tarcissum in magno periculo versari ne moreretur antequam episcopus facultatem impertiisset. Sed in casu, convalescente Tarcisso, parochus Ordinarium de dispensatione admonere deberet, ut ipse exsequi posset quod ei in concessione Leonis XIII iniungitur in tali casu faciendum : " Ordinarii de impertita dispensatione Supremam S. Off. Congr. certiorem faciant, et interim omni ope curent ut scandalum, si quod adsit, eo meliori modo quo fieri possit, removeatur, tum inducendo eosdem, ut in loca se conferant ubi eorum condicio ecclesiastica aut religiosa ignoratur, tum, si id obtineri nequeat, iniungendo saltem iisdèm spiritualia exercitia aliasque salutares paenitentias, atque eam vitae rationem quae praeteritis excessibus redimendis apta videatur, quaeque fidelibus exemplo sit ad recte et christiane vivendum. „

CASUS VI

Chrysogonus, in dioecesi Namurcensi domicilium habens, cum uxorem ducere cuperet Fanniam consanguineam suam in tertio gradu, dispensationem ab episcopo Namurcensi petiit. Quam cum impetrasset, se ad parochiam sponsae,

in dioecesi Leodiensi commorantis, contulit ibique, nulla dispensatione ab episcopo Leodiensi impetrata, nuptias celebravit.

SOLUTIO. — Valide Fanniam duxit Chrysogonus. Impedimentum enim erat commune utrique parti ; una autem pars dispensationem impetravit ab episcopo in cuius dioecesi domicilium habebat. Ergo, vi contractus individui, sublatum est impedimentum etiam pro altera parte. Ita respondit S. Off. 22 nov. 1865 (Coll. P. P. n. 1467), quod tamen subiunxit (quod ad meram liceitatem pertinet, neque sub gravi obligare videtur) : " Impetrata tamen venia pro celebratione matrimonii ab episcopo loci ubi ipsum matrimonium contrahitur. „ Atque, ut ex eodem responso constat, idem prorsus dicendum foret si ambo nupturientes in eadem dioecesi commorantes, obtenta ab episcopo suo dispensatione, se conferrent in aliam dioecesim in qua nuptias celebrarent.

CASUS VII

Nemesium insanus amor impulit ut Saram Iudaeam uxorem duceret. Ordinarius, cum facultatem dispensandi in impedimento disparitatis cultus non haberet, recurrit ad S. Sedem : dispensatione obtenta, nuptiae celebratae sunt. Sed post aliquot menses, cum Nemesius ad confitendum accessiset, detexit confessario se ante nuptias rem habuisse cum Sarae sorore. Hinc dubitare coepit confessarius utrum ad Ordinarium, qui facultatem a S. Paenitentiara habebat dispensandi in occulta affinitate e copula illicita, an ad ipsam S. Paenitentiaram recurrere deberet.

SOLUTIO. — Omnino ad S. Paenitentiariam ipsam recurrendum est, exposita cum impedimento affinitatis dispensatione iam a S. Sede obtenta in impedimento disparitatis cultus. Ratio est, quod integer casus, in quo duo impedimenta concurrunt, est eidem auctoritati exhibendus, ac proinde S. Sedi, quoniam episcopus facultatem dispensandi in disparitate cultus non habet (n. 523). Neque obstat iam S. Sedem dispensasse in impedimento quod episcopi potestatem superabat, sicut liquet e resp. S. Paenit. quod

commemorat S. C. de P. F. in litteris 10 maii 1887 (Coll. P. F. n. 1470) : " Quaedam dispensatio fuit concessa a Sanctitate Vestra super impedimento secundi gradus consanguinitatis : quaeritur an episcopus, virtute indulti 15 novembris (in quo conceduntur facultates circa impedimenta tertii et quarti gradus), super impedimento quarti gradus, quod postea detegatur, dispensare possit. „ — S. Paenit. d. 15 apr. respondit : " Negative. „ Aderat in casu altera ratio ob quam tenebatur confessarius recurrere ad S. Paenitentiariam : nempe Ordinarium facile intellecturum esse pro quo petatur haec dispensatio (n. 526).

§ 2. DE CAUSIS DISPENSATIONUM

CASUS I

Iulianus episcopus dispensationem in tertio gradu consanguinitatis dederat ob causam quam sufficientem ducebat ; contracto autem matrimonio, advertit illam veram quidem fuisse, sed minime sufficientem, iuxta stilum Curiae, ac proinde dubitavit num novam dispensationem petere deberet.

SOLUTIO. — Tuto acquiescere potest Iulianus, modo prudenter, i. e. re serio perpensa, et bona fide dispensationem concesserit. Nam supponendum est S. Sedem delegare episcopis facultatem dispensandi etiam in casibus in quibus bona fide et prudenter existiment sufficere causam, quae revera non sufficiat : ne et ipsi episcopi nimia anxietate causarum sufficientiam perpendere cogantur et fideles periculo nullitatis exponantur etiam ubi prudentes pastores suos sequuntur (Sanch. de Matr. l. 8. disp. 17. n. 8 seq. ; Mathar. Cas. n. 397).

CASUS II

Geruntius, qui nuper matrimonium inierat cum Seraphina, consobrina sua, dispensationem ab Ordinario assecutus, exponit Lollio confessario se, in expositione quam parocho

fecerat motivorum dispensationis obtinendae, falso dixisse iam copulam habitam et impraegnationem secutam esse, cum satis intellexisset ita facilius dispensatum iri.

SOLUTIO. — Iuxta generalia principia data de valore rescriptorum (Vol. I. n. 122), invalida est dispensatio, cum dolose exposita fuerit causa, saltem impulsiva. Cfr. De Becker, de Matr. p. 335. Attamen plures AA. sat magni nominis, praesertim e recentioribus (Gaspar. t. I. n. 353, nota ; Rosset, t. IV. n. 2605 ; Matharan, Cas. n. 404), censent etiam in casu obreptionis ex mala fide, prout in casu contigit, valere dispensationem, si una causa finalis vera in petitione expressa fuit : censent enim rescripta quae non sint iustitiae, sed gratiae (quales sunt profecto dispensationes matrimoniales) valere, etiamsi malitiose falsum expressum fuerit, dummodo falsitas contigerit in causa mere impulsiva. Quare, in casu, percunctandum esset e Geruntio num alia causa sufficiens in supplici libello allegata fuisset, qualis esse potuit in casu infamia mulieris, timenda etiamsi copulae suspicio sit falsa, vel mulieris aetas superadulta (n. 525, 2° et 9°). Quid autem si Geruntius ignorat utrum haec motiva expressa fuerint necne ? Si reapse affuerint, probabile est ea fuisse expressa ideoque probabiliter valere matrimonium : quare Geruntius, si cum eodem dubio contraxit, poterit quidem debitum reddere uxori petenti ; idem tamen petere non poterit, donec investigatione peracta apud parochum qui dispensationem petiit, vel nova dispensatione, per Lollium obtenta, dubium deposuerit (n. 493, III).

CASUS III

Paulinus exponit Luciano parocho sibi in votis esse matrimonium cum Hedwige, consanguinea sua in tertio gradu, ut bona magni momenti conservet in nobili sua familia, quae, ob hodiernas leges de hereditatum divisione, aegre in suo splendore servatur.

SOLUTIO. — Haec ratio sufficiens videtur ut Lucianus bonum animum addat Paulino, Ordinarius vero utatur facultate sibi concessa dispensandi in tertio consanguinitatis gradu. Etenim, conservatio nobilis familiae, licet in Instr. S. C. de P. F. 9 maii 1877

(n. 525) non commemoretur, haberi solet ab AA. tamquam legitima dispensandi causa, ob utilitatem quam huiusmodi conservatio Ecclesiae et Statui affert (Cfr. Rosset, De Sacr. Matr. IV. n. 2601). Quod si Paulini familia sit catholicae rei valde addicta, facile accedet causa *excellentiae meritorum*, quam cit. Instr. recenset n. 16, praesertim nostris diebus, cum Ecclesia, a Statu deserta vel etiam impugnata, plurimum subsidii reperire soleat in familiis opulentis quae variis catholicis operibus liberaliter subveniant. Quare idem videtur dicendum, etiamsi Paulini familia non esset sensu presso *nobilis*, sec tantum opibus et beneficiis insignis.

CASUS IV

Bonaventura inter suos paenitentes habet Crispinum adulescentem qui saepe in turpia peccata cum Melania consobrina sua germana labitur. Hinc dubitare coepit utrum praestaret Crispinum iubere ut plane a consortio Melaniae abstineret (quod vix aut ne vix quidem futurum sperabat) an eum impellere ut puellam, obtenta dispensatione, duceret : praesertim cum nulla alia ratio quam vehemens adulescentis amor ad has nuptias contrahendas impellebat.

SOLUTIO. — Profecto prudentis confessarii est paenitentes dehortari a petenda dispensatione quam Ecclesia quasi reluctans temporumque necessitatibus compulsa concedit, prout facit pro gradibus propinquioribus consanguinitatis, qualis est secundus, de quo in casu agitur. Attamen, ubi moralis necessitas urget matrimonii ineundi (prout contingeret in casu si Crispinus iam pluries frustra a confessario admonitus fuisset ut a Melaniae consortio se subtraheret, et multo magis si familiae necessitudines ipsos omnino impedirent ne ab invicem separarentur), praeponderat utilitas paenitentis, cui imprimis providere debet confessarius, utilitati publicae quae e servata lege impedimentorum resultat. Neque temerarium est sperare in casu dispensationem, quia S. Sedes iam solet in hoc gradu dispensare, etiam cum plebeiis et pauperibus, si causae sat urgentes concurrant (n. 521). Cfr. Rosset, op. cit. IV. n. 2610. Si copulam iam habuere Crispinus et Melania, haec allegari poterit ; si nondum habita fuerit copula, facile verificabitur nimia, suspecta, periculosa familiaritas, necnon cohabitatio

sub eodem tecto, quae facile impediri non possit (n. 525, 7° et 8°). Attamen cum molestum sit confessario dignoscere num causae sufficientes adsint, spes obtinendae dispensationis ingerenda est, nihil tamquam certum affirmandum.

CASUS V

Zephyrinus vir pius Leonardo confessario suo manifestavit desiderium suum ducendi uxorem Blandinam, fratris sui viduam. Leonardus paenitentem vehementer hortatus est ut, pro sua devotione, potius servaret legem Ecclesiae quam in hac tam propinqua affinitate dispensationem quaereret, cum nulla urgens ratio ad eam quaerendam impelleret.

SOLUTIO. — Iam hodie Ecclesia sat facile in hoc primo gradu affinitatis e copula licita in linea transversali dispensat (n. 521). Cfr. Rosset, l. c. n. 2613. Et quamquam Ecclesia potissimum timore matrimonii civilis impulsa sit ut a pristina severitate, qua rarissime cum plebeiis dispensabat in hoc gradu, recederet, eandem benignitatem iam exercet erga eos etiam a quibus, ut in casu, nullum imminet periculum ineundi matrimonii mere civilis. Quare, si matrimonium quod meditatur Zephyrinus optime utrique convenit ortumque familiae plane christianae daturum speratur, parum insistendum videtur huiusmodi consilio.

CASUS VI

Telesphorus, in catholica religione baptizatus, Nicolao parocho suo intentionem suam manifestavit ducendi uxorem Rachel, religione Iudaeam, petiitque ut omnia quae ad dispensationem assequendam requirantur quam citissime componeret. Cum vero parochus eum dehortatus esset ne matrimonium tam periculosum et indecorum iniret, minatus est se mere civiliter contracturum esse nisi cito et facile eius votis annueretur. His auditis Telesphorus, quamquam doluit

hominis malitiam, gavisus quoque est quod causam dispensationis invenerat : periculum matrimonii civilis.

SOLUTIO. — Minime necessarium erat, ad habendam hanc dispensationis causam, Telesphorum minari matrimonium mere civile nisi eius votis annueretur : sufficiebat enim probabile periculum, quod facile admitti potest si vehementi desiderio nuptias cum Rachele appetit Telesphorus et ipse in colenda religione sat tepidus est, prout plerique sunt qui huiusmodi nuptias quaeruut. Quin etiam cavendum est sacerdoti ne, importuna et inutili molestia, huiusmodi hominibus occasionem praebeat declarandi hanc perversam suam intentionem recurrendi ad solum magistratum civilem vel ad ministrum acatholicum, tum ne multiplicenter peccata, tum ne addatur dispensationi clausula, adhiberi solita quando huiusmodi intentionem manifestaverint, gravis paenitentiae salutaris imponendae. Monent etiam plures AA. (Gasparri, De Matr. I. n. 345; Mathar. Cas. n 401) non esse concedendam dispensationem iis qui minentur huiusmodi facinus ut dispensationem quasi extorqueant. Attamen hanc denegationem restringendam putamus ad casum in quo huiusmodi minae pluribus innotuerint, ita ut dispensationis concessio vergeret in dedecus Ecclesiae, quae minis obsequi videretur ; neque ullo iure prohibitum videtur eam ad maiora mala vitanda largiri ei qui privatim aliquas huiusmodi minas protulerit.

§ 3. DE MODO PETENDI DISPENSATIONES

CASUS I

Narcissus copulam habuerat cum Leontina, quae etiam praegnans erat. Nihilo minus matrimonium cum eiusdem sorore Martina inire cupiebat. Severinus parochus, ab eo rogatus ut ipsi dispensationem impetraret simulque eius famae maxime consuleret, supplicem libellum ad S. Paenitentiariam misit, in quo petiit dispensationem pro Titio in primo gradu affinitatis in linea transversali e copula illicita, tacita Leontinae impraegnatione.

SOLUTIO. — Irrita erit dispensatio quam Narcissus, misso tali libello supplici, assecuturus est. Etenim S. Paenit., nisi speciatim rogata fuerit, non dispensat nisi in impedimento occulto (n. 522, II). Iam vero propter impraegnationem Leontinae, facillime evadere poterit publicum impedimentum affinitatis cum Martina (n. 465). Deinde, ex altero capite invalidum potest esse rescriptum, vid. si Leontina sub promissione matrimonii copiam sui corporis fecit, neque renuntiavit iuri sibi quaesito ex hac promissione et copula secuta. Non enim intendit S. Paenitentiaria dispensationem dare quae in praeiudicium tertii cadat. Cfr. Mathar. Cas. n. 428.

CASUS II

Athanasius parochus in sua paroecia duos advenas habet, Mauritium et Philomenam, qui e longinqua regione venerunt. Hi quondam ad eum venerunt petentes ut iis procuraret dispensationem in secundo gradu consanguinitatis e copula licita, ut matrimonium mox inire possent. Annuit Athanasius, et cum in illa regione penitus occultum esset impedimentum, existimavit satis esse si ad S. Paenitentiariam recurreret nihil determinando utrum e copula licita an illicita orta esset affinitas.

SOLUTIO. — Errat Athanasius, neque valida foret dispensatio quam a S. Paenitentiaria obtineret. Affinitas enim e copula licita manet impedimentum publicum natura sua, quamquam de facto in aliqua regione occultum sit: quare ad illud impedimentum relaxandum, ad Datariam, non vero ad S. Paenitentiariam recurrendum est. Insuper S. Paenitentiaria, cum in supplici libello determinatum non fuisset e qua copula orta esset affinitas, neque additum fuisset oratores esse pauperes, intellexisset impedimentum quod ad eius potestatem primario spectat, nempe e copula illicita, ac proinde in diverso impedimento dispensare intendisset. Cfr. Mathar. Cas. n. 429 ; Rosset, de Sacr. Matr. IV, n. 2626.

CASUS III

Epiphanius parochus dispensationem in secundo gradu consanguinitatis per Ordinarium suum a S. Dataria petie-

rat pro Petro X... et Maria Y... Ubi vero accepit litteras dispensationis, mirabundus vidit cetera quidem omnia accurate referri, sed oratorem nomine Pauli X... designari. Nihilo minus, ratus hunc exiguum errorem, de quo non constabat utrum in supplici libello iam exstaret an tantum in rescriptum irrepsisset, valori dispensationis minime obstare, rescriptum exsecutus est.

SOLUTIO. — Epiphanius debuisset per Ordinarium suum petere litteras quas vocant *Perinde valere*, ut rescriptum in quod error irrepsit exsequi posset. Etenim e stilo Curiae patet errorem in nomine vel cognomine oratoris esse substantialem (n. 527). Quare iam non satis tuta videtur contraria aliquorum antiquiorum AA. sententia : quamquam aliqui AA., etiam recentes, rem adhuc ut dubiam exhibent (Gasp. I. n. 534, nota). Neque videtur referre utrum error iam in supplici libello exstiterit an tantum in rescriptum irrepserit, si quidem quae requiruntur in supplicatione, eodem iure videntur essentialia in rescripto. Sic etiam in Indulto quod S. Paenit. 15 nov. pro foro externo concedere solet ad annum, legitur ad VI^{um} : " Dispensandi seu convalidandi litteras dispensationis super quovis canonico impedimento ab Ap. Sede expeditas, quae nullae fuerint ob errorem nominis vel cognominis oratorum. „ Cfr. Rosset, l. c. nn. 2490 et 2763.

CASUS IV

Conradus parochus ab Ordinario petiit obtinuitque dispensationem in favorem Hieronymi et Suzannae, in secundo gradu affinium e copula licita. Sed nescio quo malo fato contigit ut neque ipse in supplici libello, neque Ordinarius in rescripto determinaverit vinculum e legitimo matrimonio provenire. Hanc praetermissionem advertens Conradus dubitare coepit num valeret concessa dispensatio.

SOLUTIO. — Non deerunt qui huiusmodi dispensationem irritam arbitrabuntur, quia non est expressa infima impedimenti species : quod ad valorem exprimendum est (n. 527, 3°). Attamen probabilius ducimus eandem valere, quia reapse intellexit Ordi-

narius affinitatem e copula licita et in eadem dispensavit. Crimina enim non praesumuntur : quare, ubi nihil additur, intellegitur affinitas e copula licita, ut merito statuunt plures (Feye, n. 704 ; Gaspar. I. n. 356, nota). Attamen praestat in supplicibus litteris originem affinitatis rite determinare, si de duobus primis gradibus agitur, ne preces suspensae maneant, sicut non raro contingere in S. Paenit. officio testantur Acta S. Sedis, II. p. 127.

CASUS V

Wenceslaus parochus duas dispensationes paroecianis suis obtinuit : de quarum valore dubia concepit. Prior data erat in secundo gradu affinitatis e copula licita, posterior in tertio gradu affinitatis. Sed oblitus erat Wenceslaus in priore exprimere concurrens impedimentum publicae honestatis, in posteriore, determinare e qua copula orta esset affinitas.

SOLUTIO.— Frustra se ipsum torquet Wenceslaus : utrumque enim implicite significaverat in supplici libello. Nam, cum affinitas e copula illicita non dirimat ultra secundum gradum (n. 481, II), quicumque dispensationem petit a tertio gradu clare significat vinculum oriri e copula licita ; qui vero impedimentum affinitatis e copula licita declarat, exercite petit dispensationem ab honestate publica, quatenus haec, consummato matrimonio, remanet. Probabilius ubi matrimonium consummatur, evanescit publica honestas, quae quasi adumbratio est affinitatis (Gaspar. t. I. n. 721).

CASUS VI

Arnoldus cum Fannia, cuius matrem carnaliter cognoverat, matrimonium inire cupiebat. Dispensationem pro eo petiit Bonaventura parochus in primo gradu affinitatis e copula illicita, sed non determinavit utrum gradus ille ad lineam rectam an ad collateralem pertineret.

SOLUTIO. — Cum Instr. S. C. de P. F. (n. 527, 4°), requirat universim ut exprimatur utrum linea sit recta an transversa, pro-

babilius ducimus hanc determinationem esse e stilo Curiae necessariam, ac proinde irritam fore dispensationem quam Arnoldus obtineret cum indeterminatione in casu posita. Quare in praxi omnino determinanda erit linea, saltem indicando cum quanam sponsae consanguinea rem habuerit sponsus. Attamen Sanchez (De Matr. l. 8. disp. 24. n. 14) opinatur hanc determinationem non requiri ad valorem, ubi de copula illicita agitur, quia in tali affinitate non debetur notabiliter maior reverentia affinibus in linea recta quam in linea transversa : quod pluribus etiam recentibus AA. placet (Lehmk. II. n. 809 ; Matharan, Cas. n. 409). Quare non videntur inquietandi qui, iuxta hanc sententiam, concessa dispensatione utantur.

CASUS VII

Ioachimus duos liberos Bernardinae e sacro fonte susceperat. Mortuo Bernardinae marito, Ioachimus per parochum suum dispensationem petiit ut viduam ducere posset ; parochus vero nihil expressit nisi oratorem vinculo cognationis spiritualis cum Bernardina coniunctum esse.

SOLUTIO. — Valet probabiliter dispensatio obtenta. Nam, ex ipso resp. S. Off. 29 apr. 1894 (n. 476, III), non multiplicatur impedimentum ob plures liberos e sacro fonte susceptos. Non ita liquet non fuisse necessarium ut determinaretur utrum e baptismo an e confirmatione orta sit cognatio. Id negant plures, ut Lehmkuhl (II n. 809), post Sanchez (l. 8 disp. 24. n. 15) : quorum sententiae aliqua saltem extrinseca probabilitas agnoscenda videtur. Hanc necessitatem tamen probabilius asserunt alii (Gasp. I. n. 356, nota) ob indubium stilum Curiae.

CASUS VIII

Avellinus matrimonium iniit cum Eudoxia, legitimam dispensationem assecutus super impedimentum primi gradus affinitatis e copula quam illicite cum sponsae suae sorore habuerat. Sed brevi post initas nuptias, certior factus est Eudoxiam pariter cum fratre suo rem habuisse

antequam matrimonium inirent. Quare rogavit confessarium suum, Damianum nomine, num valide uxorem duxisset Eudoxiam.

SOLUTIO. — Invalide Eudoxiam duxit Avellinus. Etenim duplex matrimonio obstabat impedimentum affinitatis e copula illicita (n. 480) ; utrumque igitur, sub poena nullitatis, erat exprimendum (n. 527, 5°). Neque validum foret matrimonium, etiamsi Eudoxia iam recurrisset ad Ordinarium vel S. Paenitentiariam ut relaxationem impedimenti sua culpa inducti obtineret : necesse enim erat ut omnia impedimenta quae in casu concurrebant in eodem libello supplici exponerentur. Nihil ergo iuvaret Eudoxiam de hac re interrogare. Si de copula cum Avellini fratre habita moraliter constat, a copula petenda vel reddenda abstinere debebit Avellinus, donec matrimonium ope dispensationis simplicis vel sanationis in radice convaluerit.

CASUS IX

Pantaleon, obtenta iam dispensatione ut cum Zaira, sibi in tertio gradu consanguinea, matrimonium iniret, consilio suo nuntium misit. Sequenti vero anno, iterum adiit ad Leopoldum parochum suum, petiitque ut sibi impetraret dispensationem ad ducendam Reginam, pariter in tertio gradu consanguineam. Leopoldus autem bibliothecae suae libros consulere coepit, ut sciret num dispensationis iam concessae mentionem in supplici libello facere deberet.

SOLUTIO. — Probabilius non est necessaria mentio gratiae iam concessae necdum ad effectum perductae. Ita censent multi tum veteres, tum recentes, quos enumerat Rosset (l. c. n. 2541), quamquam ipse contrariam sententiam tamquam probabiliorem propugnat. Ratio est, nullo iure positivo id praescribi, prout constat etiam e silentio S. C. de P. F. in Instr. 9 maii 1877. Neque apparet ratio ob quam illa mentio requireretur, si quidem altera dispensatio, cum sit pro diverso matrimonio, nullam habet conexionem cum priore. Fatendum tamen non deesse fundamentum aliquod sententiae contrariae (Rosset, l. c. n. 2542), nempe : non

fuisse concessurum Pontificem hanc alteram dispensationem, si prioris mentio facta fuisset, ne concederet privilegium plane exorbitans ducendi ad libitum hanc vel illam consanguineam. Haec necessitas certe non adest si dispensatio obtenta iam ad effectum perducta est, puta inito matrimonio, vel si impedimentum a quo dispensatum est diversae naturae est ab eo in quo nunc dispensatio petitur.

CASUS X

Horatius viduus uxorem appetit Aemiliam, filiam Lucretiae, sororis defunctae suae uxoris Placidae, sibi autem consanguineam in secundo gradu lineae transversalis. Iam vero tum in supplici libello, tum in rescripto S. Datariae, mentio facta est tantum secundi gradus consanguinitatis et affinitatis aequalis.

SOLUTIO. — Invalida est dispensatio : reticitus enim est primus gradus qui, in casu, concurrebat cum secundo gradu affinitatis (n. 527, 4°). Etenim Placida non nisi uno gradu distabat a communi stipite, a quo duobus gradibus distat Aemilia : quare idem dicendum de gradibus affinitatis quae Horatium inter et Aemiliam vigeat (n. 480). Quare novus libellus supplex, rite confectus, ad Ordinarium vel S. Paenitentiariam mittendus foret, in quo tamen nulla mentio prioris concessionis necessaria est. Cfr. Mathar. Cas. n. 416.

CASUS XI

Barnabas et Clementia, in secundo gradu consanguinei, Paulinum parochum rogaverunt ut sibi dispensationem ad ineundum matrimonium procuraret. Moras nectente parocho, cui huiusmodi coniunctio plurimum displicebat, nupturientes civile matrimonium iniere, quo facilius optatam dispensationem obtinerent. Tandem Paulinus supplicem libellum Ordinario obtulit, in quo civile matrimonium allegabat tamquam dispensandi causam, pravam vero nupturientium intentionem silentio premebat.

SOLUTIO. — Non irritabitur rescriptum a Paulino obtinendum ob reticitam malitiosam Barnabae et Clementiae intentionem in matrimonio civiliter celebrando. Etenim necessitas illa minime commemoratur in Instr. S. C. de P. F. 9 maii 1877 (n. 527, 6°) : quod argumentum, quamquam negativum est, multum valet, quia circumstantias plane similes commemorans S. C. hanc profecto adiunxisset si fuisset necessario exprimenda. Idem diserte respondit S. Paenit. 18 apr. 1831 Vicario Generali Nivernensi interroganti num necesse esset inquirere an oratores, qui matrimonium iam civiliter contraxerant, id patrassent ad dispensationem facilius obtinendam. Responsioni enim negativae, hanc subiunxit rationem : " Nam illa intentio oratorum, licet mala, non tamen irritat dispensationem, et idcirco debent oratores quidem peccatum confiteri, si reapse mala fide hoc fecerunt, non est tamen necessarium in eandem inquirere, quod attinet ad forum externum „. Cfr. Feye, de Imp. nn. 680 et 718.

CASUS XII

Sergius, ditissimi patris filius, matrimonium inire cupiebat cum Genovefa, consobrina sua germana, cuius parentes in magnam inopiam lapsi erant : quare pater eius Chrysophilus tam male iuvenem tractarat ut e paterna domo aufugisset. Adiit igitur Sergius Norbertum parochum rogavitque ut sibi dispensationem procuraret ; nihil tamen se solvere posse, quia pater consensum legaliter petitum abnuerat neque ullatenus ei opitulari volebat.

SOLUTIO. — Norbertus testari potest Ordinario, hic autem S. Datariae vel Paenitentiariae, oratores esse pauperes. Res liquet de Genovefa, quamquam forsan aliquam spem, sed incertam habet melioris fortunae recuperandae ob hereditatem vel legata avunculorum, materterarum, etc. Sed et ipse Sergius pauper et miserabilis dici potest, si quidem, in Iure saltem nostro, parentes cogi nequeunt ad dandam legitimam dotem, ac proinde, licet postea plane dives futurus sit, nunc verissime eget (n. 528). Cfr. Gaspar. de Matr. I. n. 317.

CASUS XIII

Chrysostomus parochus bona fide perhibuerat Ordinario Valerium et Teresiam, qui dispensationem in impedimento primi gradus affinitatis e copula licita postulabant, esse pauperes. Contracto autem matrimonio, certior factus est Teresiam saltem triginta francorum millia marito suo attulisse. Hinc dubitavit num valeret matrimonium vel aliqua erroris reparatio facienda esset.

SOLUTIO. — De valore matrimonii anxius esse non debet parochus. Nam sive a S. Dataria, sive a S. Paenitentiaria obtenta fuerit dispensatio, saltem probabile est eam valere, non obstante hoc errore vel etiam dolo contrahentium (n. 528). Tenentur tamen oratores solvere taxam quae S. Datariae solvenda fuisset si haec veram nupturientium condicionem novisset : cuius quantitas determinanda erit e consuetudine regionis, quam si parochus ignorat, Ordinarium interrogare iuvabit. Sed fieri potest ut magnum incommodum sit in monendis partibus vel saltem earum alterutra, puta quia parocho infensi sunt, vel in religionis praxi tepidissimi : in hoc casu, censemus hanc monitionem omitti posse, seu quia inutilis fore praevidetur, seu quia sequentur mala tanta ut non sit censenda S. Sedes pecuniam illam exigi velle cum tanto detrimento spirituali. Neque tenetur ipse Chrysostomus taxam solvere pro Valerio et Teresia, etiamsi aliqua imprudentia, puta ob rerum statum non satis examinatum, huic errori occasionem dederit. Nam probabilius defuit culpa gravis, atque etiamsi gravis fuisset parochi neglegentia, ipse minime tenebatur e iustitia commutativa prospicere iuri a S. Dataria acquirendo. Cfr. Vol. I. n. 520, IV.

§ 4. DE EXSECUTIONE DISPENSATIONUM

CASUS I

Hilarius, Vicarius generalis, vixdum acceperat documentum quo ipsi dabatur facultas dispensandi in quodam matrimonii impedimento, cum certior factus est obiisse Romanum

Pontificem. Quare ausus non est exsequi rescriptum illud : quippe quod existimaret, ob mortem illam, valore destitui.

SOLUTIO. — Rescriptum S. Sedis exsequi potest Hilarius. Hoc tamquam certum communiter traditur si rescriptum datum est a S. Paenitentiaria pro foro interno, quia, dum vacat Sedes Apostolica, non cessant facultates propriae huius tribunalis ; similiter dicendum de ceteris facultatibus quas delegatus iam coeperit exsequi, puta indagando de precum veritate. Ubi vero res integra est, plures AA. (ex. gr. Zitelli, Disp. Matr. p. 107 ; Rosset, n. 2780) censent valore destitui rescriptum, quia, iuxta c. *Si cui* (de Praeb. et Dignit. in 6° Decr.), cessant, per obitum concedentis, rescripta in forma commissoria : qualia sunt rescripta quibus fit facultas dispensandi in impedimentis matrimonii. Sed saltem probabilis, ideoque in conscientia tuta est sententia contraria (Gasp. I. n. 392; Feye, n. 734 ; Ball. P. n. 1391), iuxta quam valorem suum servant eadem rescripta. Rationem afferunt : non simpliciter dari aliquam potestatem Ordinario, ut cum oratoribus dispenset si voluerit, sed ipsi dari mandatum dispensandi, si preces veritate nitantur ; rescriptum ergo iam continere gratiam factam per hanc delegationem, eiusque exsecutionem non nisi accessoriam esse ; quare perseverabit rescriptum sicut manent quaelibet gratiae iam factae. Atque iuxta hoc principium respondit S. C. Ep. et Reg. 15 iul. 1740 (Coll. Bizz. p. 38).

CASUS II

In gratiam Zephyrinae obtinuerat Modestinus Vicarius generalis dispensationem a S. Paenitentiaria in primo gradu affinitatis e copula licita ; allegata autem fuerat deficientia dotis. Sed, cum eam exsecuturus esset, comperit Zephyrinae contigisse maximam pecuniae vim e publica quadam loteria. Hinc dubius haesit num liceret sibi rescriptum exsequi, penitus mutatis adiunctis.

SOLUTIO. — Si nulla alia causa finalis allegata fuit quam dotis deficientia, non potest rescriptum exsequi Modestinus (n. 529). Si vero aliqua saltem causa finalis vera manet, rescriptum exsequi poterit (Vol. I. n. 123).

CASUS III

Andreas, in Vicarium Capitularem electus, Roma accepit rescriptum S. Datariae, quo episcopo defuncto concedebatur facultas dispensandi cum Amedaeo et Nathalia in impedimento secundi gradus consanguinitatis. Iam in eo erat ut litteras illas exsequeretur, cum certior factus est ambos nupturientes ad vicinam quandam dioecesim migrasse, in qua nuptias inire et sedem figere intenderent. His auditis, rescriptum ad episcopum illius dioecesis misit, qui illud exsequeretur.

SOLUTIO. — Valide et licite egit Andreas. Declaravit enim S. Off. 20 febr. 1888 (Coll. P. F. n. 1471) : " Vicarium capitularem seu Administratorem eas quoque dispensationes apostolicas exsequi posse, quae remissae fuerant Episcopo aut Vicario eius generali vel Officiali, nondum exsecutioni mandatas, seu hi illas exsequi coeperint, seu minus. „ Atque in eodem documento statuitur posse Ordinarium, cui facta sit dispensandi facultas, ac proinde etiam Vicarium capitularem, delegare alium Ordinarium (n. 529, II). In hunc sensum respondit S. Paenit. 27 apr. 1886 (Coll. P. F. n. 1496). Etenim interrogata : " Utrum sufficiat ponere duos actus seu decreta, scil. primum actum seu decretum quo parochus seu alius delegatur ad verificationem causarum; secundum actum seu decretum quo sponsis sive per exsecutorem, sive per alium impertiatur absolutio et imponatur paenitentia..., „ respondit : " Sufficere, ita tamen ut dispensatio et legitimatio prolis ab ipso tantum exsecutore effici possit. „

CASUS IV

Servatius episcopus, aegrotante ipsius Vicario generali, Theobaldo secretario suo commisit exsecutionem alicuius rescripti quod a S. Sede acceperat, ut cum Nereio et Marcella in publico criminis impedimento dispensaretur.

SOLUTIO. — Nulla erit dispensatio quam Theobaldus largietur. Rescripta enim exsequi possunt tantum ii ad quos diriguntur

vel quibus ii, e S. Sedis facultate, eam potestatem faciunt. Iam vero e rescripto S. Off. 20 febr. 1888 dispensationes pro foro externo diriguntur omnes ad Ordinarios oratorum seu loci : quo nomine minime venit Theobaldus. Neque aliam facultatem subdelegandi indulget S. Sedes Servatio quam pro Ordinario alius loci. Fas tamen foret Servatio uti opera Theobaldi aliusve cuiuslibet sacerdotis ad indagandum num preces veritate niterentur (n. 530) et, postquam ipse, veritate perspecta, dispensationem largitus fuisset, ad significandam nupturientibus concessam facultatem. Cfr. Mathar. Cas. n. 434.

CASUS V

Vinnius, Vicarius generalis, rescriptum pro foro externo a S. Paenitentiaria in forma pauperum obtinuerat pro Iacobo et Rosina, quos optime noverat solo manuum labore lucrari quae vitae necessaria sint. Legebatur in rescripto clausula : « Dummodo oratores vere pauperes et miserabiles esse repereris ». Attamen, nullo examine neque ante, neque post obtentum rescriptum instituto de bonis nupturientium, dispensationem elargitus est.

SOLUTIO. — Modo reapse pauperes exstiterint Iacobus et Rosina, valor dispensationis minime periclitatur ob omissam indagationem de eorum condicione (n. 530, 3°). Immo etiamsi vere pauperes non forent, adhuc probabiliter valeret dispensatio (n. 528). Regulariter tamen graviter delinqueret Ordinarius qui, suae existimationi vel publicae famae confisus, examen de veritate precum omitteret : exponit enim se ipsum admittendis erroribus in re notabili, prout facile contingere potest si omittitur specialis interrogatio sponsorum vel testium. Attamen, cum nemo ad rem prorsus otiosam teneatur, si reapse cum plena certitudine novit Vinnius paupertate, saltem canonica, laborare oratores, non peccabit examine praetermisso. Et si ante petitam dispensationem investigationem fecerit, non tenetur eam post obtentum rescriptum iterare, nisi prudenter dubitet num aliquam mutationem subierit eorum condicio. Cfr. Mathar. Cas. n. 435.

CASUS VI

Turribius parochus a Nestore, Vicario generali, audiverat Roma advenisse rescriptum quo indulgebatur dispensatio in impedimento affinitatis quam pro Caesario et Olympia bonus pastor petiverat. Statim faustum nuntium communicavit nupturientibus et eos, iam longae morae impatientes, sequenti die coniunxit.

SOLUTIO. — Invalide contraxerunt Caesarius et Olympia, cum impedimentum nondum fuerit per rescripti exsecutionem sublatum. Quare, ubi acceperit parochus litteras quibus dispensationem largietur Ordinarius, curare debebit ut iidem iterum contrahant, servata forma Tridentina, quamvis occulte et in aedibus privatis id facere liceat (n. 530). Attamen videtur valuisse matrimonium Caesarii et Olympiae si, eo momento quo contrahebatur, Ordinarius iam expedivisset litteras quibus, rescriptum exsecutus, dispensationem largiretur. Etenim quamquam temere processit Turribius dum matrimonium celebrari permisit antequam, acceptis litteris, plane certus foret de sublato impedimento, hoc tamen reapse iam per exsecutionem Ordinarii sublatum erat, nec quicquam deerat nisi notitia factae exsecutionis (Mathar. Cas. n. 437).

CASUS VII

Hesychius parochus in gratiam Alberti et Margaritae dispensationem a S. Sede obtinuerat in impedimento affinitatis in primo gradu lineae collateralis e copula licita. Sed ubi Alberto communicavit factae dispensationis notitiam, audivit eum alio ligari impedimento, nempe affinitatis e copula illicite habita cum Petronilla, consobrina germana Margaritae.

SOLUTIO.— Investigandum est utrum hoc alterum impedimentum contractum fuerit ante vel postquam rescriptum exsecutioni mandaretur. Si ante contractum erat, iterum ad S. Sedem recurrendum erit et petenda relaxatio utriusque impedimenti, cum

ambo simul obstiterint contrahendo matrimonio (n. 523). Nempe, obtenta iam dispensatione pro impedimento publico, ad S. Paenitentiariam recurrendum erit pro impedimento occulto, addita mentione favoris iam concessi (n. 527, 5°). Si vero (quod raro continget) copula habita est tantum post sublatum impedimentum publicum, sufficiet relaxationem impedimenti occulti a S. Paenitentiaria vel Ordinario impetrare (Mathar. Cas. n. 440).

CASUS VIII

Alexius confessarius a S. Paenitentiaria dispensationem aliquam petierat : quam, prout postulaverat, accepit inscriptam : « discreto viro Alexio confessario ». Sed nescio quo casu factum est ut nupturiens dispensandus ad eum accedere non posset. Quare, de eiusdem consensu, rescriptum exsequendum transmisit ad Hubertum, confessarium pariter in dioecesi approbatum.

SOLUTIO. — Invalide dispensationem exsequeretur Hubertus, cum rescriptum directum sit non ad quemlibet confessarium ab oratore deligendum, sed ad solum Alexium. Ut huius modi angustiae praecaveantur, iuvabit postulare ut detur delegatio tum pro confessario determinato ad quem rescriptum transmittatur, tum pro alio quolibet ab oratoribus deligendo (Feye, n. 747).

CASUS IX

Nivardus confessarius a S. Paenitentiaria acceperat dispensationem in impedimento affinitatis pro Theobaldo, qui copulam habuerat cum Christina, sponsae suae sorore, in iisdem aedibus commorante. Sed ob nimiam festinationem oblitus est paenitenti imponere ut occasionem peccati removeret. Inito autem matrimonio, timere coepit ne nullum foret, quia in rescripto legebatur clausula : « sublata vel remota occasione peccandi ».

SOLUTIO. — Non necessario manet periculum proximum quia mulier quacum peccatum sit, in iisdem aedibus remansit. Morali-

ter enim remotum est si iam abrupta erat peccandi consuetudo, prout sentiunt DD. (Schmalzgrub. in 4 dec. t. 16. n. 246) et sequitur e notionibus occasionum proximae et remotae (n. 371). Deinde etiamsi eo momento quo dispensationem exsecutus est Nivardus perstabant pravae relationes Theobaldi et Christinae, non videtur propterea irrita fuisse dispensatio. Aliud enim est, paenitentem monitum de tollenda proxima occasione, nolle parere : quo in casu, nequit exsecutor gratiam largiri contumaci (n. 532, 2°). Aliud est, exsecutorem oblivisci clausulae denuntiandae : nam, cum obligatio removendae occasionis iure naturae premat omnes absolutionem petentes, licet opinari illam clausulam appositam esse tantum ut confessarii officii sui admoneantur, minime vero ut condicio sine qua non inducatur (Rosset, l. c. n. 2718).

CASUS X

Ubaldus confessarius, rescriptum S. Paenitentiariae pro foro interno exsecuturus diu cogitavit quid impositurus esset pro « gravi paenitentia salutari « quae in rescripto iniungenda edicebatur. Tandem consilium iniit iubendi ut paenitentes semel singulis hebdomadis per totum annum recitarent quinquies Pater et Ave. Sed cum eam paenitentiam proponeret, sponsus eam tamquam nimiam recusavit. Timore matrimonii mere civilis deterritus, Ubaldus nihilo minus dispensationem elargitus est.

SOLUTIO. — Sufficiens videtur paenitentia quam Ubaldus dispensandis imposuit. Nam, iuxta communem AA. interpretationem stilo Curiae nixam, sufficit ut per annum duret paenitentia etiam in se non ita gravis, quando imponenda dicitur paenitentia, " salutaris et gravis „ vel " gravis et longa „ (Feye, n. 751 ; Rosset, n. 2721). Sed minus probandus videtur Ubaldus ubi, timore matrimonii mere civilis, ab imponenda paenitentia abstinuit. Nam, licet quidam AA. impositionem in tali casu ad solam liceitatem requiri putent (n. 532, 4°), haec sententia non est tuta. Deinde, ipsum ius naturae prohibet ne contumacibus gratiae spirituales concedantur, cum hac ratione plurimum vilescat Ecclesiae aucto-

ritas. Neque serium videretur periculum matrimonii mere civilis, cum agatur de dispensatione fori interni : cuius defectus non impediet quominus publice in facie Ecclesiae contrahatur.

CASUS XI

Leander confessarius Belga, exsecuturus aliquam dispensationem S. Paenitentiariae pro foro interno in favorem Nicolai obtentam, audivit facta quae impedimento, scilicet criminis, ortum dederant esse multis nota in Austria, e qua regione Nicolaus se in Belgium transtulerat. Quapropter dubitare coepit num impedimentum illud habere posset tamquam occultum, quia in Belgio reapse tantum tribus quattuorve personis notum erat.

SOLUTIO. — Impedimentum quo detinetur Nicolaus non cessat esse occultum quia tribus quattuorve personis notum est in Belgio, nisi hae personae tales sint ut notabile sit evulgationis periculum (n. 465). Neque videtur in rigore ab exsecutione abstinendum quia impedimentum est publicum in regione dissita : nam praesertim si non est probabile famam contracti matrimonii in Austriam divulgatum iri, non apparet quare non sufficiat dispensatio in foro mere interno. Attamen iuxta Bened. XIV (Instit. 87. n. 46) et communem doctrinam, Leander potius abstinere debebit ab exsecutione et, reo consentiente, circumstantiam illam (nisi iam exposita fuerit) S. Paenitentiariae exponere (De Becker, p. 284 ; Rosset, n. 2735).

CASUS XII

Barnabas, postquam dispensationem in primo gradu affinitatis obtinuit ob copulam quam cum Appollonia, sponsae suae sorore, habuerat, iterum cum eadem peccavit ; quin etiam copulam cum Melania, pariter sponsae suae sorore, instituit. His in confessione auditis, Flavianus parochus supplicem libellum ad S. Paenitentiariam misit, quo implorabat Titio dispensationem impedimenti affinitatis in primo

gradu lineae collateralis e copula illicita, nihil addens neque de iterata copula cum Apollonia, neque de priore dispensatione obtenta.

SOLUTIO. — Laudandus Flavianus quod de copula cum Apollonia iterata reticuit : si quidem haec nullum novum impedimentum induxit (n. 533). Pariter probandus novus recursus ad S. Paenitentiariam ob novum impedimentum quod e copula cum Melania ortum est (n. 480). Sed mentio facienda erat dispensationis modo obtentae in gratiam eiusdem oratoris in impedimento simili. Ratio manifesta est si nondum sublatum est, per exsecutionem rescripti, vinculum e copula cum Apollonia inductum : si quidem iam obstarent simul duo impedimenta (n. 527, 5°). Quod si iam exsecutioni mandatum erat prius rescriptum, urget tamen obligatio commemorandae dispensationis iam acceptae, quia, e stilo Curiae, exprimendae sunt circumstantiae quaedam quae notabiliter a dispensatione concedenda retrahant, qualis sane esset dispensatio iam eidem oratori concessa in impedimento ex eodem crimine oriundo (S. Alph. l. 6. n. 1137).

CASUS XIII

Albertina, nuptias inire cupiens cum Lollio non baptizato, parochum petierat ut sibi dispensationem in impedimento disparitatis cultus obtineret, datis solitis promissionibus. Verum, dum dispensatio ab Ordinario Romae procuratur, morae impatientes sponsi coram civili magistratu contrahunt et maritaliter vivere incipiunt. Ordinarius igitur, ubi optatum rescriptum obtinuit, dubitavit num post hanc scandalosam legum ecclesiasticarum transgressionem, Albertinae dispensationem elargiri posset.

SOLUTIO. — Hunc casum S. Paenitentiariae proposuerat Ill. Rosset, Episcopus Maurianensis (De Sacr. Matr. IV. n. 2772), et subiunxerat : " Quaeritur an illa circumstantia, quae non fuit exposita in supplici libello, invalidet dispensationem, an vero Ordinarius possit illam exsecutioni demandare. „ Responsum est 25 nov. 1889 : " S. Paenit., mature consideratis expositis, respondet : Negative ad primam partem ; affirmative ad secundam

remoto tamen scandalo, praesertim per separationem, et imposita gravi et salutari paenitentia. „ Itaque conandum est ut scandalum reparetur per temporaneam viri et mulieris separationem, tamquam per medium aptissimum. Attamen non videtur separatio plane necessaria, cum tantum indicetur ut optimum *(praesertim)*. Quare si obtineri nequit, sufficiet ut alia ratione scandalum reparetur, puta dum pars catholica publice ante matrimonium ad confessionem accedat et publici iuris faciat nuptias inire cum omnibus condicionibus ab Ecclesia requisitis.

CAPUT VI

DE REVALIDATIONE MATRIMONII

§ 1. DE MATRIMONIO NULLO OB DEFECTUM CONSENSUS

CASUS

Thecla Tito nupserat, gravi parentum suorum metu adacta : cor enim eius praeoccupaverat Alcimus. Verum brevi, cum Titum melius nosset, libenter cum eo mansit pluresque liberos ex eo suscepit. Attamen, cum quondam hanc historiam suam Sophronio confessario narrasset, hic dubitare coepit num matrimonium iam valeret vel convalidandum foret.

SOLUTIO. — Si reapse gravis metus a parentibus incussus fuit, matrimonium a Thecla cum Tito invalide initum est (n. 490). Ut autem dignoscatur num iam convaluerit ex quo tempore Thecla, deposito metu, libenter Tito adhaesit, videndum erit utrum ipsa cognoverit matrimonii nullitatem necne. Si eam iam cognovit, valuit matrimonium, quam primum consensum suum implicite per copulam vel cohabitationem coniugalem manifestavit. Si vero (ut

in casu probabilius est) nullitatem matrimonii ignoravit paenitens, matrimonium nondum valet, sed facile revalidari potest. Interroget igitur paenitentem Sophronius num absque probabili periculo separationis vel gravium iurgiorum Titum adducere possit ad consensum suum renovandum, et, si abest huiusmodi timor, iubeat eundem ab utroque renovari ; secus, moneat eam satis fore ut eum implicite per copulam coniugalem renovet (n. 535).

§ 2. DE MATRIMONIO NULLO OB DEFECTUM FORMAE TRIDENTINAE

CASUS I

Romana cum Ubaldo coram civili magistratu matrimonium inierat in regione in qua ad valorem requiritur forma Tridentina. Sed ubi sponsa ad ecclesiam pergere voluit, sponsus, qui invitus promiserat se matrimonium coram parocho contracturum esse, omnino renuit eam comitari. Romana igitur ad parentes fugit parochumque rogavit quid sibi faciendum foret.

SOLUTIO. — In primis examinandum erit num adsint gravia incommoda in deserendo Ubaldo. Si tribunalia civilia (ut iam in Belgio contigit) talem perfidiam sponsi tamquam causam sufficientem habent ob quam divortium civile concedatur, plerumque nullum grave incommodum aderit. Quare enixe suadendum erit Romanae ut se omnino separet ab illo nebulone, cui numquam coniungi velle debuisset (n. 462, II) et divortium civile imploret. Quid autem si absque gravissimo incommodo separari nequeant, puta quia Ubaldus ius suum urgeat eique faveant civilia tribunalia, vel si Romana, amore obcaecata, omnino velit Ubaldo adhaerere ? Conandum erit puellae ut sponsum suum adducat ad consensum suum dandum domi coram parocho vel delegato sacerdote ac duobus testibus, aut ad eundem dandum per procuratorem vel litteras (n. 536). Quod si nullum ex his mediis adhibere voluerit, petenda erit dispensatio in radice : quae dari posse videtur, cum probabilius verum consensum matrimonialem coram magistratu civili dare intenderit Ubaldus (n. 541).

CASUS II

Valentius, in catholica religione baptizatus, sed valde tepidus, nulla petita dispensatione, uxorem duxit Luciam Protestantem : matrimonium celebratum est primum coram civili magistratu, deinde coram ministro Protestante. Attamen post aliquot annos, iam pluribus susceptis liberis, Dei gratia ad paenitentiam adductus, Simoni confessario peccata sua pandit.

SOLUTIO. — Ubicumque invalida sunt matrimonia clandestina, ut in Gallia, Belgio etc., conandum erit ut coniunctio Valentii cum Lucia convalidetur : nam post longam cohabitationem et plures liberos susceptos, magna detrimenta e separatione putativi illius coniugii sequerentur. Sed antequam adhibeatur forma Tridentina, obtinenda erit dispensatio ab impedimento mixtae religionis. Simon igitur paenitentem ad parochum remittat vel ipse, si maluerit aut casus postulaverit, eam dispensationem a S. Officio vel Ordinario obtinere conetur. In hunc finem solitae cautelae ab utraque parte, si fieri potest, obtinendae erunt, vel si Lucia acquiescere nolit educationi universae prolis in religione catholica, saltem a Valentio exigendum erit ut promittat se summo studio curaturum esse hanc educationem et Luciae conversionem (n. 520). Quod si nullo pacto oblineri possit ut Lucia coram sacerdote, etiam per procuratorem vel litteras, compareat, postulanda erit sanatio in radice (n. 536). Oportebit quoque ut sacerdos qui dispensationem procuraturus est petat ab Ordinario facultatem absolvendi, saltem ad cautelam, Valentium a censura quam incurrit ob matrimonium coram Protestante ministro celebratum (n. 520). Antequam haec omnia composita et exsecutioni mandata fuerint, poterit iam Valentius, servatis servandis, a peccatis suis absolvi, sed ad communionem admittendus non erit quam diu non publice constabit de eius voluntate reparandi scandali quod, spretis Ecclesiae legibus, dedit.

Si vero in eo loco valent matrimonia clandestina, non sunt adigendi Valentius et Lucia ad sistendum se coram parocho, etiamsi in ea regione matrimonia mixta cum quibusdam religiosis caerimoniis fiunt. Etenim, teste Bened. XIV (De Syn. dioec. l. 8. c. 13.

n. 13), Ecclesia numquam sollicita fuit ut qui matrimonia illicite sed valide contraxerint, coram parocho comparerent, neque de tali obligatione quicquam legitur in nuperis responsis S. Sedis de iis qui matrimonia mixta illicite inierint (n. 520). Immo non nisi reluctans iis concedere solet ritus sacros quibus se indignos exhibuere : ac proinde non videntur ad eos admittendi, nisi Ordinarius id ob specialem rationem indulserit, et exclusa semper consensus renovatione.

§ 3. DE MATRIMONIO NULLO OB INHABILITATEM PARTIUM

CASUS I

Cyrillus adulescens, e Belgio in Americam Australem profectus, matrimonium in facie Ecclesiae celebravit cum Apollonia, e qua etiam duos liberos suscepit. In patriam regressus, impellentibus parentibus qui prius illud matrimonium ignorabant perinde ac ceteri omnes in Belgio, uxorem duxit Seraphinam, servatis omnibus caerimoniis qua religiosis, qua civilibus. Iam tres liberos ex hac nova uxore susceperat, cum certior factus est Apolloniam e vivis excessisse. Hac occasione usus, Didacum confessarium adiit ut rebus suis ordinem induceret.

SOLUTIO. — Mortua Apollonia, iam nullum impedimentum obstat quominus Cyrillus et Seraphina matrimonium ineant. Nullum enim erat in casu impedimentum criminis, cum Seraphina bona fide contraxerit (n. 485, II). Sed quomodo convalidabitur eorum coniunctio ? Difficultas nulla foret si prius matrimonium plane occulta ratione celebratum fuisset. Etenim in hoc casu cum impedimentum esset occultum, neque periculum esset illius divulgandi, non esset iteranda forma Tridentina (Gasp. de Matr. n. 1137). Aliunde, cum nulla dispensatio esset petenda, renovatio consensus ex parte Seraphinae non requireretur ob positivam Ecclesiae praescriptionem, atque ea tantum facienda essent quae e rei natura requiruntur. v. g. ut Cyrillus consensum suum renovaret saltem implicite, puta per copulam affectu maritali habitam, eumque ita

coniungeret cum consensu perseverante Seraphinae (n. 539). Quamquam parum veri simile est factum ita contigisse, cum in plerisque regionibus Americae Australis vigeat decretum *Tametsi*. Sed liceretne omittere iterationem formae Tridentinae eo quod impedimentum ligaminis est prorsus ignotum in Belgio, licet alibi probari possit ? Profecto id non liceret, si timendum esset cum aliqua veri similitudine ne fama in Belgium publicaretur (n. 538). Immo generatim AA. (Feye, De Imp. Matr. n. 97) dicunt in iis regulariter procedendum esse sicut proceditur in impedimentis publicis. Attamen non desunt AA. (Gury, Cas. II. n. 1076) qui opinentur non esse renovandum consensum in forma Tridentina, ubi dispensatum fuit in impedimento natura sua publico, sed plane occulto. Hoc autem a fortiori applicari poterit ubi nulla fuit petita dispensatio, ut in casu nostro : reapse enim, si abest omne periculum divulgationis, puta si liberi aeque ac mater obierint, neque ullae relationes inter illam Americae regionem et Belgii locum in quo versatur Cyrillus vigent, videtur sufficienter provisum ne defectus celebrationis publicae appareat. Neque aliud videtur requiri, iuxta praxim S. Sedis (Bened. XIV. Inst. 87. n. 62), ad iterationem formae Tridentinae omittendam, quam ut impedimentum non innotuerit, neque divulgandum fore timeatur. Attamen, si commode fieri poterit, iuvabit recurrere ad dispensationem in radice, exposita S. Paenitentiariae natura huius impedimenti publici in uno loco et occulti ubi sponsi degunt (n. 541). Diligentissime vero cavendum erit ne Seraphina suspicetur quid contigerit : nam, ob atrocem iniuriam qua affecta fuit a Cyrillo, gravissimum odium in eum inflammari posset.

De legitimitate liberorum qui e coniunctione Cyrilli cum Seraphina nati sunt, non est cur sollicitus sit Didacus : sunt enim legitimi ob bonam fidem matris (n. 634).

CASUS II

Ladislaus iam a duobus annis matrimonio iunctus erat cum Caecilia, quando, genealogias familiae suae investigans, repperit eam sibi esse in quarto gradu consanguineam. Territus ad Medardum parochum advolat et quid sibi agendum foret postulat, quia nullam dispensationem petierat.

SOLUTIO. — Cum Ladislaus sit plane certus, ut videtur, de exsistentia latentis consanguinitatis et de matrimonii sui nullitate,

nihil restat quam ut rem declaret Caeciliae atque ut ambo ab omni usu coniugii abstineant donec matrimonium, obtenta dispensatione, convalidatum fuerit. Tenebuntur iterum in forma Tridentina contrahere, si in loco viget decretum *Tametsi* (n. 538), quamquam secreto rem transigere licet (n. 456. IV). Si Ladislaus adhuc dubitaret num reapse in quarto gradu Caeciliae cognatus foret, posset pergere in usu matrimonii bona fide contracti donec dubium expulisset (n. 493, § IV). Tandem si certus quidem foret de vigente consanguinitate, sed nesciret propterea invalidum esse matrimonium, Medardus generatim deberet eum in bona fide relinquere donec, obtenta dispensatione, consensus validus dari posset : ne frustra coniuges in periculum formalis fornicationis coniceret (n. 534).

CASUS III

Hildebrandus a tribus annis nupserat Bibianae, cuius sororem carnaliter cognoverat, cum audiit ex huiusmodi turpibus relationibus exsurgere matrimonii impedimentum. Quam ob rem Felicianum confessarium rogavit num aliqua facienda forent ut error ille repararetur.

SOLUTIO. — Felicianus, antequam pronuntiet Hildebrandi nuptias cum Bibiana fuisse irritas, sedulo investiget utrum copulam habuerint generationi aptam, e qua sola prodit impedimentum (n. 480), an onanistice vel sodomitice tantum convenerint. Creberrime enim hodie iuvenes, praesertim luxuriae plurimum dediti, sollicite cavent ab impraegnationis periculo. Quod si constat affuisse impedimentum, videatur utrum Bibiana sine gravi incommodo vel periculo satis certiorari possit de matrimonii nullitate ut consensus renovari queat, saltem una ex iis prudentibus formulis quas AA. sufficere censent, an nullatenus id tentari possit sine gravi periculo, puta quia mulier suspiciosa est vel occasionem divortii instituendi avide arriperet. Si prius, petenda erit dispensatio in forma ordinaria ; si posterius, dispensatio in radice (n. 539). Tandem videndum utrum impedimentum occultum mansurum sit an facile innotescere possit (n. 565). Si occultum mansurum est, ut valde veri simile est in casu, petenda erit a S. Paenit. dispensatio vel sanatio in radice pro solo foro interno ; si vero facile innotescet, petenda erit dispensatio vel sanatio quae etiam pro foro externo valeat (n. 542).

CASUS IV

Aldegundis, mundana mulier, dum confessionem ante nuptias instituebat, accusavit copulam cum fratre Hieronymi sponsi sui habitam. Monita a confessario de necessitate adeundi parochi ut dispensationem obtineret, monitum neglexit nuptiasque contraxit. Postquam longos annos in his nuptiis perstiterat, in gravem morbum incidit : Homobonum confessarium arcessivit, cui scelus suum manifestavit.

SOLUTIO. — Homobonus imprimis indaget num Aldegundis habuerit cum fratre Hieronymi copulam generationi aptam, sicut in casu praecedente dictum est. Quod si reapse intercessit impedimentum, examinandum erit utrum supersit Aldegundi aliqua spes vitae protrahendae necne. Si nulla spes supersit, moribundam ad dolorem de peccatis disponat, nihil tamen ab ea faciendum esse dicat : nam cum maritus sit in bona fide, uxori vero iam nullum periculum appareat e protracta cohabitatione, nulla datur ratio ob quam impedimenti dispensatio procuretur. Si vero spes valetudinis recuperandae manet, dispensatio quam primum erit procuranda, seu in forma ordinaria, seu in forma sanationis in radice, iuxta exposita in casu praecedente. Cfr. Elbel, Theol. Mor. sacram. p. 3. n. 347 seq.

CASUS V

Euphrosina, cuius filia Berenice nuper Servatio nupserat, Eleutherio confessario manifestavit se cum hoc iuvene rem habuisse. Interrogata num dispensationem a Servatio obtentam fuisse putaret, respondit profecto nullam ab eo fuisse petitam : utpote qui de religione parum curaret, neque ante matrimonium confessus esset. Petiit igitur confessarius num saltem Berenice arcessere posset ut ei applicaret dispensationem quam a S. Paenitentiaria assequeretur. Negavit iterum Euphrosina : quia perspicax puella

facile intellegeret quid inter eius matrem et Servatium actum esset. Hinc nescit Eleutherius quo se vertat.

SOLUTIO. — Nodum facile secabit Eleutherius, nihil tentando ut matrimonium revalidetur. Etenim moraliter nequit moneri alterutra pars ; praxis autem S. Paenitentiariae est non concedere dispensationem in radice in iis adiunctis (n. 541, 3°). Neque ullum nocumentum inde sequetur. Etenim Berenice certo est in bona fide ; Servatius autem, quamquam copulae habitae sibi conscius est, probabiliter ignorat ex ea ortam esse matrimonii sui nullitatem, cum ii qui a religione remoti vivunt plerumque etiam magna ignorantia rerum religiosarum inficiantur, ac proinde et ipse bona fide excusabitur in usu matrimonii. Adde eum, cum pravae est voluntatis, permansurum esse in malo statu, quicquid tentet Eleutherius. Cfr. Gury, Cas. n. 1072.

CASUS VI

Scholastica a pluribus annis cum Bernardino, viro impio, mere civiliter coniuncta degebat. Tandem, occasione missionis, cum Deo reconciliari voluit rogavitque Bernardinum num parochum secum adire vellet : sed pervicax peccator prorsus renuit. Parochus, rem edoctus, aedes illorum concubinariorum adiit petiitque a Bernardino ut saltem domi contrahere vellet, uxoremque a maximis angustiis liberaret. Iterum renuente viro, parochus clam iussit Scholasticam ab hoc nefario contubernio discedere ut animae sua consuleret.

SOLUTIO. — Si reapse constat Bernardinum, seu ob impiam voluntatem, seu ob humanum respectum, ecclesiam adire nolle, videndum est num saltem sperare liceat fore ut sacerdotem domi excipiat. Si talis spes affuerit, iuvabit parochum, aliumve sacerdotem ab eo delegatum et qui concubinario gratior fore videatur, adire ad aedes concubinariorum, simulque curare ut duo testes parati sint, qui, si conatus felicem exitum habeat, contrahentibus adstent (n. 498, V). Ubi sacerdos admissus erit, sufficiet coram testibus interrogare maritum num velit cum praesente muliere

manere tamquam cum legitima coniuge : si enim (ut facile continget) annuerit idemque asseruerit femina, iam matrimonium peractum erit. Verum, si maritus sacerdotem admittere ullumve consensus signum coram eo dare recusat, vel si adeo impius est ut, ante omnem conatum, ita acturus esse cognoscatur, peti poterit sanatio in radice (n. 541). In casu raro iubenda esset Scholastica ut a pseudo-marito discederet, nempe si ab hoc consilio capiendo nullo gravi incommodo deterreretur, qualia esse solent iura quae lex civilis viro tribuit, susceptorum liberorum cura, inopia in quam mulier laberetur, etc. Si mulier propter impii vel dissoluti viri consortium in iugi periculo proximo gravium peccatorum versaretur, iubenda etiam esset ab eo separari : quamquam, si gravia damna timeret, periculum aliis mediis removere posset (n. 373).

CAPUT VII

DE USU MATRIMONII

§ 1. QUATENUS COPULA LICEAT CONIUGIBUS

CASUS I

Siricius et Agatha, coniuges religiosissimi, postquam quosdam liberos susceperunt, statuerunt mutuo consensu perfectam castitatem vovere. Verum, emisso iam voto, Agatha advertit virum magnis tentationibus contra castitatem vexari : quare, existimans votum in tantis angustiis non obligare, debitum petiit, quod maritus libenter reddidit.

SOLUTIO.— Quam diu voto emisso ligantur Siricius et Agatha, neutri parti licet alteri offerre copulam, etiamsi in ea advertat periculum incontinentiae. Etenim id offerre, est saltem aequivalenter reddere ; iam vero qui perfectam castitatem vovit, non tantum a petenda, sed etiam a reddenda copula abstinere debet. Neque dicas, cum Matharan (Cas. n. 477), id licere " quia lex caritatis

legi religionis praestat. „ Si enim votum emissum omittere liceret ut proximum a peccandi periculo eriperemus, a fortiori id liceret ut nosmet ipsi idem periculum evaderemus : quod nemo concedet (1). Hoc votum tamen probabiliter possent coniuges enervare, si maritus directe votum uxoris, uxor indirecte votum mariti irritaret (Vol. I. n. 326). Melius tamen ad dispensationem recurrerent : quae, secluso casu indulti specialis, a solo R. P. dari potest, cum sit votum perfectae castitatis (n. 512, II).

CASUS II

Valentina, pia mulier, votum emisit servandae castitatis quatenus id facere posset illaesis officiis quibus erga Valentinum maritum suum adstringebatur. Postea autem dubitavit num illaeso voto posset marito suo blandiri, qua verbis, qua osculis et tactibus, quia his saepe adducebatur Valentinus ad copulam petendam. Dubium auxit lugendus nuntius quem mox accepit : maritum suum incestum cum Nympha, Valentinae consobrina, perpetrasse.

SOLUTIO. — Valentina, vi voti sui, profecto tenetur ad debitum non petendum. Quam diu autem maritus ius suum petendi debiti non amisit, illud reddere tenetur (n. 543, II). Similiter tenetur ad ostendendum marito illum affectum quem artissima eorum unio postulat : quare potest ei blandiri qua verbis, qua osculis, qua tactibus honestis, sicut antea solebat (Gury, Cas. II. n. 1096). Verum ubi novit Valentinum ius suum petendi debiti per incestum amisisse, iam neque petenti debitum reddere neque ullos actus imperfectos luxuriae cum eo perficere potest, cum nullo stricto iure petat. Minime tamen prohibetur quominus pergat in consuetis amoris signis viro exhibendis, praesertim si sperat eum posse hac ratione ab incestuosis nexibus retrahere. Immo si magnam huius

(1) Citat pro sua sententia Matharan (l. c.) Sanchez, (l. 9, disp. 7, n. 11), sed perperam. Sanchez enim ibi agit de coniugibus qui tantummodo voverint abstinere a petendo debito : quod prorsus aliud est quam vovere castitatem, prout idem A. in casu suo proposuit. Quin etiam diserte contrarium ibi declarat Sanchez : " Secus autem dicendum esset, si coniuges per viam pacti mutuo consensu castitatem vovissent. Quia iam nec petendi nec reddendi facultatem habent „.

conversionis spem foveret, iuvaret eam voti sui dispensationem petere, ut non tantum reddere, sed et petere liceret : quod ei tum Ordinarius, tum confessarii Regulares indulgere poterunt (n. 512, II).

CASUS III

Sergius confessarius, audiens Ghislenum, non obstante adulterio quod patraverat, petere debitum ab uxore sua, monuit eum id esse graviter illicitum, cum illud ius scelere suo amisisset.

SOLUTIO. — Turpiter erravit Sergius, modo adulterium non sit incestuosum. Nihil enim obstat quominus adulter postulet, sine stricta exigentia, ut uxor sibi debitum reddat (n. 543, II). Insuper, quam diu adulterium uxorem latet, probabilius est manere marito ius etiam exigendi debiti (Sanchez, l. 1. disp. 68. n. 4 seq.). Etenim haec privatio se habet quasi poena quaedam quam non debet exsequi ipse reus, sed quam imponere debet pars cui fides servata non est, perinde ac filius, qui enorme scelus admisit ob quod hereditate paterna privari meretur, eam suo iure arripere potest, si parens eum non exheredavit. Atque idem videtur dicendum (Sanchez, l. c. n. 5) si uxor, ob levia tantum indicia, adulterium suspicaretur.

CASUS IV

Clara se apud Silvanum confessarium accusat quod cum marito suo a tergo coierit. Interrogata num ex illa copula sequi potuisset generatio, respondet absolute quidem id fieri potuisse, aegre tamen, ac revera ad vitandam impraegnationem eos ad hunc modum recurrisse.

SOLUTIO. — Prudenter interrogavit paenitentem Silvanus (n. 545, V). E responso concludere potest venialiter tantum peccasse coniuges, cum neque ex intentione, neque ex actionis natura, generationem impediverint, quamquam eam difficiliorem reddiderint. Attamen, graviter officio suo deesset maritus si ita suas partes expleret ut semen tantum ad os vaginae apponeret (n. 545, V). Sed

de huiusmodi circumstantiis turpissimis non debet sponte interrogare confessarius, ac proinde, sine ulteriore investigatione, permittere poterit Claram marito suo morem gerere. Adhortanda tamen erit ut ipsa removeat omnem pravam intentionem minuendae fecundationis, nisi iustam causam id optandi haberet : nam sine speciali causa, tale desiderium est profecto irrationabile, cum liberorum susceptio sit primarius matrimonii finis.

CASUS V

Nicasius exponit Nicandro confessario se interdum ab incepta copula desistere, postquam eius uxor iam humorum effusione polluta est. Rogavit Nicander quare id faceret. Respondit paenitens, interdum id fieri quia uxor iam fessa petit ut recedat, interdum quia ipse aliquem dolorem experitur, cui finem imponere velit. His auditis, respondit Nicander has causas non esse sufficientes, atque in incepta copula semper pergendum esse nisi causae gravissimae, puta mortis periculum, id impedirent.

SOLUTIO. — Nicandri responsum convenit cum doctrina communi Sanchezii (l. 9. disp. 19. n. 6) et S. Alphonsi (l. 6. n. 918). Attamen cum Berardi (Prax. Conf. II. n. 1027) et Capellmann (Medic. Pastor. p. 143) opinamur hanc doctrinam esse nimis rigidam. Non apparet enim quare causa tam gravis requiratur ad permittendam illam frustrationem seminis feminei, vel etiam virilis, si forte Nicasius, postquam se retractavit, ob excitatam naturam, pollutionem cohibere nequit. Non enim requiritur universe causa tam gravis ad permittendam hanc frustraneam emissionem seminis masculini (Vol. I. n. 398) et a fortiori seminis feminei, quod si aliquatenus ad conceptionem confert, certe minime ad hunc finem necessarium est. Aliud foret, si coniuges, antequam coirent, praeviderent fore ut copulam perficere non possent, quamquam iam alterutra pars semen effuderit (quod tamen raro praevidere poterunt) : si enim nihilo minus eam inciperent, aequivalenter vellent solitariam seminis effusionem.

§ 2. QUAENAM INSUPER LICEANT CONIUGATIS PRAE SOLUTIS

CASUS I

Zephyrinus, vir pius, Leonem confessarium suum rogavit num sibi liceret delectationem fovere de copula olim cum uxore habita vel in posterum habenda. Respondit Leo id vix fieri posse sine quadam veniali culpa, quia huiusmodi complacentia nullo bono fine cohonestatur. Responsum maesto animo audivit Zephyrinus : quippe qui videbatur sibi ab huiusmodi cogitationibus vix posse abstinere.

SOLUTIO. — Verum est AA. plerosque, tum antiquos, ut Sanchez (l. 9. disp. 44. n. 5), tum recentes, ut Matharan (Cas. n. 487), doctrinam tradere quam Leo Zephyrino proposuit. Sed ne paenitens, parum doctus in errorem induceretur, quasdam explicationes, quae profecto in mente illorum AA. erant, addere debuisset confessarius. Nimirum cum obiectum illius delectationis nihil illiciti contineat (n. 547, IV), tota malitia actus orietur e sola otiositate cogitationis, perinde ac si quis diu absque ulla iusta ratione delectaretur de memoria grati cibi vel potus (Ball. P. tr. IV. n. 138). Zephyrinus ergo nullum peccatum timeat in iis cogitationibus etiam voluntariis quas obiter fovet de copula coniugali, et quae in viro coniugato vix non necessario aderunt. Quin etiam, si quando iusta causa foret diutius recogitandi de copula, secluso pollutionis periculo, puta ut grata cogitatione melancholiam depelleret, non videmus quare id inordinatum foret.

CASUS II

Helena, absente marito suo, non raro se ipsam in verendis tangit cum aliqua venerea delectatione, immo etiam quandoque cum plena libidine. Rogavit igitur Nestorem confessarium suum num in his tactibus tuta conscientia pergere valeret.

SOLUTIO. — In his tactibus, cum sine intentione copulae fiant, certe venialis culpa habetur ; dubium tantum de gravi reatu oriri potest. Itaque monenda erit Helena eam graviter peccare ubi se ita tangit cum intentione procurandae pollutionis, seu plenae satietatis affectus libidinosi (n. 584, V), vel si tactus illi tales sunt ut praevideat eos, moraliter loquendo, pollutionem excitaturos esse (n. 547, III). Quod si experientia norit interdum ex iis sequi pollutionem, quamquam crebrius non sequitur, non videtur sub gravi obligari ad eos omittendos propter effectum illum qui per accidens ex iis sequetur (Vol. I. n. 398, IV).

§ 3. DE ONANSIMO CONIUGALI

CASUS I

Hippocrates medicus Gerardo confessario declarat se iam a pluribus annis copulam coniugalem omittere quia novit uxorem suam, si iterum concipiat, certo perituram esse ; se tamen, cum ad venereas delectationes valde propensus sit, interdum incipere copulam cum uxore sua et, antequam semen eiaculetur, abrumpere ; iam olim se de eadem re cum alio confessario egisse, qui eum tuta conscientia pergere iussisset, sed nihilo minus interdum adhuc dubiis angi.

SOLUTIO. — Gerardus interroget Hippocraten num soleat semen extra uxoris vaginam profundere quando ita copulam inchoatam abrumpit. Si affirmaret, monendus esset ipsi quidem licitos manere tactus cum uxore qui non ita magnum effundendi seminis periculum creent, minime vero inchoationem copulae cum determinata voluntate eiusdem non consummandae, cum hic verus onanismus foret (n. 551, 3°). Quod si alter ille confessarius forsan hanc praxim probasset, nihil attendendum foret : consultius foret paenitenti dicere eum probabiliter casum male intellexisse. Si vero respondet Hippocrates numquam vel raro sequi pollutionem ex inchoata copula, hortandus quidem erit ut a re satis periculosa abstineat, sed nulla stricta obligatio gravis imponenda erit (n. 549, II).

CASUS II

Quintinum confessarium consulit Florentia matrona num tuto sequi possit consilium sibi a medico catholico datum, vid. ut statim ac copulam cum marito suo habuerit, aquam frigidam vaginae iniciat ; id enim ni faciat, se intolerabili pruritu et excitatione vexari. Respondit Quintinus tuta conscientia posse Florentiam medici sui consilium sequi, cum vir catholicus nihil praescripturus sit quod cum bonis moribus pugnet.

SOLUTIO. — Debilissima est ratio Quintini : crebro enim contingit ut in huiusmodi quaestionibus sat subtilibus medici catholici bona fide praescribant ea quae cum morum principiis pugnent, quia ipsi numquam accurate in huiusmodi quaestionibus solvendis instituti sunt, neque postea peritos sacerdotes interrogant, sed pro consuetudine plerorumque laicorum aevi nostri sibimet ipsis dirigendis plane sufficere autumant. Reapse, in casu, minime licet quod Florentiae praescripsit medicus : copulam enim instituere cum determinata voluntate expellendi, ope lotionis, receptum semen, perinde est atque onanistice coire, semine virili extra vaginam proiecto (n. 549, I). Neque excusatur Florentia molestiis quas in servando semine experitur : hae enim probant tantum eam sine valetudinis detrimento coire non posse, ac proinde a copula abstinendum esse, si eas pati aut nolit aut nequeat. Quod si huic sententiae obtemperare nolit paenitens, Quintinus eam sinat quaerere alium confessarium : qui si forsan rem licere erronee affirmaverit, bona fide uterque excusari poterit. Secus dicendum foret si semen receptum, sine ulla actione hominis, sponte expelleretur : id enim minime impedire quominus copula instituatur, merito censet Sanchez (l. 9. disp. 17. n. 22), quia sic malus ille effectus tantum permittitur, e re bona secuturus.

CASUS III

Alexander parochus Iovinianum, qui in eius paroecia confessiones auditurus erat, monuit infandum onanismi

scelus longe lateque inter suas oves vigere, et vix non universalem esse ; cavendum autem quam maxime ne quem onanistam absolveret, cum haec res statim ceteris omnibus innotesceret et scandalum gigneret ; singulos igitur paenitentes matrimonio iunctos interrogandos esse num onanismo vacarent.

SOLUTIO. — Modo verum sit fere universaliter onanismo vacare coniuges illius paroeciae, Iovinianus omnes interrogare debebat, num aliqua peccata in usu matrimonii admitterent, iis exceptis qui praesumptionem ex universali illa consuetudine ortam eliderent vita plane christiana vel etiam pia, quam confessarius vel ex ipsa confessione vel aliunde nosset, utputa quia non nisi a paucis mensibus confessi sunt. Ratio est, de prioribus, non autem de posterioribus probabile esse eos deficere in accusando onanismo coniugali (n. 551). Cfr. Gury, Cas. II. n. 1108. Attamen regulariter cavendum ne interrogationes sint nimis apertae : quippe quae parum decent in ore sacerdotis, Christi vices agentis, et plures paenitentes offendere possunt. Quare non sunt generatim interrogandi paenitentes num onanismo deliquerint vel generationem impediverint, sed potius num aliqua peccata admiserint contra coniugalis status officia vel in usu matrimonii deliquerint. Attamen si quis populus tam rudis foret ut has velatas formulas non intellegeret, neque adhibitis clarioribus scandalum passurus videretur, existimamus laudabiliter apertioribus usurum esse confessarium, cum praecipue intendere debeat ut intellegatur. Sed non videtur adeo formidandum periculum ne quis onanista propter reticita peccata sua vel facilius admissam emendationis promissionem absolutione donetur. Etenim, datam sibi fuisse absolutionem facile iactare potest vir perversus, etiamsi minime verum foret ; si autem iis qui ad confessionem accesserint Iovinianus absolutionem non dederit nisi elicito serio proposito emendationis, renuentibus vero negaverit, quicumque bonae sunt voluntatis facile percipient quam inanis sit unius alteriusve nebulonis iactantia. Si forsan parochus vellet ut nulli qui hucusque notus est tamquam onanista concederetur absolutio, Iovinianus nullatenus acquiscere posset petenti ut regulas theologicas de absolutione danda vel differenda posthaberet : melius enim est oboedire Deo quam parocho.

CASUS IV

Macarius confessarius dictitat se longa experientia didicisse nullam fidem adhiberi posse onanistis qui emendationem proponant; propterea se omnibus absolutionem differre donec aliquo temporis spatio reapse emendati fuerint. Solet igitur eos dimittere ad aliquot hebdomadas, neque absolvere redeuntes nisi copulam naturali ratione instituerint. Quandoque huiusmodi copulam tamquam sacramentalem paenitentiam imponit.

SOLUTIO. — Fatendum est infeliciter rarissimos esse coniuges qui, postquam onanismo indulserint, a copula penitus abstineant vel eam iuxta naturae leges instituant. Sed longius progreditur Macarius quando ex hoc facto concludit nemini iam dari posse absolutionem antequam aliquo temporis spatio reapse emendatus fuerit. Ut enim absolutionem elargiatur confessarius, minime necessarium est ut speret perfectam delinquentis emendationem, sed tantum ut probabiliter seu, ut alii volunt, morali certitudine opinetur eum hic et nunc esse bene dispositum : quod plane diversum est. Iam vero hanc opinionem fovere potest Macarius de plurimis onanistis qui tamen iam saepius relapsi sunt : constat enim plures, a confessario admonitos, incipere emendationem saepius per abstinentiam a copula quam per naturalem coitum, et post aliquod tempus relabi in peccatum, quia iam deest voluntas sat firma ad protrahendam illam relativam continentiam, neque animum gerunt se exponendi variis detrimentis quae e naturali coitu formidant, puta inopiam, uxoris mortem, etc. Hanc bonam voluntatem multo facilius supponere potest confessarius in iis coniugibus quibus gravia incommoda subeunda sunt ut copulam sicut oportet peragant, quam in iis qui, unice ut ordinaria onera liberos suscipiendi et educandi vitent, consilium inierunt nullos aut summum duos tresve liberos procreandi. Horum enim peccatum multo maiorem malitiam supponit, ac proinde exigua spes est illos ab hoc consilio frigide inito recedere velle ; illorum vero lapsus potius ex infirmitate oriuntur, fere sicut pollutiones in iis qui vehementibus passionibus abripiuntur. Macarius ergo debebat, iuxta varias illas distinctiones et iuxta regulam generalem de

omnibus paenitentibus a Theologis datam, onanistis concedere, differre vel negare absolutionem. Quare auctoritate sua plane abusus est dum iis indiscriminatim absolutionem distulit donec reapse se emendaverint (Gury, Cas. II. n. 1113). Alterum excessum admisit ubi paenitentes iussit emendationem probare per copulam naturaliter institutam, dum ipsis integrum erat aliam plerisque planiorem viam inire, nempe vitata copula qualibet. Tandem imprudenter copulam tamquam paenitentiam imposuit : id enim facile confessarium et confessionem contemptui et irrisioni exponet (Gury, l. c. n. 1111).

CASUS V

Ladislaus confessarius praedicat se numquam interrogare paenitentes coniugatos de peccato onanismi. Rationes autem suae methodi affert istas : harum interrogationum solum effectum esse quod multi, qui bona fide excusabantur, quia onanismum vel licitum vel leviter malum arbitrabantur, ab ea excidant et, cum emendari nolint, a sacramentis recedant ; frustra autem obtendi necessitatem avertendi damni communis, cum lugenda experientia constet plane inefficaciter conari confessarios ut onanistas convertant.

SOLUTIO. — Methodum Ladislai reprobavit S. Officium. Rogatum enim fuerat qua nota theologica digna esset haec propositio : " Numquam expedit interrogare de hac materia (de onanismo) utriusque sexus coniuges, etiamsi prudenter timeatur ne coniuges, sive vir, sive uxor, matrimonio abutantur „. Respondit 21 maii 1851 : " Propositionem prout iacet esse falsam, nimis laxam et in praxi periculosam „. Itaque, iuxta regulas generales de monendis interrogandisque paenitentibus (n. 357 seqq.), abstinere poterit Ladislaus, quotiescumque neque ex ipsa confessione, neque e scientia extra-sacramentali, prudens dubium concepit num hi paenitentes determinati onanismo indulgeant. Neque eos monere debet de gravi reatu onanismi, si videntur bona fide saltem a gravi peccato excusari, fructus vero emendationis non speratur ex interrogatione monitisque secuturus (n. 359, IV). Sed multi profecto non sunt in bona fide, cum non ita facile ignorentur quae ex ipsa lege naturae vetentur, praesertim ubi nulla specialia incommoda e

legitimo coitu timenda sunt : errat ergo dum passim cum omnibus altum silentium servat, quasi supponere possit omnes in bona fide versari. Quin etiam huius modi silentium confessarii universe servatum cum iis qui aliqua indicia onanismi dedere, redundaret contra bonum commune, praesertim in pagis aliisque locis exiguis. Vix enim fieri potest ut hoc silentium confessarii non innotescat plerisque et (prout vulgo rudes silentium pro consensu habere solent) explicetur quasi sacerdos ille onanismi vitium parvi faceret, neque ut impedimentum recipiendi sacramenta intueretur. Iam vero damnum summum rei publicae christianae foret quod passim invalesceret persuasio, posse homines bonos christianos esse, quamquam iugiter transgrediantur legem naturalem in re quae summi momenti est ad incolumitatem humanae societatis. Hoc detrimentum maius foret quam quod multi paenitentes, si moniti vel interrogati fuerint, a sacramentis recedant : quod cum e mera eorum malitia proveniat, scandalum pharisaicum est, quod bonus confessarius lugebit, sed permittet potius quam ipse officio suo desit. Cfr. Gury, Cas. II. 1109 seq.

ERRATA

Legendum : page 29, l. 1 : *officiis.*— Page 31, l. — 1 : *religionis.*— Page 86, l. 15 : *probationis.* — Page 115, l. — 5 : *vincula quibus.*

INDEX SYNOPTICUS

VOLUMINIS SECUNDI

Tractatus X. De praeceptis particularibus

SECTIO I. DE OFFICIIS LAICORUM

Pag.

CAPUT I. De iudice et iuratis (Casus 5) 5
CAPUT II. De actore et reo (Casus 2) 9
CAPUT III. De advocato (Casus 4) 11
CAPUT IV. De testibus (Casus 3) 15
CAPUT V. De medicis et chirurgis (Casus 5) . . . 18
CAPUT VI. De eris et opificibus (Casus 7) 22

SECTIO II. DE OFFICIIS CLERICORUM

CAPUT I. De vocatione ad statum clericalem (Casus 4) . 29
CAPUT II. De obligationibus communibus clericorum .
§ 1. De cohabitione cum mulieribus (Casus 2) . 34
§ 2. De habitu et tonsura (Casus 2) . . . 36
§ 3. De vitandis quibusdam officiis saecularibus (Casus 2) 38
§ 4. De negotiatione clericis interdicta (Casus 7) . 40
§ 5. De saecularibus delectationibus vitandis (Casus 3) 46
§ 6. De recitandis horis canonicis (Casus 13) . 49
CAPUT III. De obligationibus particularibus clericorum .
§ 1. De parochis (Casus 6). 62
§ 2. De parochorum adiutoribus (Casus 2) . . 69

SECTIO III. DE OFFICIIS RELIGIOSORUM

CAPUT I. De ratione ineundi status religiosi (Casus 11) . 71
CAPUT II. De noviciatu et professione religiosa (Casus 9). 84
CAPUT III. De obligationibus oriundis e professione religiosa
§ 1. Obligationes generales (Casus 7) . . . 91
§ 2. Obligationes ex voto paupertatis (Casus 13) . 99
§ 3. Obligationes ex voto castitatis (Casus 1) . 112
§ 4. Obligationes ex voto oboedientiae (Casus 5) . 113

Tractatus XI. De Sacramentis in genere

CAPUT I. De natura sacramentorum N. L. (Casus 3). . 119
CAPUT II. De ministro sacramentorum
§ 1. De requisitis ad sacramentum valide ministrandum (Casus 3). 121
§ 2. De requisitis ad sacramentum licite administrandum (Casus 2) 123
§ 3. De obligatione ministrandi sacramenta (Casus 5) 125
§ 4. De obligatione denegandi sacramenta indignis (Casus 4) 131
CAPUT III. De subiecto sacramentorum (Casus 3) . . 134

Tractatus XII. De Baptismo

CAPUT I. De materia et forma baptismi
§ 1. De materia remota (Casus 2) . . . 137
§ 2. De materia proxima (Casus 3) . . . 139
§ 3. De forma baptismi (Casus 3) . . . 141
CAPUT II. De ministro baptismi (Casus 4). . . . 144
CAPUT III. De subiecto baptismi
§ 1. De baptizandis fetibus immaturis (Casus 4) . 147
§ 2. De baptizandis infantibus (Casus 5) . . 151

§ 3. De baptizandis adultis (Casus 5) . . . 155
§ 4. De baptizandis sub condicione (Casus 7) . 159
Caput IV. De caerimoniis baptismi
§ 1. De caerimoniis universe sumptis (Casus 5) . 166
§ 2. De patrinis singillatim (Casus 5) . . . 170

Tractatus XIII. De Confirmatione

Caput I. De materia et forma confirmationis (Casus 3) . 175
Caput II. De ministro et subiecto confirmationis (Casus 2) 178
Caput III. De confirmationis necessitate et caerimoniis (Casus 3) 179

Tractatus XIV. De Eucharistia

SECTIO I. DE EUCHARISTIA QUA SACRAMENTUM EST

Caput I. De materia et forma Eucharistiae
§ 1. De materia (Casus 8). 182
§ 2. Quae condiciones ad materiam consecrationis requirantur (Casus 4) 189
§ 3. De forma Eucharistiae (Casus 2) . . . 192
§ 4. Quam diu Christus maneat in Eucharistia (Casus 2) 194
Caput II. De ministro Eucharistiae
§ 1. Quis sit minister Eucharistiae conficiendae et ministrandae (Casus 5) 196
§ 2. Qua ratione Eucharistia sit custodienda vel ad infirmos deferenda (Casus 6) . . . 201
§ 3. Qua ratione Eucharistia sit distribuenda (Casus 4) 207
Caput III. De subiecto Eucharistiae
§ 1. Quibusnam liceat recipere s. Eucharistiam (Casus 3) 210
§ 2. Quaenam dispositiones animae requirantur

Punctum I. Dispositiones pro qualibet communione (Casus 3) . . 213
Punctum II. Dispositiones pro communione frequenti (Casus 6) . . 215
§ 3. Quaenam dispositiones corporis requirantur (Casus 8) 222
§ 4. Quae et quanta sit obligatio sumendi Eucharistiam
Punctum I. Obligatio communicandi ex lege divina (Casus 3). . . . 229
Punctum II, Obligatio communicandi ex iure ecclesiastico (Casus 9) . . . 232
Punctum III. De communione in viaticum suscipienda (Casus 2). . . . 239

SECTIO II. DE EUCHARISTIA QUA SACRIFICIUM EST

CAPUT I. De natura et effectibus sacrificii eucharistici
§ 1. De natura huius sacrificii (Casus 3) . . 241
§ 2. De fructibus sacrificii missae (Casus 1) . . 244
§ 3. De applicatione fructuum missae (Casus 6) . 245
CAPUT II. De obligatione celebrandi
§ 1. De obligatione orta e cura animarum (Casus 2) 250
§ 2. De obligatione orta e stipendio (Casus 17) . 253
CAPUT III. De tempore apto ad celebrandum
§ 1. Quando sit celebrandum (Casus 3) . . 268
§ 2. Quotiens liceat eadem die celebrare (Casus 5). 270
CAPUT IV. De loco apto ad celebrandum (Casus 4) . . 274
CAPUT V. De rebus ad celebrandum requisitis (Casus 11). 277
CAPUT VI. De servandis in ipsa celebratione
§ 1. Regulae generales (Casus 6) . . . 286
§ 2. Quaedam particularia praecepta (Casus 3) . 292

Tractatus XV. De Paenitentia

SECTIO I. DE SACRAMENTO PAENITENTIAE UNIVERSE INSPECTO

CAPUT I. De materia sacramenti paenitentiae (Casus 6) . 295
CAPUT II. De forma sacramenti paenitentiae (Casus 5) . 300

SECTIO II. DE SUBIECTO SACRAMENTI PAENITENTIAE

CAPUT I. De contritione (Casus 3) 304
CAPUT II. De confessione (Casus 13) 307
CAPUT III. De satisfactione (Casus 3). 319
CAPUT IV. De obligatione suscipiendi sacramenti paenitentiae (Casus 1) 323

SECTIO III. DE MINISTRO SACRAMENTI PAENITENTIAE

CAPUT I. De potestate ministri (Casus 19) . . . 324
CAPUT II. De obligationibus ministri paenitentiae (Casus 6) 342
De absolutione danda, neganda vel differenda
Punctum I. De consuetudinariis et recidivis (Casus 5) 350
Punctum II. De versantibus in occasione peccati (Casus 8) . . . 355
CAPUT III. De adiunctis paenitentiae
§ 1. De supplendis defectibus in confessione commissis (Casus 4) 365
§ 2. De sigillo confessionis (Casus 15) . . . 368
§ 3. De sollicitatione in confessione (Casus 9) . 380

Tractatus XVI. De Extrema Unctione

CAPUT I. De materia, forma et effectibus extremae unctionis (Casus 4) 389
CAPUT II. De ministro extremae unctionis (Casus 3) . 392
CAPUT III. De subiecto extremae unctionis (Casus 8) . 396

Tractatus XVII. De Ordine

CAPUT I. De materia et forma ordinis (Casus 7) . . 404
CAPUT II. De ministro ordinis (Casus 6) 410
CAPUT III. De subiecto ordinis (Casus 9) 414

Tractatus XVIII. De Matrimonio

CAPUT I. De sponsalibus
§ 1. De sponsalium natura (Casus 8) . . . 424
§ 2. De sponsalium obligatione (Casus 3) . . 432
§ 3. De sponsalium dissolutione (Casus 13) . . 433
CAPUT II. De proclamationibus et examine sponsorum
§ 1. De obligatione proclamationum (Casus 5) . 442
§ 2. De dispensationibus in lege proclamationum (Casus 1) 446
§ 3. De obligatione revelandi impedimentum (Casus 6) 447
§ 4. De examine sponsorum (Casus 2) . . . 451
CAPUT III. De matrimonio secundum se
§ 1. De consensu ad matrimonium requisito (Casus 12) 453
§ 2. De unitate matrimonii (Casus 2) . . . 462
§ 3. De licita celebratione matrimonii (Casus 4) . 463

CAPUT IV. De impedimentis matrimonii
§ 1. De impedimentis in genere (Casus 7) . . 468
§ 2. De impedimentis dirimentibus in specie
I. Impedimentum erroris (Casus 4) . . 474
II. Impedimentum voti seu professionis religiosae (Casus 3) 477
III. Impedimentum cognationis
Punctum I. De cognatione legali (Casus 2) 479
Punctum II. De cognatione spirituali (Casus 5) . . . 481
Punctum III. De cognatione carnali (Casus 6) . . . 483
IV. Impedimentum affinitatis (Casus 6) . 488
V. Impedimentum publicae honestatis (Casus 6) 491
VI. Impedimentum criminis (Casus 12) . 494
VII. Impedimentum disparitatis cultus (Casus 5) 501
VIII. Impedimentum vis et metus (Casus 6) . 506
IX. Impedimentum ordinis sacri (Casus 2) . 511
X. Impedimentum ligaminis (Casus 5) . 512
XI. Impedimentum aetatis (Casus 2) . . 516
XII. Impedimentum clandestinitatis
Punctum I. De natura huius impedimenti (Casus 9) . . 518
Punctum II. De locis in quibus viget (Casus 3) . . 525
Punctum III. De ratione qua singulos fideles afficit (Casus 4) . 527
XIII. Impedimentum impotentiae (Casus 4) . 530
XIV. Impedimentum raptus (Casus 3) . . 533
§ 3. De impedimentis mere impedientibus
I. Impedimentum Ecclesiae vetiti (Casus 2) 535
II. Impedimentum voti simplicis (Casus 4) . 537
III. Impedimentum rationabilis parentum dissensus (Casus 4) 540
IV. Impedimenlum mixtae religionis (Casus 8) 544

CAPUT V. De impedimentorum dispensatione
§ 1. De auctore dispensationum (Casus 7) . . 552
§ 2. De causis dispensationum (Casus 6) . . 557
§ 3. De modo petendi dispensationem (Casus 13) . 561
§ 4. De exsecutione dispensationum (Casus 13) . 579
CAPUT VI. De revalidatione matrimonii
§ 1. De matrimonio nullo ob defectum consensus (Casus 1) 578
§ 2. De matrimonio nullo ob defectum formae Tridentinae (Casus 2) 569
§ 3. De matrimonio nullo ob inhabilitatem partium (Casus 6) 581
CAPUT VII. De usu matrimonii
§ 1. Quatenus copula liceat coniugibus (Casus 5). 586
§ 2. Quaenam insuper liceant coniugibus prae solutis (Casus 2) 590
§ 3. De onanismo coniugali (Casus 5) 591

CATHOLIC THEOLOGICAL UNION
BX1758.G451909 C001 V002
CASUS CONSCIENTIAE ED. TERTIA RECOGNITA
3 0311 00044 2082

WITHDRAWN

24157

BX
1758
.G45 24157
AUTHOR Genicot, Eduard
1909 TITLE CASUS CONSCIENTIAE...
V.2
DATE DUE | BORROWER'S NAME

240 G331c v.2

5833

BEFORE TAKING BOOK
from library, remove slip; put your name and date on it and place it in the box provided.

WHEN RETURNING BOOK
return the slip to the pocket and replace the book in its proper place.

A BOOK IS NO GOOD UNLESS YOU CAN FIND IT WHEN YOU NEED IT. Your cooperation in keeping an orderly library will enable you to get the best possible service from your library.

3 00044 20